Digitized by Google

8.25.G.3

IOSEPHI ACOSTÆ

E' Societate IESV,

CONCIONES

De Aduentu.

Id eſt, de omnibus Dominicis & Feſtis diebus à Dominica vigeſimaquarta poſt Pentecoſten vſque ad Quadrageſimam.

Quarum numerum & locum Index initio præfixus oſtendit.

Res verò, & inſigniores Scripturæ locos tractatos duo alij Indices continent.

Nunc iterùm in Germania in lucem editæ.

Bibliothecæ S. Honuphrij PP. [illegible] Donavit.

COLONIAE AGRIPPINAE
Apud Antonium Hierat, ſub Monocerote,
Anno. M.DC.IX.

Permiſſu ſuperior. & cum gratia & Priuileg. S. Cæſar. Maieſt.

Digitized by Google

REVERENDO ADMODVM, NOBILI, ET CLARISSIMO DOMINO, VALENTINO Leuchtio, S.Sedis Apoſt. Prothon. Comiti Palatino, S. Bartholomæi Francofurti ad Mœnum Canonico, & Concionatori excellentiſsimo; S Cæſareæ Majeſtatis Commiſſario; D. ſuo perpetua obſeruantia colendiſsimo.

QVVM *multa ſunt, Reuerende, Nobilis, & Clariſsime Domine, quibus rerum publicarũ ſalus continetur: tum nihil ad conſeruandas, boniſq; cumulandas omnibus ciuitates, atq; adeò ſingulorum hominum felicitatem procurandam maiorem vim maiuſue momentum habet, quàm ea quæ de rebus diuinis, & ad animarum ſalutem pertinentibus, eſt doctrina. Ea enim diuinæ ſapientiæ theſauros hominibus recludit, iter ad cœlum oſtendit, immò Deum ipſum, quantum animi noſtri fert imbecillitas, veluti in ſpeculo nobis contemplandum proponit & commonſtrat; quo quidem quid ab homine, vel ad vtilitatẽ vberius, vel ad delectationem amœnius, vel ad felicitatem firmius votis omnibus optari queat? Si enim Deus, vt certè eſt, ſummum eſt bonum, fatendum ſanè eſt, eam beatiſsimam eſſe Rem-*

publicam, non quæ latiſſimis finibus ad imperij amplitudinem terminetur, non quæ opibus ad delicias abundet, non quæ cæteris rebus ad vitæ præſidia circumfluat, ſed quæ verâ Dei cognitione donatos & optimis ac Chriſtiano homine dignis virtutibus imbutos multos habet ciues. Quocirca mihi ſemper optime de Republica mereri illi viſi ſunt, qui vel voce vel ſcriptis rerum diuinarum intelligentiam ciuibus ſuis ſincerè tradũt, eoſdem ad virtutes incitãt, & à vitijs abducunt: id eſt, qui, vt cum
2.Tim.2. *diuino Paulo loquar, ſollicitè curant ſeipſos probabiles exhibere Deo, operarios inconfuſibiles, rectè tractantes verbum veritatis. Sed cum earum quæ voce fiunt prædicationum vtilitas ad auditores tantùm nec eos omnes, ſed attentos tantum, & diuini numinis amore inflammatos, pertineat; ea verò quæ literis conſignata ſunt, longè lateq; diſperſa, plurimorum ſi non aures, animos certè circumſonent: ego qui ad Rempublicam & cum primis Chriſtianam religionem iuuandam & propagandam natum me intelligerem; nihil vtilius me facere poſſe exiſtimaui, quàm ſi doctiſſimas R.P. Ioſephi Acoſtæ Conciones Aduentuales, ſuperiori tempore in Hiſpania editas, Germaniæ noſtræ communicarem. Eas cur tuo nomini inſcripſerim, etſi paucos, qui quidem te norint, fore arbitror qui non ſta-*

tim

tim intelligant: facere tamen non poſſum quin paucis exponam. Primùm quid mirum præſtantiſſimi Concionatoris ſermones, de diuinis rebus habitos, præſtantiſſimo Concionatori offerre? Neq; enim hic locum illud in me habet, quod dici ſolet: Noctuas Athenas: Sed cùm tu harum rerum, ſi quiſquam, in Germania noſtra, intelligentiſſimus ſis: nulliùs mihi magis iudicium exquirendum, vel patrocinium libello huic comparandum exiſtimaui. Deinde impulit me ſingularis mea erga te obſeruantia & amor. Illud enim vere dicere poſſum, me ab eo tempore, quo noſcere te cœpi, ſic tuarum virtutum amore incēſum atq; inflammatum fuiſſe, vt huius voluntatis erga te declarādæ, & teſtificandi iudicij de te mei, ſemper aliquam quæſierim occaſionem: quâ nunc oblatâ lubenter vti volui. Ecquis vero non te amet, nō veneretur, nō ſuſpiciat (vt inuidiam omnē, ita & adulationē à verbis meis abeſſe volo) in quo ſingularis pietas cū inſigni eruditione coniuncta ita elucet, vt iam pridem ſcintillas ſui in exteras & longè diſſitas regiones diffuderit, immò clariſſima eas luce cōplerit? Quis enim ingenij tui eruditam ſuauitatem, & eximiam rerum diuinarum intelligētiam ex tot libris diuulgatis non percepit ac deguſtauit? Quis tam lippus eſt, qui Lampadem hanc ſiue LVCERNAM *(agnoſcis nomen tuum) quam tu omnibus*

per tenebras errantibus velut in propatulo ſuſpendiſti, non viderit, & ad eam greſſus ſuos direxerit? Sed cum omnis tua vita ita ad pietatem conformata ſit, vt eam vel inuidi & maligni hoſtes in te laudare cogantur: tum ſingularem animi tui deuotionem & zelum ſuperiori anno Iubileo oſtendiſti, quando nullo imbre, nullo frigore, nullis deniq; viarum difficultatibus abduci potuiſti, quò minus SS. Apoſt. Petri & Pauli limina adires, quæ pietatis ſunt opera ex præſcripto S. Matris Eccleſiæ procurares, omniaque faceres quæ & ad tuam ipſius ſalutem & aliorum vtilitatem promouendam pertinerent. Nec vero in tam ampla & diffuſa ciuitate, in tanta, imò infinita hominum, religionis ergò ad ea loca profectorum, multitudine latere potuiſti: ſed qui iam antea ingenij tui, doctrinæ & pietatis impreſſa literis ſigna vniuerſo mundo oſtendiſſes, eius os faciemq; intueri, ſermonibus frui ij viri geſtiebant, quorum humeris vniuerſæ religionis Chriſtianæ moles incumbit. Inter eos eſt Reuerendiſſimus & Illuſtriſſimus Cardinalis Cæſar Baronius, cuius Annales Eccleſiaſticos, nunquam ſatis laudatum opus, ego nuper communibus impenſis edi curaui. Is, qua eſt in tui ſimiles viros comitate & beneuolentia, non tantùm facilem tibi ad ſe aditum præbuit, verùm etiam menſa, in tanto ſalutatorum numero,

mero, quantum credibile eſt ad tam præclari & illuſtriſſimi viri ædes ex omnibus mundi partibus quotidie confluxiſſe, bis adhibuit, nec vllum humanitatis officium erga te prætermiſit. Quare vt ego tibi Roma redeunti aliquo modo gratularer, ſimulque affectum erga te meum publicè teſtatum facerem: Conciones has Aduentuales tibi, qui Aduentum & Iubileum Romæ ſolenniter celebraſti, ex ſolenni more inſcribo ac nuncupo, vtque me in patrocinium & fauorem tuum ſuſcipias, & à maleuolorum morſibus & obtrectationibus tuearis etiam atque etiam rogo: Deum venerans ac comprecans, vt te Germaniæ noſtræ & vniuerſæ Reipublicæ Chriſtianæ diu ſeruet incolumem: quò & voce & ſcriptis (id quod hactenus magna cum laude & plurimorum vtilitate feciſti) cœleſtem illam vineam, quæ eccleſia eſt, colere pergas, vrſos & apros eam vaſtantes eijcias, ſæuientes compeſcas, errantes reducas, labaſcentes confirmes. Coloniæ 4. die menſis Aprilis. Anno Dom. 1601.

Tuæ Reuer. admodum, Nobilis & Claris. Dominat. humillimus cliens.

Antonius Hierat, Ciuis & Typographus Colonienſis.

QVOD IN HIS CONCIONIBVS, PATRVM POTIVS QVAM RECENTIVM CONCIONATORUM, vſus ſit requirendus.

PROLOGVS AD Lectorem.

CVm conciones in Quadrageſimam ederem ſuperiori anno, præfatus ſum, me id operæ ſuſcepiſſe potiſsimum experiendi gratia: ſi res ſuccederet, fore pie Lector & erudite, vt de Aduentu & de reliquo tempore in lucem; tum de Sanctis, atque aliæ complures extraordinariæ conciones prodirent. Res hactenus, Chriſti benignitate, bene proceſsit: atque illud opuſculum, quanuis in eo genere multa iam pridem edita, multa à multis edantur quotidie, tamen neque ingratum neque ſuperuacaneum viſum eſt, viris præſertim primarijs, & doctrinæ, ac prudentię laude præſtantibus: quorum ego autoritate adductus ſum, vt ceptum ſemel curriculum, quoad vires & vita ſuppeterent, perſequi non deſiſterem. Itaque quod erat ordine temporis primum futurum, ſecundum volumen excu-

excudimus de Aduentu; in quo à Dominica vigeſima quarta poſt Pentecoſten, vſq; ad Quadrageſimam, Dominici, & feſti dies interiecti continentur, concionibus duabus & ſexaginta comprehēſi. Speramus hanc quoq; partem noſtri laboris, diuino annuente numine, non minus vtilem, fortaſsis etiam gratiorem futuram: quod in ea id accuratiùs obſeruatum ſit, quod in noſtris Cōcionibus vel præcipuè placere plurimis intelleximus, vt cum diuinæ ſcripturæ, tum Patrū teſtimonia nō modo aptè fideliterq; ponātur, ſed etiam accurratè, quoad res patitur, elucidentur. Nam mihi fateor, ea laus Eccleſiaſtici cōcionatoris viſa ſemper eſt prima, ſi ſcripturæ ſacræ & ſanctorum Patrum, cum verborum grauitati, tum ſententiarum ſoliditati maximè inhęreat, hisq; potiſsimum ornamentis decoretur: vt non tam ſua, quam Spiritus ſancti verba, afferre videatur. Id Salomon ſcilicet ſibi voluit, cum in fine Eccleſiaſtæ, id eſt concionatoris, ſic ſcriptū reliquit: Verba ſapientium ſicut ſtimuli, & quaſi claui in altum defixi, quæ per magiſtrorum conſilium data ſunt à paſtore vno. Hic amplius fili mi ne requiras. Nam quid intereà quæri poſſit non video, niſi quod inane, atque inutile futurum ſit, ac ſolum mulcendis auribus comparatum. *Eccleſ. 12.*

Sed quoniam noſtri operis reprehēſiones quædā etiam extiterunt, de his quoq;

nonnihil dicam. Duas igitur res in eo, vel deſiderari vel vituperari, ad me eſt allatũ. Nam Conciones noſtras nonnulli non bene ſe intelligere queſti ſunt, latini ſermonis obſcuritate impeditos. Quidam bonas quidem neque vulgares cùm faterentur, tamen pleniores ac locupletiores deſiderabant. Ac prioribus illis hoc tantùm reſpõſum ſit, me Latinè ſcribere, Latinè ſciẽtibus; quibus ſat ſcio neq; oratio obſcura, neq; impedita videbitur, neq; rebus fortaſſe, quas tractat, indigna. Quod ſi qui concionari volu[illegible] neque Latinas conciones intelligunt, habẽt vulgarium plus ſatis, quæ diſsimulato titulo paſsim eduntur in lucem. Habent præterea ſermonarios ſuos ita Latinos, vt à vulgaribus Latini putentur, à Latinis vulgares verius cẽſeantur: quorum ſtylus à rerum diuinarum, quas tractant, grauitate plurimum abeſt. Hos ergo miſſos faciamus: ad illos alios peritiores nos conferamus: quorum votis mea quoque vota conſentire profiteor. Aiunt pleniores ſe, atque vberiores conciones deſiderare. Et ipſe equidem deſiderem. Dent ipſi: ego libenter accipiã, vnde quod minus plenum eſt impleatur. At ſi quæ à nobis afferũtur, non mala eſſe fatentur, non inepta, non vulgaria, nõ vſurpata demum de alieno, æquius profectò eſt, vt id probent, gratumq; habeant, quod affertur, quam vt vituperent quòd non amplius affertur. Ego enim confir-

confirmare poſſum (abſit inuidia verbo) me in toto hoc opere ne paginā quidem vnam vſurpaſſe, ac deriuaſſe ad conciones noſtras de alienis: quod ſic ſe habere plane intelliges, ſiue manu ſcriptas, ſiue typis iam traditas lector euoluas. Labores hoſce noſtros qualeſcunque & cogitata hæc, ex Scriptura, & patribus & ipſo vſu diuini verbi tractādi collegimus, Dei potiſsimū benignitate. Ex quibus ſi non tota concio alicui contexi poſſe videbitur, ſumat partem, quàm probauerit, adijciat ipſe de ſuo, quod deeſſe animaduerterit. Neque enim vel imperitis omnino ſcribimus, vel ijs, qui ſint memoriter tantum, quæ legerint, reddituri. Adde huc quod cum in pleriſque Euangelijs, præſertim celebrioribus, non vna tantum concio ſcripta ſit, ſed duæ vel tres, ſæpe quatuor, plures interdum; quid vetat, ex pluribus colligere noſtris, quod vni ſuæ quiſque ſufficere exiſtimet? quippe de induſtria longiores conciones non ſcripſimus, ne moleſtiam tædiumque afferrent prolixitate.

Atque hæc diximus tanquam inopiam, ac paupertatem quandam in noſtris concionibus excuſemus. At verò apertius, liberiuſq; dicendum eſt, pleroſque eorum, qui copioſiores conciones expetunt, neſcire plane quid expetant: idq; vituperare præ inſcitia, quod deberet valde probare. Etenim rectè prorſus grauiſsimus ac ſapientiſ-

pientiſsimus, ſi quis alius noſtra ætate cõcionator, Magiſter Ioannes Auila cenſebat, id vitio vertendum concionatori in ſerẽdo Dei verbo, quod agricolæ in grano terræ mandando. Neq; enim ſpiſsè & densè, aiebat Diuinus ille vir, ſeminandũ, ſed ita ordinatè ac moderatè, vt ſementis ſementũ impedimento ne ſit. Atque eſt ea laus maxima oratoris, aptè & diſtinctè dicere. Pleriq; verò hoc tempore in ſumma id laude ponunt, ſi tot & tanta tamq; celeriter dicant, vt auditores, rerũ multitudine oppreſsi obſtupeſcãt, & nihil aliud, quam admirationem vel ſcientię vel eloquentiæ concionatoris, ex eccleſia Domum referant. Horum quam ſit exiguus vſus, quamque à dignitate verbi Dei alienus, quis non videt? Eſt enim id ſummoperè curãdum verbi miniſtro, vt ea dicat, quæ proſint, & eo modo dicat, vt proſint,

1. Cor. 14. Quocirca Paulus Apoſtolus quinq; verba dicere malebat in Eccleſia ſenſu ſuo, vt alios inſtrueret, quam decem millia in lingua. Id eſt, pluris habebat vtilitatem paucorum, perceptorumque ſermonum, quam admirationem & ſtuporem de multitudine mirabilium inuſitatorumq; collectum. Iam ſi quis eam lucem afferat rebus, ſententijſque concionum, quas legerit, quam auditorum frequentia varietatq; requirit, in quo maxime concionatoris verſatur officium, non is facile tenues & exangues conciones fortaſsis accuſabit

cuſabit,quas diuturno nos vſu,commode explicatas & dilatatas, minimè inopes haberi perſpeximus. Cæterum ſi concionũ gloria ea ſtatuitur, vt multà, vt noua, vt exquiſita, breuiter celeri oratione attingantur, quod vulgus laudat, quod admiratur & ſuſpicit, ego me ab eo genere concionandi non modo fateor alienum, ſed id etiam exiſtimo pernitioſum Eccleſiæ Dei, neque doctrina, neque grauitate Euangelica dignum.

An vero in hoc errem, alij cenſeant, ſi erro, cum Hieronymo certè, cũ Auguſtino, cum Gregorio vtroque me errare non dubito. Nam Hieronymus quidem ita ad Nepotianum ſcribit: Docente te in Eccleſia, nõ clamor populi, ſed gemitus ſuſcitetur: lacrhrymæ auditorum, laudes tuæ ſint. Sermo presbyteri ſcripturarum lectione conditus ſit, nolo te declamatorem eſſe & rabulam, garrulumq; ſine ratione, ſed myſteriorum peritum & ſacramentorum Dei tui eruditiſsimum. Verba voluere, & celeritate dicendi apud imperitũ vulgus admirationẽ ſui facere, indoctorum hominum eſt. Nihil tã facile, quã vilem plebeculã, & indoctã concionem linguæ volubilitate decipere: quæ quidquid non intelligit, plus miratur. Hieronymo Auguſtinus plane conſentit, cum Eccleſiaſticum doctorẽ inſtituit. Qui verò affluit, inquit, inſipienti eloquentia, tanto magis cauendus eſt, quanto magis

Hierony. in epiſt. ad Nepotianum.

Aug. lib. 4. de Doct. Chriſtia. cap. 5.

ab

ab eo in ijs quę audire inutile eſt, delectatur auditor, & eũ quid diſerte dicere audit, etiam verè dicere exiſtimat. Hæc ſententia nec illos fugit, qui artem Rhetoricam docendam putarunt. Faſsi ſunt enim ſapientiam ſine eloquentia parũ prodeſſe ciuibus, eloquentiam vero ſine ſapientia, nimium obeſſe plerumque, prodeſſe nunquam. Quid Gregorius? mirifice ſane inuehitur in eos prædicatores, qui laudes auditorum captant: Maxime, inquit, ſi auditores noſtri & ſemper laudant quod audiunt & nunquam quod laudant ſequuntur. Hanc inanem loquendi gloriam prædicator egregius fugerat, cũ dicebat: Non enim ſumus vt plurimi adulterantes verbum Dei. Adulterari namq; verbum Dei eſt, aut aliter de illo ſentire quam eſt, aut ex eo non ſpiritales fructus, ſed adulterinos fœtus quærere laudis humanæ. Nec à Magno Gregorius Theologus diſſentit, qui omnium optime verbi Dei Miniſtri partes tradere mihi videtur; cuius verba ſunt hæc: Verbi Diuini diſtributionẽ, quã omnes hac ætate profitẽtur, ſi quis eſt qui audacter ſuſcipiat, aut cuiuſuis ingenij eſſe cenſeat, huius ſolertiã animiq; aciem miror, ne dicã ſtultitiam. Mihi quidẽ nequaquam res ea leuis momenti, nec parui ſpiritus eſſe videtur, vnicuiq; verbi perinde ac tritici menſuram dare, ac dogmatum noſtrorum veritatẽ cum iudicio diſpẽſare. Et idem poſt pauca. Et ad hæc quis idoneus?

Gre. li. 22. Moral. c. 17.

2. Cor. 2.

Greg. Nazianze. in Apologetico de ſua fuga.

idoneus? non enim pleriſque ſimiles ſumus, qui veritatis doctrinam cauponũ ritu adulterant, homines vaniloqui voluptatibus ſuis obſequentes, eaſque verbis aucupantes, vt ſic maxime populi exiſtimatione floreant, grauiſsimum ſibi ipſis detrimentum, imo exitium afferentes. Et poſtea: Illud exploratum habentes, præſtare candidam aurem ſummittere, quam ſtolidam linguam mouere, laudabilius duximus, ea quæ dicẽda & facienda ſunt, addiſcere, quam quæ neſcimus docere. Præclarè enim cum eo agitur, cui vel altiſsima ſenectus doctrinam canam attulerit, eamq; vim habentem, vt conuerſioni animarum, vtilitati, atq; adiumento eſſe queat. Quæ tanti Patris oratio quem noſtrum nõ pudefaciat? aut quis doctrinam quam vocat canam, & vtilem animarum conuerſioni non expetat, atque omni alia inutili farragine reiecta, ſequatur? Quare Sanctorum Patrum & dicta & exempla in Eccleſiaſticarum concionum forma ſi ſequimur, quãuis non adeo aſſequamur, vituperare nemo debebit, laudare certe atque imitari pij atque eruditi volent. Ac ſi quid opis ex noſtro labore conſecuti fuerint, vt Deo omnium autori meritas gratias agant: noſque vt participes ſimus Euangelij, benignè precentur, etiam, atq; etiam petimus.

INDEX

INDEX CONCIONVM, QVAE IN HOC OPERE CONTINENTVR.

IN Dominica vigeſimaquarta poſt Pentecoſten Conciones quatuor.
Dominica prima Aduentus Concion. quatuor.
Dominica ſecunda Aduentus Conciones tres.
Dominica tertia Aduentus Conc. tres.
Dominica quarta Aduentus Conc. tres.
In Natiuitate Domini Conc. quinque.
In feſto S. Stephani Conc. vna.
In feſto S. Ioannis Euangel. Conc. duæ.
In feſto SS. Innocentium. Conc. duæ.
Dominica infra octauas Natiuit. Conc. vna.
In Circuncisione Domini Conc. quatuor.
In Epiphania Domini Con. quinq;.
Dominica infra octauas Epiphan. Conc. duæ.
In octaua Epiphaniæ. Conc. vna.
In Dominica ſecunda poſt Epiph. Conc. duæ.
Dominica tertia poſt Epiphan. Conc. tres.
Dominica quarta poſt Epiphan. Con. duæ.
Dominica quinta poſt Epiphaniam Conc. duæ.
Dominica ſexta poſt Epiphan. Conc. duæ.
Dominica in Septuageſima Conc. quatuor.
Dominica in Sexageſima Conc. quatuor.
Dominica in Quinquageſima Conc. tres.

DOMI-

DOMINICA VIGESIMA QVARTA POST PENTECOSTEN.

CONCIO PRIMA.

Cùm videritis abominationem deſolationis, quæ dicta eſt à Daniele Propheta, ſtantem in loco ſancto, qui legit, intelligat, &c. Matth. 24.

NON ſine magna ratione, conſilioque perutili Eccleſia prouida mater, & ſapiens, Dominicam hanc conſtituit totius anni vltimam, eamque hęrere voluit primæ Dominicæ aduentus, quæ caput eſt, atque initium Eccleſiaſtici temporis; neque diſiungi has duas inter ſe paſſa eſt, quamuis ſuperſint aliæ de numero earum, quas vagantes vocare ſolemus: ſed ita eas interponi iuſſit, vt hæc ſemper eſſet extrema, totuſque annus hoc tanquam optimo limite clauderetur. Cuius rei ſi cauſam ex me quæritis, cùm nihil agat Eccleſia Chriſti, niſi conſideratè, & prudenter, illam facilè afferre poſſum, quod hęc vltima Dominica ſummopere cum illa prima conſentiat, ſitque vtriuſque argumentum idem, finis ſæculi, dieſque iudicij: idem proinde vtriuſque inſtitutum, & communis vtilitas, timor Dei, & bonæ vitæ integritas. Per-

Pars prima, conſultò Eccleſiam initio, & exitu anni, Iudicij diē proponere.

fecto enim circulo, vt Philoſophi tradunt, idem eſt punctum, & initium, & finis. Itaque annum conſtat tunc eſſe perfectum; vt Macrobius etiam ſcribit, *cum Sol ad id ſignũ ſe denuo vertit, ex quo digreſſus eſt*, ac propterea annum dictum cenſet idem, quod *veteres, am pro circum ponere ſolerent*. Eſt autem annus magnus, circuitus ſolis, quod Poeta innuit, *Interea magnum ſol circumuoluitur annum*. Perfectiſſimum autem motum eſſe circularem, non ſolum Ariſtoteles in Phyſicis ſenſit, ſed etiam Dionyſius in Myſticis, ac Theologicis docuit, qui præterea Eccleſiaſtici moris, quo ſacerdos ex altari incenſum per templi circuitum circunferẽs ad altare rediret, eam rationem affert, finem eſſe diuiniorem, ad prima & præſtantiſſima reditum. Quæ eò pertinent, vt perfectio in circulo quodam ſita eſſe intelligatur. Quapropter Deus lege veteri non modo caput, ſed etiam caudam animalis offerri iuſſit in ſacrificio, docens nimirum nos, vt Gregor. animaduertit, eam ſibi probari victimam, id eſt, Chriſtianæ vitæ rationem, in qua primis extrema reſpondeant. Nihil vero eſt hominibus magis ſalutare, quam fine omnium rerum conſiderato, Deum timere. Id Eccleſiaſtes Spiritu ſancto plenus magnificè præcipit his verbis. *Finem loquendi omnes pariter audiamus: Deum time, & mandata eius obſerua: hoc eſt enim omnis homo, & cuncta, quæ fiunt, adducet Deus in iudicium pro omni errato, ſiue vt intelligentius alij legunt, abſcondito, ſiue bonum ſiue malum ſit.* En omnium Eccleſiaſticarum concionum finem præclarum, Deum timere, & mandatis eius parere: en ad id conſequendum, & præſtandum, ſingulare, eximiumque remedium: *Cuncta quæ fiunt adducet Deus in iudicium.* Nempe qui huc oculos ſemper conijcit, qui hinc annum exorditur, atque huc rediens tãquam certiſſimo termino claudit, is vel peccaturus eſt nunquam, vel ſi quid aliquando peccauerit, celeriter emendet neceſſe eſt: iuxta Sapientis præceptum

Macrob. ſaturnal. lib. 1. cap. 4.

Virgil. 3. Æneid.

Ariſto. 1. de cœlo.

Dionyſ. de diuin. nõ. c. 4. p. 1. de Eccleſ. Hier. cap. 3, p. 3.

Exod. 20.

Greg. homil. 25. in Euang.

Leuit. 3.

Eccleſ. 12.

tum. *In omnibus operibus tuis memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis.* Quæ ratio vitæ inſtituendæ, vt eſt à diuino Eccleſiaſte propoſita, ſic etiam ab optimo authore Seuerino Boetio comprobata: cuius de philoſophiæ conſolatione præclari operis extrema clauſula eſt illa memorabilis: *Auerſamini igitur vitia, colite virtutes, ad rectas ſpes, animum ſubleuate, humiles preces in excelſa porrigite. Magna vobis eſt, ſi diſſimulare non vultis: neceſſitas in dicta probitatis, cùm ante oculos agitis iudicis cuncta cernentis.* Ergò ad omnem bene inſtituendæ vitæ rationem valet iudicij diuini cogitatio: quam nunquam deponi à nobis debere, ſapientiſſimè Eccleſia docet, dum iudicium vltimum, & finem decernit eſſe anni præſentis, & ſequentis exordium. *Eccle. 7.* *Boët lib 5. de conſolat. Philoſ.*

Quanquam autem vtriuſque Dominicæ, vt dixi, argumentum eſt idem, iudicium vltimum modo à Matthæo narratum, mox à Luca commemorandum: tamen intereſt aliquid: eſt propria quædam tractatio vtriuſque Dominicæ: atque ad hanc præcipuè pertinent ea, quę antecedere debent iudicij diem, illa præſertim immanis perſecutio Antichriſti, de qua rectiſſimè intelligitur, Chriſtus apud Matthæum dicere. *Cùm videritis abominationem deſolationis, quæ dicta eſt à Daniele Propheta ſtantem in loco ſancto*: ad ſequentem vero potius pertinet ipſa executio iudicij terribilis. Quapropter quæ de Antichriſto opus eſt ſcire, quæque Eccleſia vehementer prædicari vult, in iis exponendis, & explicandis non inutilem operam, difficilem certè poſituri ſumus. Atque illud principio dicendum eſt, quænam ſit ratio, quæ neceſſitas, populi Chriſtiani de Antichriſti temporibus commonendi. Etenim mille iam & quingenti anni abierunt, ex quo Antichriſti aduentus prædicatur: & diligenter, 2. De Antichriſto nūc dicendum.

accurateque prædicatur: & quotannis ex inſtituto prædicatur: neque tamen Antichriſtus ille, aut venit hactenus, aut etiam nunc venturus apparet. Cur in re tam remota tanta ſedulitas? tanta properatio in mora tam longa? Nonne fruſtra id ſtudij inſumi putes? Nonne decipi, fallique fideles, dum quotidie eo timore exagitantur, cuius nullum & certum iudicium in præſentia, nullum per tot annos periculum extitit? Non dubium eſt, quin multi eiuſmodi cogitatione pulſentur, ea quæ de Antichriſto, & fine mũdi prædicantur, magis ad terrendos homines, & in officio continendos, quam ad vllum certum euentũ eſſe compoſita. Neque verò Spiritum ſanctum effugit, fore, qui ita exiſtimarent, quos teſtimonio Petri ſic refellit *Venient in nouiſſimis diebus in deceptione illuſores, iuxta proprias concupiſcentias ambulantes, dicentes: vbi eſt promiſſio, aut aduentus eius? Ex quo enim patres dormierunt, omnia ſic perſeuerant ab initio creaturæ.* Quorũ calũniam, & mendaciũ ſtatim cõfutat adiungẽs: *Non tradat Dominus promiſſionẽ ſuã, ſi ut quidã exiſtimant, ſed patienter agit propter vos, nolẽs aliquos perire, ſed omnes ad pœnitẽtiã reuerti.* Itaq; quod De⁹ differt, & prorogat mũdi finẽ, atq; illã ſæuiſſimã tẽpeſtatẽ, qua orbis Antichriſto furente iactandus eſt vniuerſus, ſaluti hominũ Deus conſultũ vult, vt lõgo interuallo reſipiſcere improbi, ſanarique poſſint. At enim ſi tandiu ſe rem extẽſurũ, ac protracturũ Deus nouerat, quid opus fuit, tanto ante homines territare? Quid ea minitari omnibus quę ad pauciſſimos tandem pertinerẽt? Habet ea quæſtio non parum vtilitatis, ſi penitus explicetur: non vt curioſę interrogationi, ſed vt modeſtæ, & circunſpectæ diſciplinæ ſatisfiat. Aderit diuinum numen, vt ſpero, dicenti, & rem vobis ſcitu admodum neceſſariam exponenti.

1. Pet. 3.

3. Ideo tanto ante

Tres videntur mihi eſſe cauſę, propter quas longè antequam veniat Antichriſtus, aſſiduo, & cõtinuato ſermo-

ſermone illius furiæ aduentus ab Eccleſia fidelibus promulgetur. Prima eſt illa, quod res eſt tam magna, diſcrimenque tantum, vt quamuis ad ſolos vltimos homines propriè pertineat; tamen quo perueniat ad eos, quorum intereſt, opus fuerit longa ſerie omnes interpoſitos admoneri, vt alij alios viciſsim moneant. Sic enim in naui fieri videmus, cum ingruit fœda tempeſtas, præcipiente Nauclero quid facto opus ſit, & nautis alios alijs voce excitantibus, donec is accipiat imperium, qui operam nauaturus eſt. Neque nauiculatorum ſolum ea eſt ars, ſed militiæ etiã inuiolabilis, cum Imperator aliquid iubet, quod ad extremum agmen pertineat, medios omnes manipulos vociferari, & acceptum imperiũ ſequentibus reddere, vſq; ad eos, quorum eſt iuſſa perſequi. Nihil eſt enim eo ordine, & diſciplina ſalutarius: cuius proinde vel exigua negligentia capite plectitur Ita prorſus quoniam fideles omnes vnum corpus efficiunt, vnũ eundemque exercitum ſummi Imperatoris, neceſſe fuit ad ſalutem vniuerſæ Reipublicæ, per primos & medios pręcepta Chriſti ad extremos vſque manare. Etenim fratres, quàm ſit ea acerba, & atrox futura tẽpeſtas, ipſum Deum noſtrum docentem audire licet. *Erit enim tunc*, inquit, *tribulatio magna, qualis non fuit ab initio, neque fiet*. Quod eodem modo affirmat Gabriel Angelus apud Danielem: *Veniet tempus, quale non fuit ab eo, ex quo gentes eſſe cœperunt vſque ad tempus illud.* Quantum verò remedium ſit, quantum robur ad cõfirmandos animos fidelium, & muniendos aduerſus omnem eum impetum Satanæ, nouiſſe periculum prædictum à Domino, vt verbo Dei iam ante inſtructi milites Chriſtiani dimicare fortiter poſſint, vix verbis exprimi poteſt. Nullum erit certius, validiuſque præſidium: quod intelligens Chriſtus expreſſe monebat. *Ecce prædixi vobis.* Quam ob cauſam tantopere prædicit? *Dabunt*, inquit, *Pſeudochriſti ſigna magna*, *& pro-*

Prędici aduentum Antichriſti, vt paratiores ſint ij, in quos incidet.

Matth. 24.

Dan. 12.

& prodigia, ita vt in errorem inducantur, ſi fieri poteſt, etiam electi. Huic ergo tam horribili procellæ opponitur rupes fortiſſima verbi Dei. Quocirca videte diligenter, quanta ſint diuinæ Scripturæ præſidia, quę omnem miraculorum vim ſuperent. Nihil eſt enim diuini verbi authoritate robuſtius. *Licet angelus de cælo euangelizet vobis præter id quod accepiſtis, anathema ſit.* Paulus quidem ita cenſuit. Quid Petrus? *Habemus,* inquit, *firmiorem propheticum ſermonem: cui benefacitis attendentes tanquam lucernæ lucenti in caliginoſo loco, donec dies elucescat, & lucifer oriatur in cordibus veſtris.* Firmius teſtimonium, vt etiam Beda cenſet, Petrus aſſerit ex prophetico ſermone peti, quam ex ipſa transfigurati Chriſti oculata fide: erat enim de ea re oratio ſuſcepta. Nō igitur fides Chriſtiana ex Scripturis minus, quam ex miraculis ſtabilitur. *Et ſigna quidem infidelibus data ſunt, ſcripturæ fidelibus.* Idcirco primæua Eccleſia miraculis abundauit cum eſſent infideles vocandi ad fidem: at vltima Eccleſia cum fideles vocati iam ſint, plus ſcriptura, quam miraculis nititur. Ergo tanto ante hæc prædicta ſunt, & tam longa ſerie temporum ad extremos vſque manabunt, vt authoritate diuinæ Scripturæ, qua nulla poteſt vis eſſe validior, omnes diaboli, & primogeniti eius Antichriſti machinæ diſijciantur, atque euertantur. Quare Angelus cum Danielem ſtupentem rerum admirabilium prædictione, atque attonitum aſpexiſſet, adiunxit: *Tu autem Daniel claude ſermones, & ſigna librum vſque ad tempus ſtatutum: plurimi pertranſibunt & multiplex erit ſcientia.*

Galat. 1. *2. Pet. 1.* *Beda & Gagneius in 2. Pet. 1.* *1. Cor. 14.* *Dan. 12.*

4. Timorē ſalutarem vnicuique incuti cogitatione illorum tē- Dixi vnam eius rei cauſam, quàm propoſui, accipite alteram. Tametſi enim aduentus Antichriſti in extremos illos incidat, qui tunc ſuperſtites futuri ſunt: tamen eius rei cognitio, & conſideratio nobis omnibus vtiliſſima eſt, neque cuiquam mortalium ſuperuacanea tanta-

tantarum rerum prædictio videri debet, propterea quod timorem Dei ſummopere ſalutarem hominibus, etiam atque etiam iuuat, & promouet. Diuum Chryſoſtomum audi, quid cogitatio earum rerum terribilium, qui iudicij diem præcedent, in animo illius ageret, quantopere eum permoueret, quibus lachrymis, quo gemitu impleret: *Væ mihi,* inquit, *de die illo terribili: qui cum oporteret nos expoſitione iſtarum rerum gaudere, dolemus, & mœrore conficimur. Nam me quidem cum hæc in mentem veniunt, horror inuadit terribilis, & amariſſimè perfluens ex profundo corde ingemiſco. Et quamuis nihil horum ad me ſpectaret, illa tamen quæ ſequuntur, vehementius me perturbant. Propterea lachrymis confundor, quod à tanta gloria caſuros nos video.* Tu igitur Chryſoſtomum imitare, & lachrymis proſequere hiſtoriam hanc lamentabilem, cum præſertim ignores, vtrùm aliqua eius pars ad te peruentura ſit. Nam cum myſterium ſit adeo occultum, vt ipſos quoque Angelos lateat, cumque nemo ſit mortalium, qui ſciat, an ad ſe res illa tam horribilis & ſæua pertineat, neceſſe eſt omnes, niſi deſipiant, timere, ac formidare, ſeque ad id tempus, ſi forte incidet, parare, & munire. Vt enim aduentus Chriſti, tametſi in Apoſtolos, & eius ætatis homines incidit, tamen antecedentibus etiam Prophetis, & iuſtis profuit eius expectatio, deſideriumque: ſic metus contra, & formido ignorantibus definita tempora Antichriſti, non poteſt non eſſe perutilis: eſt enim timor rerum arduarum, quæ contingere poſſunt. Habet autem hoc timor verbo Dei incuſſus, vt mirificè auellat animos hominum à cupiditatibus & illecebris ſecularibus. Id nos abundè experti ſumus narratione tragœdię illius lamẽtabilis, ac funeſtę, quā acturus eſt Antichriſtus, lachrymas, & ſuſpiria, & gemitus, cordis deniq;

porũ horribiliũ

Chryſoſt. hom. 77. in Matth.

compunctionem maximam auditoribus excitari, neque timor ille otioſus, & inanis eſſe poteſt, qui mentem ſtatim, cogitationemque ad meliora conuertit, vitamq; inſtruit, mores Chriſtianos inſtituit, talem denique ſe quemque præſtare perſuadet, qualem tempora illa tam dura, & acerba deſiderãt. Obitus diem & horam, idcirco Deus voluit eſſe nobis incertam, vt omni die atque hora nos ad obitum componeremus. *Eſtote*, ait, *parati, quia neſcitis horam, neque diem.* Tantundem de aduentu Antichriſti cunctos commonitos eſſe voluit, itaque ait, *Quod vobis dico, omnibus dico: vigilate.* Neque verò ea eſt exigua vtilitas, quæ ad omnes manat, cum eius tempeſtatis immanitatem conſiderantes, & virium ſuarum infirmitatem metientes ac preces ſe homines vertunt, Deum obnixè deprecantes, ne ſe in tam aſpera tempora, ac tam periculoſa reſeruet. Quod quidem genus precũ Saluator noſter valde commendat, & probat per Lucam ita nos adhortans. *Vigilate omni tempore, orantes, vt digni habeamini fugere iſta omnia cõtra, quæ futura ſunt.* Neq; enim dubitari vllo pacto poteſt, quin multi Dei clementia ſalui futuri ſint, qui ſi in illas tentationes, & diſcrimina ſæuiſſima inciderent, omnino perituri fuiſſent. Etenim ſi electi illorum temporum; quos merito Auguſtinus & Proſper, & Hippolytus Martyr aſſerunt fore clariſſimos, atque ipſis propemodum Apoſtolis pares, prioribus certe martyribus ſuperiores, tamen magnitudine tempeſtatis illius ita ſunt perturbandi, & obruendi, vt oporteat diuinam prouidentiam breuitate temporis periculi magnitudinẽ compenſare, quid exiſtimandum eſt de cæteris imbecillis, & infirmis? *Niſi breuiati fuiſſent dies illi*, ait Dom. *non fieret ſalua omnis caro.* Ergo in timore Dei, in præparatione animi, in orationis & precum ardore maximus fructus ad omnes fideles redundat, ex eius triſtitiæ truculenta commemoratione.

Matth. 25.

Marc. 13.

Luc. 22.

Aug. 20. de ciuit. cap. 8. Hyppol. de cõſum. ſeculi. Proſper. de diuin. prædict. lib. 3.

Poſtre-

Poſtremo illa quoque ratio vera eſt, aduentum Antichriſti idcirco omnibus denuntiari, quod nemo ab eo alienus ſit. Nam etſi perſona illius nequiſſimi, quem magnum Antichriſtum Auguſtinus appellat, nondum exiſtat, neque poſſit per ſe, niſi in ſuę ætatis homines graſſari, tamen per anteſignanos ſuos, & præcurſores, in omnes Chriſti milites dimicat, atque confligit. Egregiè Gregorius admonet: *nemo ſibi blandiatur, & idcirco ſe à tali occaſu extraneum credat, quia ad illius tempeſtatis procellam peruenire ſe non exiſtimat. O quanti illius tentationis tempora non viderunt, & tamen in eius tentationis procella verſantur.* Eſt quidem vnum illud totius nequitiæ, & impietatis caput, cuius ſunt membra, quicunque eius moribus, & ſpiritu teterrimo imbuti ſunt. Quare opportunè nos admonet Ioannes Apoſtolus: *Filioli nouiſſima hora eſt: & ſicut audiſtis, quia Antichriſtus venit: nũc Antichriſti multi facti ſunt: vnde ſcimus, quia nouiſſima hora eſt.* Nouerat probè Ioãnes dies & annos reſtare plurimos vſque ad Antichriſti aduentum, qui mille annorum Eccleſiæ regnum ſæpiſſime cecinit: tamen nouiſſimam horam adeſſe pronuntiat, & Antichriſtum iam veniſſe, imo Antichriſtos multos, propterea quod vnuſquiſque, quod ad ſe pertinet, putare debet, mundi finem veniſſe, ſiquidem tunc cuique mundus finitur, quando ipſe mundo finitur. Præclare eſt ab Auguſtino dictum. *In quo quemque inuenerit ſuus nouiſſimus dies, in hoc eum comprehendet mundi nouiſſimus dies, quia qualis quiſque in die iſto moritur, talis in die illo iudicabitur.* Quanuis autem Antichriſtus ipſe nondum apparuerit, diſcipuli tamẽ eius, & ſatellites negotium perditionis vrgere non ceſſant. Sunt vero filij, quod mireris merito, eius parentis, qui nondum eſt natus, ſunt diſcipuli præceptoris nihil adhuc docentis, membra caput ſuum antecedentia nouo modo: quicunque artes, & dolos illius ſceleratiſſimi meditantur: quales maximè ſunt

5. Antichriſti aduentum etiam ad vnumquẽque noſtrũ pro ſuo modo pertinere.

Greg. lib. 29. moral. ca. 3.

1. *Ioan.* 2.

Aug. epiſt. 80. ad Heſychium.

Hier. in 24. Matth. & in 2. cap. Abacuc. Auguſt. li. 2. cōtra aduerſarium legis, & prophet. cap. 12.

hæretici, & hæreſiarchæ, quemadmodum Hieronymus, Auguſtinuſque tradunt, nempe Hebiō, Cherintus, Marciō, Manes, Arius, Eunomius, Dioſcorus, Macedonis VVicleffus, Lutherus, Caluuius, cæterę́q; humani generis peſtes, quales etiam tyranni Chriſti Eccleſiam vaſtantes, Nerones, Domitiani, Decij, Maximini, Diocletiani, & cæteri quos noſtis fidei perſecutores: in quo numero Athanaſius Conſtantium ponit, quem tum Antichriſtum, tum Antichriſti precurſorem cenſet: quales denique omnes ij ſunt, quos deſcribit Apoſtolus verbis dilucidis. *In nouiſſimis diebus inſtabunt tempora periculoſa, & erunt homines ſeipſos amantes, cupidi, elati, ſuperbi, blaſphemi, parentibus non obedientes, ingrati, ſceleſti, ſine affectione, ſine pace, criminatores, incontinentes, immites, ſine benignitate, proditores, proterui, tumidi, & voluptatum amatores magis quàm Dei: habentes quidem ſpeciem pietatis, virtutem autem eius abnegantes.* Has eſſe ſcitote notas diſcipulorū Antichriſti, quas Paulus copioſè proſecutus eſt, vt ex ijs tanquam vngue leonem, quos vitare oporteat, diligentiſſimè hoſtes Chriſti cognoſcere poſſitis. De quibus pariter Petrus, & Thadæus Apoſtoli in ſuis Epiſtolis vaticinātur. Rectè Hieronymus. *Aduerſarius Chriſti eſt & Antichriſtus, cui præcepta diſplicent Chriſti.* Neque verò vllum eſt tempus, neque ætas vlla; in qua Antichriſtus per hoſce ſuos adminiſtros bellum Chriſto facere ceſſet: quod verbis quidem breuibus, & obſcuris, ſed diſertiſſimis Paulus ſignificauit, ſcribens ad Theſſalonicenſes in hunc modum. *Et nunc quid detineat, ſcitis, vt reueletur in ſuo tempore. Nam myſterium iam operatur iniquitatis: tantum, vt qui tenet, nunc teneat, donec de medio fiat. Et tunc reuelabitur ille iniquus.* Myſterium iā operatur iniquitatis. *Ac ſi diceret,* ait Gregorius. *Tūc Antichriſtus manifeſtus videbitur: nam in cordibus iniquorum ſecreta ſua iam nunc occultus operatur.* Myſterium igitur iniquitatis vocat Antichriſti aduentum, illudque iam opera-

2. Tim. 3. Athan in epiſt. ad ſolitariam vitā agentes.

Hier. in epiſ. ad Marcellā & ægrotatiōe Bleſinæ.

2. Theſſ. 2.

Gregor. 29. moral. ca. 3.

operari affirmat pro eo, quòd partes & artes Antichriſti eius ſatellites proſequuntur: quod de Nerone, & Imperio Romano procul dubio ſenſit, vſque dume de medio fieret, & regno Chriſti perpetuo cederet, iuxta Danielis prædictionẽ. Ergo quod ad rem facit, debet ſe quiſque parare, & munire Chriſti præceptis, & conſilijs aduerſus artes, & vim, & copias omnes Antichriſti, id eſt impiorum hominum, qui ſeruos Chriſti ſemper oppugnant. Scriptum ab autore graui & antiquo eſt in hunc modum. *Antichriſtus multos habet ſuæ malignitatis miniſtros, ex quibus multi in mundo præceſſerunt, qualis fuit Antiochus, Nero, Domitianus. Nos quoque noſtro tempore Antichriſtos multos nouimus eſſe. Quicunque enim ſiue laicus, ſiue Canonicus, ſiue monachus contra iuſtitiam viuit, & ordinis ſui gloriam impugnat, & quod bonũ eſt, blaſphemat, Antichriſtus eſt, miniſter Satanæ.* Quod eſt ſanè verè ac ſapienter dictum. Iam verò grauiſſimam tentationem, atque acerbiſſimam tribulationem in vltimo vitæ exitu impendere ſibi, nemo dubitet, & tunc ei futuram tribulationem, cui parem nunquam expertus ſit. Tunc enim maximè Princeps mundi huius furit, & fremit, atq; omnibus machinis fidẽ, & pietatẽ ſanctorum tentat, atque impetit, neq; eſt quiſquam, cui parcat ille nefarius, qui Chriſto ipſi morituro non abfuit. *Venit*, ait ipſe Chriſtus, *Princeps mundi huius, & in me non habet quicquam.* Quæ cum ita ſint, non erunt res Antichriſti negligenter cognoſcendæ, quæ ad omnes nos ijs, quas diximus, rationibus valde pertineant. Eas alia concione exponemus, nunc ad preces qua poterimus maxima deuotione nos conuertamus.

Dan. 2. & 7.

In 9. tom. Aug. in tract. de Antichriſto.

Ioan. 14

IN

IN EADEM DOMINICA CONCIO SECVNDA.

Cùm videritis abominationem deſolationis, quæ dicta eſt à Daniele, &c. Mat. 24.

1\. De Antichriſto eſſe dicendum, idque ex probatis autoribus.

DE Antichriſto in Eccleſia Dei celeberrima, & antiquiſſima mentio eſt, tanquam de re tum magna per ſe, tum fidelibus ſummopere neceſſaria. In qua quidem re multa à multis iactantur vana, & fabuloſa: multa etiam certa, & ſcitu digniſſima pleroſque latent. itaque miſſis ijs, quæ fidem non habent idoneam, ea afferemus, quæ à probatis autoribus acceperimus, quæque ſacrorum librorum præcipuè autoritate nitantur. Quanuis enim pleraque Apoſtoli de Antichriſto ſermone potius, quam ſcripto tradiderint, vt Paulus non ſemel inſinuat: tamen ſunt in diuinis literis plurima memoriæ commendata. Attingam verò ſummatim præcipuos locos, vt ij, quibus per otium licet, copioſius eadem perueſtigare valeant In veteri quidem inſtrumento Daniel maximè ſcribit de Antichriſto cap. 7. 8. 11. 12. In nouo Chriſtus apud Matthæum hoc ipſo 24. cap. Paulus ad Theſſal epiſt. poſter. cap. 2. Omnium copioſiſſimè Ioannes in ſua Apocalypſi, cum ſæpe alias, tum maximè cap. 11. & duobus ſequentibus. Sanctos patres in horum locorum tractatione conſulite, præcipuè Hieronymum in Danielem, Gregorium magnũ in cap. 40. Iob, Anſelmum & Thomam Aquinatem in epiſtolam Pauli iam dictam. Ricardum de S. Victore autorem valde bonum & grauem in Ioannis Apocalypſim. Scripſère præterea complures propria

ea

ea de re opuſcula aut alias de ijs ex profeſſo deſcrueꝛrunt: Irenæus quidem Epiſcopus, & martyr fusè in 5. lib. contra hæreſes Hippolytus & ipſe martyr proprium ea de re tractatum edidit. Cyrillus Hieroſolymitanus catecheſi 15. Aurelius Auguſtinus toto libro de ciuit. Dei 19. ac 20. Ioannes Damaſcenus lib. 4. de fide orthod. cap. 27. Proſper Aquitanicus in libro, quem inſcripſit dimidium temporis, per capita pluſquam duodecim diligentiſſimè ſcripta. Sunt alij etiã authores idonei, ſed hos maximè nominaui, quod ex ijs tanquam ex fontibus ea hauſerim, quæ vobis hodie propinabo. Neque otioſam, vel etiam ambitioſam hanc meam ſcriptorum nominationem, exiſtimetis, velim, cum ea dicturus ſim, quæ multis ficta, & commentitia videri queant, niſi idoneis authoribus confirmentur.

Principio de tempore Antichriſti cenſeo dicendũ. Vtrùmne poſſit aliqua ratione definiri, quando ille venturus ſit. Nam fuère, qui certum ſeculum, imo etiam annum deſignare ſint auſi, quo ſit apparîturus, diem quoque non defuere qui dicerent ipſum Pentecoſtes, quo Spiritus ſanctus eſt miſſus, initium eius tyrannidi præbiturum. Tanta eſt hominum temeritas, vel potius amentia eo velle progredi, & irrumpere, quo ne familiariſſimi quidem Dei amici fuerint admiſſi. Etenim eam rem celatam voluit, atque occultam mortalibus omnibus altiſſima numinis prouidentia. Quid dixi mortalibus? Ipſos quoque angelos, ſanctos, & beatos latet. Apoſtolis interrogantibus. *Dic nobis, quando hæc erunt?* Chriſtus reſpondit, *De die autem illo nemo ſcit, neque angeli cælorum, niſi ſolus Pater.* Diem porro iudicij proximè ſequi aduentum Antichriſti ſcripturæ declarant. Ergo neque ratiocinatione teneri poteſt, cùm ex ſola Dei voluntate, & cõſilio pendeat; neque reuelatione cuiquam hominum prodi credibile eſt, quod ipſos Apoſtolos neſciſſe ſcimus.

2. Tempus Antichriſti aduentus, & perſecutionis illius.

Lege lib. de nouiſſ. temp. primum. c. 3. vbi Autores eius inſaniæ commemorantur.

Matth. 24.

mus. *Non eſt*, inquit, *veſtrum noſſe tempora, vel momenta*. Quibus verbis, vt Auguſtinus habet egregiè, omnium de hac re calculantium digitos reſoluit, & quieſcere iuſſit. Itaque cohibenda, ac frænanda quorundam audacia eſt, qui certiſſimum aſſerunt iam iã eſſe pro foribus Antichriſtum. Paulus contra præcipit, *Vt non cito moueamini, quaſi inſtet dies Domini* Daniel ſe non ſatis intellexiſſe rem eam profeſſus eſt: & audet quiſquam eius ſibi rei cognitionem vendicare, quam ſe ignorare Apoſtoli, & Prophetæ confitentur? Neque verò ſanctorum Patrum teſtimonijs turbari quiſquam debet, inſtare mundi finem, & crebro, & apertè confirmantium, quorum eſt partim pia ad mores corrigendos cohortatio, partim ex vſu, & more ſcripturæ oratio profecta. Nam cùm ſæpe ſacræ literæ doceant diem Domini appropinquare, & cito eum eſſe venturum; qua id ratione intelligi debeat, ſatis nos Apoſtolus Petrus erudiuit, mille annos apud Deum eſſe tanquam diem vnum. Quamobrem præclara lumina Eccleſiæ Auguſtinus, & Thomas, vſque eò cenſent iuxta ſcripturas non poſſe breuitatem futuri temporis demonſtrari, vt totidem annos extendi mundi ætatem poſt Chriſtum natum, quot ab orbe condito ad Chriſti aduentum priorem numerantur, nihil repugnet. Non eſt ergo properandum ſententijs de fine mundi, & aduentu Antichriſti præcipitatis. At neque contra ſecuri eſſe debemus, quaſi noſtro ſeculo, & ætate nihil ſit formidandum. Nam quod eſt omnium mundi interitus ſignum certiſſimum, vt Auguſtinus egregiè diſputat, illud eſt, quod perſpicuè Chriſtus prædixit. *Prædicabitur Euangelium in vniuerſo mundo, & tunc veniet conſummatio.* Eſſe autem noſtro ſæculo Euangelium promulgatum pluribus, & maioribus orbis regionibus, quam fuerit totis ante ſexcentis, & duplo annis, ex hiſtoria Indica notiſſimum eſt. Quantum

Actor. 1.
Aug. l. 18. de ciuitate c. 35.
2. Theſſ. 2.
Dan. 12.
1. Pet. 3.
Auguſt. lib. 83. q. 58.
Tho. in addit q. 88. art. 3. ad 3.
Aug. in epi. 78. & 80. ad Heſychium, cuius ſententiam probat S. Tho in 4. diſt. 43. q. 1. art. 1. idem docet Dam. li. 4. de fide ortho. c. 27.

tùm verò reſtet orbis patefaciendum, & quibus gentibus non ſit annuntiatus Chriſtus, quanto item ſpatio temporis, id quod reſtat, peragendum ſit, nouit profectò mortalium nemo. Quare ſuſpenſas, & in vtramque partem paratas eſſe voluit hominum mentes, qui rem tantam ſic expectari voluit, vt ſiue diutius differatur, ſiue celeriter fiat, nihil ſummæ veritati repugnet. Quamuis autem quo tempore veniat Antichriſtus, Scriptura non prodat: tamen quanto tempore duret eius imperium, vel potius tyrannis, ne dubitatione deſperaremus, certiores omnino nos fecit, non amplius, quàm annos tres cum dimidio eam tempeſtatem graſſaturam. Sic Daniel, *cum* *Dan.* 12.
eleuaſſet dexteram, & ſiniſtram ſuam in cælum, & iuraſſet per viuentem in æternum, quia in tempus, & tempora, & dimidium temporis: hoc de regno Antichriſti prædictum alius locus eiuſdem prophetæ indicat. Vbi de Antichriſto agens ſic agit. *Et tradentur ſancti in* *Dan.* 7.
manu eius vſque ad tempus, & tempora, & dimidium temporis. Intelligi verò tempus annum more Scripturæ Hieronymus vna, Auguſtinusque tradidere, *Hier. in* 12. *Danielis.*
qui tempora, ne plura duobus annis acciperentur, in Græco, tum etiam Hebraico, non plurali ſed duali numero haberi adnotarunt. Id etiam pro certo *Aug. l.* 20. *de ciu. c.* 23.
confirmat Cyrillus. Atque vt eſſet teſtatior ea res, *Cyr. Hieroſ. catech.* 15.
annorum rationibus numero menſium, atque item dierum ſpatia eadem regni Antichriſti, *Proſp. lib.* 3.
vt Proſper quoque animaduertit, circumſcripta *præd. diu c.*
legimus. Et Ioannes quidem in Apocalypſi ciui- *Apoc.* 11.
tatem ſanctam calcandam tradit per menſes *Dan.* 12.
quadraginta duos, quod de vltima Eccleſiæ perſecutione prædici omnes conſentiunt, & ratio ipſa inſtitutæ prophetiæ docet. Daniel verò dies apertiſſimè numerat ita ſcribens. *Et à tempore cum ablatum fuerit iuge ſacrificium, & poſita fuerit abominatio in deſolationem, dies mille ducenti no-*

ti nonaginta, cui Ioannes congruit ſcribẽs, mulierem, hoc eſt, Eccleſiam fugiſſe in ſolitudinem. *Vbi habebat*, inquit, *locum paratum à Deo, vt eam paſcat diebus mille ducentis ſexaginta.* Fortaſſe ante fugam per menſem, id eſt, dies triginta, qui ad ſummam Danielis deſunt, patietur Eccleſia perſecutionem Antichriſti. Menſes igitur quadraginta duo, ac dies mille ducenti nonaginta, quos refert Daniel, efficiunt liquido annos tres, & dimidium diebus additis decem, vt omni ex parte conſtet eam procellam non amplius deſæuituram, ne deſperatione fracti fidelium animi vehemẽtiſſimi turbinis magnitudinem ferre non poſſint: magnam plane diuinæ bonitatis prouidentiam.

Apoc. 12.

8 De natura, origine & educatione, & nomine Antichriſti.

De tempore hæc, de ipſa perſona Antichriſti iam dicam. Quidam eum in quo errauit Hippolytus, non hominem, ſed dæmonem futurum opinati, ſpecie humana, aut etiam ſibi carne copulata, quod videtur ſentire Rupertus, Antichriſtum perinde ex dæmone ex homine vnam perſonam aſſeruerunt, vt Chriſtum ex diuina & humana natura, confitemur. Verum id de Antichriſto commentum fides catholica reſpuit. Erit (vt Hieronymus & patres conſentiunt iuxta Scripturas) natura homo vt cæteri: procreatus ab hominibus, vt cęteri: ex fornicatione autem non ex legitimis nuptijs oriturum, *Hippolytus Martyr*, & *Ioannes Damaſcenus affirmant*. Primogenitum fore Satanę, hominem peccati, filium iniquitatis, multaque talia ſacræ literæ traduat, vt incredibilem, ac ſingularem eius malitiam intelligamus, in quem ſe diabolus totum transfundet ex ipſo vtero matris, quẽadmodum probati authores memoriæ commendarunt. Paulus aduentum illius fore ſecundum operationem Sathanæ ſcribit in omni virtute: ſummam hominis cum diabolo coniunctionẽ ſignificans. Nõ in perſona aut ſubſtantia quod fieri eſt impoſſibile, ſed in poteſtate, & operatione, qualis eſt inſtrumenti aptiſ-

Hierony. in 11. Dan.
Hippolyt. de cõſum. mũdi.
Damaſc. 4. lib. de fide, cap. 27.
2. Theſſ. 2.
Ruper. li. 8. in Apoc.
Damaſc. lib. 4. de fide. cap. 27.

aptiſſimi,cum artificis peritiſſimi manu cõiunctio. Quod ad genus attinet,ſcribunt Irenæus, Hieronymus,Ambroſius, Auguſtinus, Proſper de tribu Dan futurum, idque probant ex vaticinio Iacob, & Hieremiæ. Patriam ei Babylonem aſſignant Gregorius, & Hieronymus, & alij plerique patres vetuſta traditione, vt plurima alia. Initio non clarum, & nobilẽ, ſed obſcurum potius,& infimo loco natum, Hieronymus tradit,ex illa prædictione Danielis, *& ſtabit in loco eius deſpectus*, Item ex illa eiuſdem. *Conſiderabã cornua, & ecce cornu aliud paruulum ortum eſt de medio eorum.* Cornu paruulum intelligi Antichriſtum,ſequẽtia manifeſtè oſtendunt, paruulum verò quemadmodum Theodoretus, Hieronymusq; demonſtrant,propterea dicit, quod initia habiturus ſit obſcura, & ignobilia: ex quibus tamen eo potentiæ, diaboli arte peruadet, vt omnes, qui vnquam fuere Principes, & Imperatores, imperij magnitudine ſuperet. Occultè hunc nutriendum vſque dum negotij gerendi opportunitas detur, Damaſcenus ſcribit. Neque nomen etiam illius perfugæ ſcriptura diuina tacuit, ſed tamen ita prodidit, vt antequam ille appareat, quale ſit, ſcire non liceat; cùm emerſerit, tunc liquido conſtare queat. *Qui habet intellectum*, ait Ioannes in ſua Apocalypſi, *computet numerum beſtiæ. Numerus enim eſt hominis; & numerus eius ſexcenti ſexaginta ſex.* Quod ænigmatis modo dictum illud ſignificat, Græcos characteres, (in qua lingua Ioan. ſcripſit, quæque literas habet pro numerorum notis) conficientes nomen Antichriſti, reddere ſummam, quam dixit: quę ſumma cum infinitis prope mixtionibus characterum effici poſſit, nullo modo in præſentia definire poſſumus certum Antichriſti nomen. Cùm verò & Antichriſtus ſe ſe prodiderit, & ad alia indicia etiam nominis compoſitio acceſſerit, notis conſtans numerũ ſexcentorum ſexaginta ſex efficientibus, tunc planũ

Irenæus li. 5. c. 30. ex illo Hier. à Dan. auditus eſt fremitꝰ, &c.
Hier. 11. qu. ſup. Geneſ.
Amb lib. de ben. pat. c. 7.
Aug. qu. in Ioſue 22.
Proſp. lib. 3. cap. 9.
Naſciturum Babylone ſcribit.
Hier. in Dan 11. & autor operis de Antichriſto in 9. 10.
Auguſt. item Greg. l. 31. mor. cap. 10.
Theod. in 7. Dan. Hier. ibid.
Apoc, 13.
Irenæus lib. 5. cap. 30.

omnino fiet, illum, illum ipſum eſſe Antichriſtum, quē diuinæ authoritates tam longe ante prædixerint. Ob id enim traditum eum numerum verè ac ſapienter beatus Irenæus admonuit. De natura, origine, natalibus, educatione, nomine Antichriſti, hęc ferè ſunt, quæ fidem merentur. Multa alia, quæ ferũtur futilia, & commentitia, vt ait quoque Chryſoſtomus, repudiare potius, & tutius eſt, ne incertas notas quærentes, decipiamur.

4. Quam ſuperbus, quam improbus Antichriſtus ſit futurus.

2. *Tim.* 3.

Gregor. li. 32 *moral c.* 12.

Damaſc. lib. 4 *cap.* 27.

Hyppol. in orat. de conſ. mundi.

2. *Theſſ.* 2.

Iam mores, & genus vitę iſtius Chriſti hoſtis cognoſcite. Se quidem ſanctum imo omnium ſanctiſſimum ſimulabit, ijſque artibus vtetur, atque ea ſpecie probitatis ſe mortalibus inſinuabit, vt innocētiam, ac ſanctitatem eius ſummam plerique hominum & admirentur, & prædicent. Erit enim caput eorum, de quibus ſcribit Paulus in hypocriſi loqui mendacium. *Habentes quidem ſpeciem pietatis, ſed virtutem eius abnegantes.* Quanta autem futura ſit opinio ſanctitatis, ſcribit Gregorius Papa non ſemel. Damaſcenus quoque in exordio Regni ſui illum bonitatem ſimulaturum. *Cùm verò fuerit factus dominator,* inquit, *Eccleſiam perſequetur.* Hippolyti martyris oratio ſic habet. *In primordijs ſuis Antichriſtus clemens erit, quietus, religioſus, odio habens iniuſtitiam, deteſtans munera, obſeruans ſacerdotes, honorans ſenes, ſcortationes, & adulteria repudians, hoſpitalis, ſtudioſus pauperum, pupillos, & viduas defendens, diſſidentes concilians, nullum diuitiarum ſtudium præ ſe ferens. Atque hæc omnia faciet conſilio fraudulento, quo circumueniat omnes, vt ſe regem creent. Nam vbi populi tantas virtutes eius perſpexerint, vno conſenſu conuenient ad creandum illum Regem.* Hæc ille. Huius igitur fraudulentiſſimi hypocritæ erunt ſcelera plurima, atque immaniſſima, vt cum ipſo Principe tenebrarum de malitiæ magnitudine contendat, qui proprio nomine ab Apoſtolo vocatur homo peccati: nam ſuperbia, quod eſt omnium vitio-

vitiorum caput, incredibili pugnabit in Deum ipſum. Cuius ſuperbiæ magnitudinem Paulus his verbis declarat. *Qui aduerſatur, & extollitur ſupra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur ita vt in templo Dei ſedeat, oſtendens ſe tanquam ſit Deus.* Pro Deo ſe colendum & adorandum exponit, ac templa ſibi ſacrari faciat, in quibus vt numen diuinum ab omnibus adoretur. Id etiam Chriſtus in hodierno Euangelio docet. *Cùm videritis abominationem deſolationis, quæ dicta eſt à Daniele Propheta ſtantem in loco ſancto.* Sic enim Hieronymus, atque optimi authores accipiunt. Eandem ſuperbiæ immanitatem Daniel notat alijs verbis. *Et dirigetur dolus in manu eius. & cor ſuum magnificabit, & in abundantia rerum omnium occidet plurimos, & contra Principem principum conſurget.* Idem quoque copioſius: *Et faciet iuxta voluntatem ſuam Rex, & eleuabitur, & magnificabitur aduerſus omnem Deum, & aduerſus Deum Deorum loquetur magnifica, & dirigetur, donec compleatur iracundia: perpetrata quippe eſt definitio.* Sed videte monſtrum terribile, hic tam ſuperbus, & elatus tyrannus, qui Deo ipſi omnipotenti bellum mouebit, & ſe, victorem haberi volet: tamen fœdiſſimis, & obſcæniſſimis flagitijs contaminabitur, cum fornicationum, & ſtuprorum: tum verò idololatriæ impuriſſimæ. Fidem mihi res incredibiles affirmanti minime habetote, niſi eas diuina authoritate certas, munitasque cognoueritis. Sic enim idem Propheta Daniel de eodem Rege, atque hoſte Dei ſuperbiſſimo ſcribit. *Et Deum patrum ſuorum non repudiabit: & erit in concupiſcentijs fœminarum: nec quemquam Deorum curabit: quia aduerſum vniuerſa conſurget. Deum autem Maozim in loco ſuo venerabitur, & Deum, quem ignorauerunt patres eius, colet auro, & argento, & lapide prætioſo, rebuſque pretioſis, & faciet, vt muniat Maozim cum Deo alieno.* En qui ſe Deum

Daniel. 8.

Dan. 11.

Dan. 11.

ſalutari, adorarique coget, ac Deum altiſſimum oppugnabit, tamen Deum Maozim commentitium, & ipſe adorabit, & alijs proferet adorandum. Ioannes nomina blaſphemiæ capite beſtia huius aſcripta vidiſſe ſe narrat, tum os eius apertum in blaſphemias ingentes aduerſus Deum. Dici omnino non poteſt, quanta ſit ſuperbiæ magnitudo, quæ blaſphemiæ, & impietatis in Deum imprudentia, quæ in homines ſæuitia, atque crudelitas, quæ denique libidinis impuriſſimæ, & proiectiſſimæ idololatriæ abſurditas, vt parentum omnium ætatum ſeculis inauditum infeliciſſimus orbis procreaturus, viſurusque ſit. Nam quod ad libidines, & ſtupra Antichriſti attinet, quidam eum ab ijs carnalibus vitijs alienum faciunt, ſed non rectè. Licet enim caſtitatem initio ſimulaturus ſit, vt Hieronymus etiam dixit, tamen reuera erit libidinoſiſſimus, atque impuriſſimus leno, vt etiam beatus Proſper affirmat, qui eum Neronis ſcribit luxuriam, & ſpurcitiam, & ſæuitiam habiturum: idque oſtendit ex Scriptura: *Erit in concupiſcentijs fœminarum.* Quod ſi alij interpretes aliter tranſtulerunt, tamen noſtram vulgatam eſſe noſtis authenticam. Ob id etiam Antiochus figura fuit Antichriſti, quem fuiſſe impudiciſſimum Hieronymus ſcribit. Ob id Nero à multis etiam creditus Antichriſtus. Denique vitiorum omnium ſentina in vnum confluet. Atque ex his veluti notis diſcipulos Antichriſti hæreticos, prauosque vitæ ac doctrinæ corruptores agnoſcatis licet. Quæ verò futura ſit hominis procaciſſimi mens in Eccleſia Chriſti affligenda, qui conatus, qui euentus, qui tandem exitus, alia Deo fauente concione exponemus.

Apoc. 13.

Proſper li 3. præd. diuin. cap. 8. & 9.

IN

IN EADEM DOMINICA CONCIO TERTIA.

Cùm videritis abominationem deſolationis, quæ dicta eſt à Daniele, &c. Mat. 24.

NATVRA comparatum eſt, vt futura mortales, quo occultiora ſunt, eo amplius noſſe deſiderent. Quæ planè ſciendi cupiditas cum in res ſuperuacaneas, minimeque conceſſas fertur, iure reprehenditur, & curioſitati tribuitur: eadem ſi ad opportuna, & ſalutaria capienda conſilia, atque imprendentem perniciem deuitandam ſolerter adhibetur, fructum affert non minus vtilem, quam iucundum. At futurorum indagatio ſanè nuſquam vel tutius vel fructuoſius laborat, quam in Antichriſti rebus cognoſcendis, quas Scriptura quidem copioſè tradit, ſed eo obſcurius, quo acriori ſtudio cognoſcantur. Quare attentè vos audituros res maximas, ac ſummoperè ſcitu neceſſarias minimè dubito. Igitur de hominis ſceleratiſſimi ingenio, & malitia dixiſſe me ſcitis. Hodie res eius geſtas, & facinora inſolentiſſima quantum cognoſcere licet ex diuinis literis, & maiorum probata authoritate, perſtringam. Idque vt præſtem, erit primum dicendum de regno, belliſque tyranni, omnium, qui vnquam fuêre potentiſſimi. Deinde de Eccleſiæ Chriſtianæ deuaſtatione, & perſecutione ſæuiſſima.

1. Antichriſtū ad ſummū totius orbis terrarum imperium armis peruenturum.

Atque humilia, obſcuraque exordia Antichriſti futura, natales ignobiles, nullū hæreditarium Principatum, nulla maiorum claritate, nullo iure regnādi, omnia vulgaria, & abiecta vſque dum ex iis veluti latebris erumpat peſtilentiſſimus anguis, ac breui in mag-

Antichriſtum obſcuro, & ignobili genere, at-

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

magnam potentiam veniat, manifeſtè Scriptura ſancta declarat. Sic enim Daniel habet. *Et ſtabit in loco eius reſpectus, & non tribuetur ei honor regius: & veniet clam, & obtinebit regnum in fraudulentia.* Hunc locum intelligi de Antichriſto non ſolum Hieronymus certo confirmat ex authoritate omnium eccleſiaſticorum veterum, verum ſeries quoque ipſa prophetiæ vſque ad ſupremum, planiſſimum facit. Quod in locum Seleuci Antichriſtum propheta ſucceſſurũ dicit, prophetica phraſi vtitur, vt declaret impiorũ regno dominaturũ. Fortaſſis etiam in ea regione Aſię initiũ regni Antichriſti futurũ ſit: idque eſt veriſimile. Cætera aperta ſunt fore hominẽ deſpectũ, & vilẽ, minimè regio genere, aut educatione: ad regnum verò malis artibus irrepturum Idem ſignificant alio loco illa eiuſdem Prophetæ. *Poſt regnum eorum cum creuerint iniquitates, conſurget rex impudens facie, & intelligens propoſitiones, & roborabitur fortitudo eius, ſed non in viribus ſuis, & ſupra quam credi poteſt vniuerſa vaſtabit, & proſperabitur, & faciet.* Vires illi proprias defuturas dicit ad arripiendum Principatum, pro eo quod neque iure, neque potentia ad regnum nitatur, ſed fraude, & dolo malo. Succeſſu verò elatus maiora aggredietur, vſque dum orbe terrarum deuicto, ad ſummam potentiam, atque incredibilem magnitudinem perueniat. Id apertius dixit Daniel, cum deſcripſit cornu paruulum quidem initio, ſed quod in eam potentiam creſceret, vt tria cornua prorſus contereret, ſeptem reliqua ſuperaret: Erit ergo Rex, Antichriſtus dolo & fraude, ex tenui verò, & infirmo principatu paulatim creſcet, & bella multa, ac varia adminiſtrabit: in quibus vincet, interdum etiam vincetur. Sed proſperitate ingenti, tandem reges ſibi obſiſtentes vel ſubiget, facietque tributarios, vel omnino vaſtabit, euertetque. Ita enim habet Daniel.

Et

que infimo loco futurum tradunt.

Hier. in 11. Dan. Theodor. 7. Dan. Damaſ. 4. de fide. cap. 27. Pererius lib. 14. in Dan.

Dan. 11.

Quidam vt Bened. Pereirus de Antiocho, Epiphane Danielem loqui ad literam volũt, ſed ita vt eadem de Antichriſto plenius intelligantur, & verius: cuius figura Antiochꝰ extitit.

Dan. 8.

De Antiocho quidẽ

Et aſcendet, & ſuperabit in modico populo: & abundantes, & vberes vrbes ingredietur, & faciet, quæ non fecerunt patres eius, & patres patrum eius rapinas, & prædam, & diuitias eorum diſſipabit, & contra firmiſſimas cogitationes inibit: & hoc vſque ad tempus. Hunc immanem tyrannum domita & vaſtata Aſiæ in Europam traiecturum mari, non audeo procerto affirmare. Verum mihi in ſacras literas intuenti, fit planè valde veriſimile. Nam in Apocalypſi Ioannes dicit hanc beſtiam de Abyſſo, & de mari, quod idem eſt, aſcenſuram, quod non poteſt ſpiritualiter bene exponi: cum alteram beſtiam, præcipuum ſcilicet ducem & prædicatorem, narret eodem capite de terra aſcenſurum. Deinde aduerſus Romanam vrbem, & gentem dimicaturum apertè aſſerit Daniel. Ioannes verò apertiſſimè vrbem Romam ab Antichriſto & illius ſectatoribus Regibus delendam, atque vltimo incendio tradendam. Præterea alio loco Daniel cum quatuor beſtias, & quatuor cornua commemoraſſet, quæ expoſuit eſſe quatuor regna, ſiue monarchias quatuor, in ijs Romanam vltimam fecit omnium potentiſſimam, quam tamen ab Anichriſto concidendam, labefactandamque docet illis verbis: *Beſtia quarta regnum quartum erit in terra, quod maius erit omnibus regnis: & deuorabit vniuerſam terram, & conculcabit, & comminuet eam. Porrò cornua decem ipſius regni decem reges erunt: & alius conſurget poſt eos, & ipſe potentior erit prioribus, & tres reges humiliabit.* Irinæus, Hippolytus, Cyrillus, Theodoretus, imo vt Hieronymus cenſet, omnes antiqui Patres conſentiunt, decem numero Reges in imperio Romano futuros: ex his alios potentiores, alios infirmiores, quo tempore Antichriſtus regnare cæperit, quorum tres bello perdat, ceteri metu pereāt, omnes Antichriſto ſeruiant, ac demum in ipſam vrbem Romam deſæuiant, vt habet Apocalypſis. Auguſtinus tamen, & Gregori-

ea ſunt dicta, ſed per ſonam Antichriſti gerente, vt Theodor. docet.

Dan. 7.
Dan. 11.
Apoc. 17.
Apoc. 12.
Dan. 11.
Apoc. 17.
& 18.
Dan. 7.

Legendi ſunt de hac re interpretes Apocalypſeos, præſertim noſter Ribera, qui de ea Romæ per Antichriſtum futura vaſtatione doctiſſimè ſcribit, cui aſtipulatur

B. Proſper li. 3. *cap.* 7.
Irinæus lib. 5. *cap.* 26.
Hippol. lib. de Antichr.

Cyril. Hier. catech. 15. *Apoc.* 17. *Aug. li.* 20. *de ciu. c.* 23. *Greg. lib.* 32. *moral. c.* 12.

gorius numerum eum magis ſpirituali modo accipi volunt: ne ſi minus is numerus extet fideles incautos opprimat Antichriſtus. At tanta concordia veterum non poteſt certè niſi traditione conſtare. Illud eſt certum atque perſpicuum eo peruenturam Antichriſti potentiam, vt nullius Regis ei vel Reipublicæ copię reſiſtere queant, quin totius orbis potiatur imperio: & eo magnitudinis veniàt, quo neuqe Alexander Magnus, neque Iulius Cæſar euaſit. Quanto autẽ temporis ſpatio ſummum orbis imperium bellica vi armorumque apparatu conſecuturus ſit, non tradunt diuinę literæ: quamuis computent regni Antichriſti annos tres cum dimidio. Id enim tempus expreſsè à die, quo iuge ſacrificium abſtulerit, numerandum docent. Quod erit ſanè cum deuicto ac domito armis orbe terrarum tãquam dominus orbis Chriſto Deo, atque eius Eccleſiæ bellum funeſtum, atque exitiale mouebit, interdictoque omni panis cæleſtis vſu, Euchariſtiam neque ſeruari in Eccleſijs, neque offerri vlla ratione permittet. Ego complures annos duratura bella Antichriſti non dubito, donec ad ſummũ imperium, nemine mortalium arma illi infeſta mouere iam audente, perueniat. Quod ſanè tempus licet diuturnum pro rerum, tamen geſtarum magnitudine breuiſſimum erit. Ea inaudita & incredibili felicitate elatus infelix ille, terrenis debellatis principibus, contra cæleſtem Principem arma vertet.

Dan. 12.

2. Antichriſtum adepto orbis imperio grauiſſimam Eccleſi Chriſti perſecutio

Itaque ex eo ſumet initium Eccleſiæ Chriſtianæ perſecutio truculentiſſima, quam perſpicuè, & copioſè diuina Scriptura commemorat. Erit enim illius tartareæ furiæ ſumma cura conatusque omnis in debellando Chriſto, & Chriſti nomine ex toto penitus orbe exterminando. Ideo Antichriſtus merito appellatur. Itaque fidem Catholicam oppugnabit, religionem omnem euertet, ſacros ritus, piasque Eccleſiæ ceremonias abolebit, præſules Eccleſiaſticos oppri-

opprimet, clerum, ordinemque Hierarchicum perdet; inſtituta regularia peſſumdabit, templa, atque altaria deturbabit, præcipuè verò, ac maximè in viuificum Euchariſtiæ ſacramentum, in quo verè ipſe Chriſtus continetur inſaniet. Neque vel miſſas celebrari, vel ſynaxim agi vſquam ſinet. Quamobrem cogentur fideles vrbes deſerere, loca deſerta & ſemota quærere, in latibulis: atque abditis antris clam ſacra facere, nuſquam conſiſtere tutum erit. Satellites ille ſuos, atque carnifices quoquo verſus mittet: vt vbiq; Chriſto abiurato ipſe tanquam verus Meſſias, verus mundi Saluator, & Dominus agnoſcatur, & quod horrẽt aures, pro Deo adoretur. De hac immani, qua totus iactabitur orbis, tempeſtate, Chriſtus ſic loquitur. *Prædicabitur hoc Euangelium Regni in vniuerſo orbe in teſtimonium omnibus gentibus, & tunc veniet conſummatio. Cùm ergo videritis abominationem deſolationis, quæ dicta eſt à Daniele Propheta, ſtantem in loco ſancto (qui legit, intelligat) tunc qui in Iudæa ſunt, fugiant ad montes*, & poſt pauca: *Orate autẽ, ne fiat fuga veſtra hyeme vel ſabbatho. Erit enim tunc tribulatio maxima, qualis nõ fuit ab initio mundi vſque modo, neque fiet. Et niſi breuiati fuiſſent dies illi, nõ fieret ſalua omnis caro, ſed propter electos breuiabuntur dies illi. Tunc ſi quis vobis dixerit. Ecce hic eſt Chriſtus, aut illic, nolite credere.* Tempus verò huius procellæ, quod Chriſtus breue futurum prædicit, erunt anni tres cum dimidio, cuius initium ſumendum eſt, ex quo tempore Antichriſtus ſacroſanctum altaris ſacrificium tollet. Qua de re Daniel ita vaticinatur: *ſermones contra excelſum loquetur, & ſanctos altiſſimi conteret, & putabit, quod poſſit mutare tempora, & leges, & tradentur in manus eius vſque ad tempus, & tempora, & dimidium temporis.* Auguſtinus, & Hieronymus (vt alias iam dixi) notant tempora poni in duali, vt duo tempora duos annos deſignẽt. Idem Propheta eadem de re hæc: *Et brachia ex eo ſtabunt, & pol-*

nem modorum.

Matth. 24.

Dan. 7.

Hier. in Dan. cap. 12.

Aug lib. de ciuit. cap. 13.

polluent ſanctuarium fortitudinis, & auferent iuge ſacrificium, & dabunt abominationem in deſolationem. Et impij in teſtamentum ſimulabunt fraudulenter: populus autem ſciens Deum ſuum obtinebit, & faciet, & docti in populo docebunt plurimos, & ruent in gladio, & in flamma, & in captiuitate, & in rapina dierum. & poſt pauca: *& faciet iuxta voluntatem ſuam rex, & eleuabitur, & magnificabitur aduerſus omnem Deum, & aduerſus Deum Deorum loquetur magnifica, & dirigetur, donec impleatur iracundia: perpetrata quippe eſt definitio, & Deum patrum ſuorum non reputabit.* Quæ quidem omnia de Antichriſto eſſe dicta Hieronymus ex antiqua, & recepta Patrum ſententia confirmat. Quod ſi de Antiocho aliqua ex parte intelligi poſſint, tamen in Antiochum vt expreſſum Antichriſti typum dicta eſſe nemo eruditus dubitabit: vt illa etiam quæ à Saluatore commemorantur, & videntur Hieroſolymorum excidium continere potius ob mundi interitum dicta eſſe, cuius effigies quædam Hieroſolymitana excìſio fuit, rectè authores graues, præſertim Theodoretus animaduertunt. Nam illa quibus ea Danielis prophetia clauditur, nullo modo niſi de Antichriſto, eiuſque ſæua procella accipi poſſunt. Illa in quã. *In tempore illo cõſurget Michael Princeps magnus, qui ſtat pro filijs populi tui, & veniet tempus, quale non fuit ab eo, ex quo gentes eſſe cœperunt vſque ad tempus illud*, denique illa, *cum eleuaſſet dexteram & ſiniſtram ſuam in cælum, & iuraſſet per viuentem in æternum, quia in tempus, & tempora, & dimidium temporis. Et cum completa fuerit diſperſio manus populi ſancti, complebuntur vniuerſa hæc*, & mox *eligentur, & dealbabũtur, & quaſi ignis probabuntur multi: & impiè agent impij, neque intelligent omnes impij, porrò docti intelligent. Et à tempore cum ablatum fuerit iuge ſacrificium, & poſita fuerit abominatio in deſolationem, dies mille ducenti nonaginta.* Mirabilis conſonantia Scripturarum. Quod in Daniele

Dan. 11. *Cyrill Hier. catech. 15.* *Dan. 11.* *Theodor. in Dan. orat. 10* *Dan. 12.*

niele Propheta legimus, atque in ſermone Domini apud Matthæum accepimus, idem & apertius, & vberius Ioan. in Apocalypſi tradit. Sic enim habet: *Et admirata eſt vniuerſa terra poſt beſtiam*(Antichriſtum manifeſto intelligit) *& adorauerunt Draconem, qui dedit poteſtatem beſtiæ, & adorauerunt beſtiam dicentes: Quis ſimilis beſtiæ? & quis poterit pugnare cum beſtia? & datum eſt ei os loquens magna, & blaſphemias, & data eſt ei poteſtas facere menſes quadraginta duos. Et aperuit os ſuum in blaſphemias ad Deum, blaſphemare nomen eius, & tabernaculum eius, & eos, qui in cælo habitant. Et eſt illi datum bellum facere cum ſanctis, & vincere eos, & eſt illi data poteſtas in omnem tribum, & populum, & linguam, & gentem, & adorauerunt eam omnes, qui inhabitant terram, quorum non ſunt ſcripta nomina in libro agni.* Miranda certè, & obſtupenda poteſtas, & magnitudo Antichriſti. *Apocal. 13.*

Quanta vero futura ſit Eccleſiæ pernicies, & vaſtitas Antichriſto imperante, Scripturæ declarant, cum dicunr vniuerſam terram beſtiæ illius imperio paruiſſe: itemque de ipſis ſtellis in cælo fulgentibus tertiam eſſe partem draconis cauda deturbatam, in ea vltima tempeſtate cum acre prælium in Eccleſia ab Antichriſto committetur, Michaele diuini exercitus duce à nobis fortiſſimè dimicante, vt Ioannes, Danielque pariter docent. Ita ſignificatum ex ipſis ſanctiſſimis & lectiſſimis viris; quorum ſit inſtar aſtrorum micantium virtus & claritudo, tamẽ acerbitate temporum victam non mediocrem manũ collapſuram. Quid facient homines rerum ſecularium amatores, & exigua diuinarum rerum ſcientia præditi? Neque fieri aliter poteſt tantis euertendę religionis Chriſtianę collatis viribus, copijs, præſidijsque validiſſimis. Primũ enim quod vulgo homines maximè capit, potentia erit tanta Antichriſtus, quãtam mortales viderunt nunquam, opibus immenſis

3 Potentia, opibus, magniloquentia, tormentis, miraculis, Antichriſtum pugnaturum.
Apocal. 13.
Apocal. 12.
Apocal. 12.
Dan. 12.

diuinitus teneātur, facilè ſint deducēdi. Ea de re Paulus quoque ſic ſcribit: *Cuius eſt aduentus ſecundum operationem Satanæ in omni virtute, & ſignis, & prodigijs mēdacibus, & in omni ſeductione iniquitatis.* Mendacia quidem ſigna dicit Apoſtolus, quod ad mendacium aſſerendum comparentur, tum verò pleraque eorum occulta magis diaboli vi & potentia patientur, quàm vera miraculorum virtute, qualia erant, quæ Chriſtus propriè fecit. Neque enim vere mortuos Antichriſtus ſuſcitabit, ſed ſuſcitaſſe ſe demonſtrabit, vt Athanaſius docet: *Liquet,* inquit, *quod mortuum à ſe etiam ſuſcitatum oſtentabit, id autem non verè, ſed tantum in phantaſia.* De eadem re quoque Ioannes ita: *Et fecit ſigna magna, vt etiam ignem de cælo faceret deſcendere in terram in conſpectu hominum, & ſeducit habitantes in terra propter ſigna, quæ data ſunt illi facere in conſpectu beſtiæ.* Quod ſanè non de ipſo Antichriſto, ſed de vno quodam eius præcipuo ſatellite, ac comite narrat. Ex quo intelligi poteſt, quam ſit rerum omnium miſera conditio futura, cùm miracula perpetrandi poteſtas, impietatis aſſertoribus tanta fieret. Quam rem altè contemplans B. Papa Gregorius, ita ſcriptum reliquit. *Sed quid eſt, quod illa perſecutio maxima omnium futura eſt, niſi quia tum diabolus non ſolum per miniſtros ſuos tormenta adhibebit, ſed etiam miracula faciet? Nunc enim fideles mira faciunt, etiam cùm peruerſa patiuntur: tunc autem diaboli ſatellites, etiam cum peruerſa inferent, mira facturi ſunt. Penſemus ergo, quæ erit humanæ mentis illa tentatio, quando pius martyr & corpus tormentis ſubijcit, & tamen ante eius oculos tortor miracula facit. Cuius tunc virtus non ab ipſo cogitationum fundo quatiatur, quando is qui flagris cruciat, ſignis coruſcat?* Merito certè hæc Gregorius exclamat.

7.c.17.
Matth 24.
2. Theſſ. 2.
Atha. q. 30.
Apocal. 13.
Greg. lib. 32. morale. 12.

Ea igitur tempeſtas ne funditus orbem diſturbet, euertatque, ac nemo ſupereſſe poſſit, qui ſaluus fiat; diuinitus prouiſum eſt, vt breui finiatur, id eſt, non

4 Bellum Antichriſti cum E-

Enoch, & Elia in fine venturis.

non totũ quadriennium duret. Interim autẽ ad confirmandos, & corroborandos animos fidelium, firmiſſimi ac ſapientiſſimi duo duces deſtinabuntur, qui ſunt iam olim in id parati, Elias & Enoch: quorũ aduentum tum Patres docent, tum diuinę literę perſpicuè tradunt, vt ea de re dubitare nefas ſit. Vtrum autem eodem cum Antichriſto triennio, & dimidio horum prædicatio futura ſit, an verò vel anterior, vel poſterior, diuerſo modo Patres opinantur. Nam fore tantundem prędicationis horum, & tyrannidis Antichriſti, apertè ſacræ literæ definiunt. Qua ex re tum alijs non mediocribus coniecturis, mihi longe probabilius eſt vno, atque eodem tempore vtrumque futurum, vt Eccleſiam Antichriſtus oppugnet acerrimè, & Eccleſiæ Deus per hos fortiſſimos defenſores ſubueniant. Quorum prædicatione fideles confirmabuntur, Iudæi quidem omnes, qui præordinati ſunt ad vitam, Eliæ teſtimonio reducentur, iuxta Malachię vaticinium, ad parentum primorum fidem, gentibus verò quæ reſtabunt, Enoch pœnitentiam annuntiabit, vt in diuinis oraculis extat. Ita enim habet Eccleſiaſticus: *Enoch placuit Deo, & tranſlatus eſt in cælum, vt det gentibus pœnitentiam.* Aduerſus hoc par egregium virorum, furor Antichriſti exardeſcet, & bellũ acerrimum geret, vſque dum per ſe ipſe eos palam aggrediatur, quos orbe ſpectante poſt diuturnum mirabilemque conflictum, tandem occidet, & triumphum tanquam de victis aget. At ea lætitia non diuturna erit in felici tyranno: quando vitæ redditi ſancti Prophetæ, & cælitus vocati ad Chriſtum glorioſi aſcendent. Hęc ſanè omnia Apocalypſis apertiſsimè tradit, vno conſenſu ſanctorum interpretum accepta, & explanata. Sic enim ſcribit Ioannes Apoſtolus: *Ciuitatem ſanctam calcabunt menſibus quadraginta duobus* (quod eſt triennium cum dimidio Antichriſti tyrannidi datum.) *Et dabo duobus teſtibus*

Lib. 3. de nouiſsimis temporibus c. 6. 7. 8. copioſè. Apoc. 11.

Malach. 4.

Eccli. 44.

B. Proſper. lib. de prædict. part. 3. cap. 13. & 15. & 16. Apoc. 11.

ſtibus meis: & prophetabũt diebus mille ducẽtis ſexaginta amicti ſaccis. Mox de eorum ſanctitate, & miraculorum magnitudine, vbi dixit, adiungit: *Et cũ finierint teſtimoniũ ſuũ, beſtia quæ aſcẽdit de abyſſo, faciet aduerſus eos bellũ, & vincet eos, & occidet eos. Et corpora eorum iacebũt in plateis ciuitatis magnæ, quæ vocatur ſpiritualiter Sodoma & Ægyptus, vbi & Dominus eorũ crucifixus eſt.* Quibus verbis ſatis planũ facit, Hieroſolymis futurũ eſſe hoc Antichriſti cum ſancto Elia, & Enoch certamen. Poſt pauca: *Et poſt dies tres & dimidium ſpiritus vitæ à Deo intrauit in eos, & ſteterunt ſuper pedes ſuos: timor magnus cecidit ſuper eos. Et audierunt vocem magnam de cælo, dicentẽ eis, Aſcendite huc. Et aſcenderunt in cælũ in nube, & viderũt illos inimici eorũ.* Hic erit exitus fortiſſimorũ militum Chriſti: ea gloria manet agonẽ illorũ acerrimũ, quo cũ Antichriſto ſæuiſſimo hoſte confligẽt. Hos aũt fore quos dixi Eliã, & Enoch quãuis à Ioãne nõ nominentur, tũ ex Patrũ Apocalypſim explicantiũ ſentẽtia planũ eſt, tũ ex veterib. ſcripturis Malachię Prophetę de Elia, Eccleſiaſtici vero de Elia pariter & Enoch, quod confirmat vetus traditio fideliũ, quam Irinæus ab Apoſtolis de hac re acceptã perhibet. Sed cum ab Antichriſto hos eſſe vincẽdos Scriptura dicat, id nimirũ inſinuat, tũ vi potentiaq; armorũ vincendos & colligãdos, ac demũ necandos, tũ vero & diſputandi peruicacia & operum patrandorũ magnitudine his ſuperiorem fore nõ re, ſed opinione hominũ, Antichriſtum: hãc Deo omniũ maximã tentationẽ iuſto ſuo iudicio permittentẽ. Quamobrem merito Ioannes Apoſtolus exclamat, *Hic patientia & fides Sanctorum eſt.* Nuſquam enim vel euertendæ fidei, vel ſuperandæ patientiæ maiora machinamenta diabolus mouerit. Quare erit glorioſiſſima ea tempeſtate fides & patientia Sanctorum, quos ſancti patres tanquam extremam Eccleſiæ aciem claudentes omnium poſt Apoſtolos præclariſſi-

Malach. 4.
Eccleſ. 44.
Irinæus lib. 5. cap. 5.
Eccleſ. 48.
Apoc. 13.

Auguſt. 20. de ciui. ca. 8

riſſimos Chriſti milites fore merito ſentiunt. Auguſtinus quidem ita ſcribit: *In eorum ſane qui tunc futuri ſunt Sanctorum, atque fidelium comparatione quid ſumus? quandoquidem ad illos probandos tantus ſoluetur inimicus, cum quo nos ligato tantis periculis dimicamus.*

Hippolitus de conſummatione mundi.

Hippolytus vero Martyr ita de Sanctis illius vltimi temporis loquitur. *O beatos qui tunc tyrannum illum deuicerint: quippe prioribus martyribus illuſtriores & ſublimiores declarandi ſunt: propterea quod ſuperiores martyres diaboli ſatellites ſuperarint: hi vero ipſum filium perditionis expugnarint, ac victoriam reportarint. Quibus igitur coronis & encomijs non ornabuntur à rege noſtro Ieſu Chriſto?* Hæc Hippolytus. Nos autem tam magna certamina conſiderantes Deum inuocemus, vt Eccleſiam ſuam cuſtodiat, nos ipſos dignos Sanctorum conſortio efficiat, & vel periculoſiſſimæ tempeſtati opportune, ſi ita cenſebit oportere, ſubducat, vel vires certamini pares tribuat.

IN EADEM DOMINICA
CONCIO QVARTA.

Cùm videritis abominationem deſolationis, quæ dicta eſt à Daniele, &c. Mat. 24.

1. Breui poſt necē Eliæ & Enoch periturum Antichriſtū, idque in monte Oliueti.

CVM Daniel edoctus ab Angelo extremi temporis horribilem procellam accepiſſet, conflictúmque vehementiſſimum populi Dei cum atrociſſimo hoſte conſideraſſet, ſtupore defixus diu, tandem in eam vocem prorupit. *Vſque quo finis horum mirabilium?* Nimirum noſſe percupiens, quo tandem res Antichriſti euaderent, quem exitum eſſent res humanæ habituræ. Id quantum per diuinas literas nobis cognoſci datur, hac concione explicare conabimur

Digitized by Google

bimur, inuocato ante omnia diuino numine, vt non noſtras ſuſpiciones, ſed ſuos ſeuſus dicere tribuat. Igitur Eliam & Enoch ab Antichriſto interficiendos, ex Apocalypſi Ioannis apertè iam diximus. Cum autem tam prædicationis illorum, quam perſecutionis iſtius par ferè interuallum deſcribatur, ſiquidem de prædicatione illorum legimus. *Et prophetabunt diebus mille ducentis ſexaginta amicti ſaccis*: de perſecutione verò Antichriſti in Ioanne quidem legimus. *Et data eſt ei poteſtas facere menſes quadraginta duos*. in Daniele vero: *Et à tempore cum ablatum fuerit iuge ſacrificium, dies mille ducenti nonaginta*: liquet ſanè Antichriſti interitum poſt cædem Sanctorum Eliæ & Enoch non diu differendum. Vt non immerito Tertullianus dixerit, *ſanguine Eliæ atq; Enoch extinguendum eſſe Antichriſtum*. Fortaſſis autem triginta illi dies qui à Daniele numerantur amplius in perſecutione Antichriſti, quam ſunt à Ioanne numerati in prædicatione duorum prophetarum, erunt reſidui ab illorum cæde vſque ad interitum huius. Quam rem minime ſanè definimus, cum coniectura tantum teneatur. Sed non futuram omnino longam moram tyranni illius perimendi, palam diuinæ Scripturæ pronuntiant. Itaque ſeries rerum habere id maximè videtur, vt poſtquam reſurrectione ſanctorum Eliȩ & Enoch, & admiranda aſcenſione in cælum iuxta Apocalypſim, ſectatores ſuos vehementer perculſos ille ſceleratus animaduertit, vires omnes ſuas denuo colligat, atque extremum furoris ſui conatum edere parat. Quoniam ergo ſe verum Meſſiam mentietur & reſurrectionem & aſcenſionem in cælum, vt ſancti quoque Patres ſcripſere, profitebitur. Atque eam ad rem admirabilem, idque ſpectaculum adeò ſtupēdum, potentiā omnem ſuā adhibebit, copias coget, opes oſtentabit, diē mundo vniuerſo gloriæ ſuæ ſpectandȩ indicet. Locum verò deſignabit eundē ex quo Chri-

Apoc. 11. *Apoc. 13.* *Dan. 12.* *Tertul. in li. de anima.* *Apoc. 11.* *Greg. lib. 11. epiſt. 3.* *Beda & Haym in 13. ca Apocal.* *Dan. 11.* *Cyrill. Hieroſ. cat. 15.*

Chriſtiana traditio tenet conſcendiſſe in cęlum Redemptorem noſtrum: nempe ipſum montem Olueti, quē Scriptura nominat ſanctum & inclytum. Nā fore extremos actus funeſtiſſimæ iſtius tragœdiæ in ſancta terra quā Deus homo frequentauit, exhibendos, ſatis declarant diuinæ literæ, cū eadē in vrbe occidendos ab Antichriſto docēt Eliā & Enochum, in quā vrbe Dominus eorū crucifixus fuit. Id tradūt etiā Patres pręſertim Cyrillus Hieroſolymitanus atq; Chryſoſtomus. Deniq; de extremo illo conatu Antichriſti ſic ſcriptum reliquit Daniel *Et veniet in multitudine magna, vt conterat & interficiat plurimos, & figet tabernaculū ſuum Aeadno ſuper maria in montē inclytū & ſanctum Et veniet vſq; ad ſummitatē eius: & nemo auxiliabitur ei.* Quem locum Hieronymus explicans, aſſerit ex eccleſiaſticorum Patrū ſententia montem ſanctum & inclytum eſſe Olueti mōtem. Traditumque teneri, ibi eſſe Antichriſtum periturum, vnde Dominus aſcendit ad cælos. Idem in Eſaiam ſcribens confirmat. Id quoque Anſelmus, & D. Thomas Aquinas, & alij plerique graues autores affirmant.

Hierony. in 11. Dan. & lib. 8. in Eſ. cap. 25.

Anſelm. in 2. Theſſ. 2. S. Tho. ib. lect. 2.

2. Antichriſtum diuinitus à Chriſto interimēdum.

In media verò pompa & apparatu ampliſſimo exultantem impium illum, & iam iam cæleſtes triumphos meditantem, vel vt quidam ſcriptores perhibent, iam dæmonum arte & opera in aera ſubuectum, opprimet repente diuina vindicta: & cælitus accepta plaga, cadet omnium mortalium infeliciſſimus. Id quemadmodum habeat, audite ſacrarum literarum teſtimonia. Paulus quidem ſic ſcribit ad Theſſalonicenſes. *Et tunc reuelabitur ille iniquus, quem Dominus Ieſus interficiet ſpiritu oris ſui, & deſtruet illuſtratione aduentus ſui eum.* Quæ verba Ioannes Damaſcenus & Anſelmus ſic accipiunt, vt ipſam Chriſti Ieſu perſonam per ſe teterrimi hoſtis interitum perpetraturam velint, quippe

Petrus Com in hiſtoria Dan. c. 12. Pererius lib. 14. in Dan.

2. Theſſ 2. Damaſc. 4. de fide. c. 27. Anſelm. 2. Theſſ 2.

pe cum ſit facinus maximum; neque eo inferius, quo Saulum olim perſecutorem proſtrauit in bonum. Alijs autem cum Thoma magis probatur Chriſti imperio Michaelem Archangelum cædem Antichriſti facturum. Illud conſtat nulla vi hominum, nullo vulnere manus mortalis impium illum caſūrum. De quo ſic Daniel prædixit. *Et contra principem principum conſurget, & ſine manu conteretur.* Idem alias dixit. *Figet tabernaculum ſuum Apadno inter maria, ſuper montem inclytum & ſanctum; & veniet vſque ad ſummitatem eius; & nemo auxiliabitur ei. In tempore autem illo conſurget Michael princeps magnus qui ſtat pro filijs populi ſui.* Quod noſtra editio habet. *Et nemo auxiliabitur ei*, apertius ſeptuaginta verterunt. *Et veniet hora conſummationis eius.* Nam de Archangelo Michaele mentio appoſita videtur ſententiæ Thomæ fauere, quem etiam extremo illo conflictu cum dracone immaniſſimo præliantem Ioannes in Apocalypſi inducit. Interitum quoque Antichriſti ita vaticinatus eſt Eſaias. *Et præcipitabit Dominus in monte iſto faciem vinculi colligati ſuper omnes populos, & telam quam orditus eſt ſuper omnes nationes: præcipitabit mortem in ſempiternum,* & cætera. Quem locum tractans Hieronymus ita ait, *Dominatorem omnium populorum & telam quæ ordita ſit ſuper omnes gentes, quidam Antichriſtum in elligi volunt, quod in monte Oliueti conſumendus ſit.* Quam ſententiam ipſe probat in commentarijs Danielis. *Merito Eſaias telam ſuper omnes nationes, & vinculum ſuper omnes populos Antichriſti potentiam atque imperium nominauit*: quam telam eſſe à Domino incidendam in ipſo monte ſancto prænuntiat, illata tyranno importuniſſimo clade extrema. Quocirca Simachi translatio, quam Hieronymus refert, apertius habet. *Præcipitabit Dominus in monte ſancto faciem dominatoris tenebrarum ſuper omnes gentes, & eum qui dominatur cunctis populis.* Antichriſti interitum

Actor. 9. *S. Thom. 2. Theſſal. 2. lect. 2.* *Dan. 8.* *Dan. 11. & 12.* *Apocal. 12.* *Eſai. 25.* *Hier. in Eſa. lib. 8.*

Comeſtor. in hiſtor. dilucidè in mõte ſancto futurum memorans. Vtrùm autem fulmine aliquo & telo ictus cæleſti, vt ſcholaſticæ hiſtoriæ ſcriptor tradit, periturus ſit, an genere
Dan. 12. exitij alio, plane ignoramus, niſi quòd Antiochum
1. Mach. 6. *2. Mach.* 9. huius Architypum cõſumptum doloribus expiraſſe cognouimus. An verò in tartarum viuus tradendus
Apoc. 19. ſit, vt olim Datan ille & Abyron, conſiderare nos admonet teſtimonium Ioãnis in Aocalypſi, quod ſic habet: *Et apprehenſa eſt beſtia, & cum eo pſeudopropheta, qui fecit ſigna coram ipſo, quibus ſeduxit eos qui acceperunt characterem beſtiæ, & qui adorauerunt imaginem eius: viui miſſi ſunt hi duo in ſtagnum ignis ardentis ſulphure Et cæteri occiſi ſunt in gladio ſedentis ſuper equum, qui procedit de ore ipſius: & omnes aues ſaturatæ ſunt carnibus eorum.* Beſtiam intelligi Antichriſtum conſtat, pſeudoprophetam quoque illum eundem eſſe, quem capite vndecimo commemorat, præcipuum ſcilicet Antichriſti ducem, nõ eſt dubium. Hos vero duos tanquam præter cæteros omnes noxios ſupplicio diſtinguit, viuos in ſtagnum miſſos docens, cum reliquos gladio conſumptos narret. An vero tropica locutio ſit, & magnum diſcrimen pœnarum ſignificare voluerit, non audeo, ſi quis ita ſentiat improbare. Illud plurimis certiſſimisque teſtimonijs certum confirmatumque manet, Antichriſtum à Saluatore noſtro miſerrimo exitu palàm mundo ſpectante conficiendum. Ob quam rem cæleſtes ordines victori Deo acclamaſſe, & laudem Chriſto plurimam concinuiſſe his verbis Ioannes declarat. *Audiui quaſi vocem turbarum multarum in cælo dicentium Alleluia, laus & gloria & virtus Deo noſtro eſt: quia vera & iuſta indicia ſunt eius.* Et iterum. *Regnauit Dominus Deus noſter omnipotens: gaudeamus & exultemus & demus gloriam ei.* Quos ſanè hymnos concinit multitudo cæleſtis, quod extincto Antichriſto, & exercitu impiorum deleto, eccleſia ſancta pura & immaculata in regnum Chriſti ſit conceſſu-

S. Tho. ſuper Apoc. vlt. vult tropicè intelligi (viui miſſi ſunt hi duo) id eſt acerbiore pœna damnati præ cæteris.

Apoc. 19.
Apoc. 19.

ceſſura : quod argumentum eſt illius viſionis vniuerſæ.

Iam quid extincto Antichriſto futurum ſit, & an mūdi finis continuo ſequatur, nemo eſt qui non cupiat diſcere. De qua re quanquam ſint varia doctorū hominum ſanctorumque placita, dicam tamen quod multa ac diligenti ſcripturarum meditatione veriſſimum cenſeo. Magnam illam atque extremam omnium prophetiam Danielis concluſam legimus his ipſis verbis. *Et à tempore cum ablatum fuerit iuge ſacrificium, & poſita fuerit abominatio in deſolationem, dies mille ducenti nonaginta, Beatus qui expectat & peruenit vſque ad dies mille trecentos triginta quinque. Tu autem vade ad præfinitum & requieſces, & ſtabis in ſorte tua in finem dierum.* Ea Danielis verba ediſſerens Hieronymus ita ſcribit. *A tempore igitur* ἐνδελεχισμοῦ *quod nos interpretati ſumus iuge ſacrificium, quando Antichriſtus orbem obtinens Dei cultum interdixerit, vſque ad internecionem eius tres & ſemis anni, id eſt, mille ducenti & nonaginta dies complebuntur. Beatus qui expectat & peruenit vſque ad dies mille trecentos triginta quinque. Beatus,* inquit, *qui interfecto Antichriſto dies ſupra numerum præfinitum quadraginta quinque præſtolatur, quibus eſt Dominus atque Saluator in ſua maieſtate venturus. Quare autem poſt interfectionem Antichriſti quadraginta quinque dierum ſilentium ſit, diuinæ ſcientia eſt, niſi fortè dicamus, dilatio regni Sanctorum probatio patientiæ eſt.* Hanc Hieronymi ſententiam vel potius Danielis ipſius Rupertus Tuitienſis, & Anſelmus & Thomas, aliique viri docti & graues probant, ea etiam addita cauſa, quod id temporis diuina clemētia indulgeat ſectatoribus Antichriſti, vt poſſint ſi velint agere pœnitentiam : quos tamen cæcos furore ſuo & vitio, oppreſſos pleroſque inſtar Pharaonis corda obduraturos in malo, vſque dum illos extremi iudicij dies corripiat, & cæ-

3. Quantū temporis reſtet poſt Antichriſti interitum, vſque ad diem iudicij.

Dan. 12.

Hierony. in 12. Dan.

Rupert. lib. 13. de victoria verbi Dei cap. 15.
Anſelm. 2. Theſſ. 2.
Thomas in Apoc. ca. 11.

Lyra & Carthuſ in Daniel. 12. *Pererius in Daniel.* 12. *Conel. Ianſen in concord. Eua.ca.* 122. *Matth.* 25. *Proſper lib. de prædict. diuin.par.* 3. *cap.* 15. *ſic expl.* 4. *li.de nouiſ.temporibus c.* 3. 4. & 5. *agitur fuſè de hac re.* *Luc.* 21. *Matth.* 24. 2. *Theſſ.* 2.

teris ſupplicijs cruciandos tradat. Itaque de ſententia Hieronymi vel potius Danielis ab interitu Antichriſti vſque ad extremum iudicij diem reſtabit menſis cum dimidio, idque temporis ad probationem & patientiam iuſtorum, ad pœnitentiam iniquorum, ſi qui reſipiſcant, ad hominum perditorum cruciatum, ad mundi diſſolutionem expectandam concedetur. Neque mouere nos debet, quod nonnullos etiam eruditos vehementer mouet, ex hac ſententia diem iudicij ab hominibus certo poſſe ſciri, quem ſanè Chriſtus ipſos quoque Angelos latere affirmat, neque eſſe hominum quenquam qui ſcire queat. Nam quemadmodum de die mortis id æquè pronuntiat Dominus dicens: *Vigilate quia neſcitis diem neque horam*, neque impedit id, quo minus inſtante iam morte ex ipſis mortis prænuntijs quæ Medici prognoſtica vocant, ſcire valeat peritus diem aut etiam horam extremam vitæ: ita de mundi fine, quoniam multi ac certi prænuntij venient, non erit contra diuinam ſententiam, cum iam iam aderit cognoſcere ac definire, quo tempore futurus ſit. Imo verò idcirco ex diuinis oraculis ſigna eius rei accipimus copioſè deſcripta, vt eorum inſpectione inſtantem iam exitum cognoſcamus. Illam ergo ſcientiam extremi diei, quæ vel ratione humana: vel reuelatione diuina præſumitur, omnino nemini conceſſam ſacræ literæ docent: eam porrò quæ ex indicijs certis & probatis pereuntis iam mundi percipitur, adeo non eſt negata, vt magis ad eam parandam & habendam diuinarum nos literarum oracula excitent. Nam quorſum alio pertinet illud: *His autem fieri incipientibus reſpicite & leuate capita veſtra, quoniam appropinquat redemptio veſtra?* Quorſum illud. *Cùm videritis hæc fieri, ſcitote quia prope eſt in*

eſt in ianuis? Quorſum illud? *Niſi venerit diſceſſio primum & reuelatus fuerit homo peccati?* At non definit diem hæc ratio, ſed cito inſtare docet Imò vero definit maximè. Siquidem regni Antichriſti dies & menſes & anni definiuntur. Mox verò adduntur dies quadragintaquinque. Etenim quo alio ſenſu intelligi poſſit eum eſſe beatum qui præſtolatur vſque ad dies mille trecentos trigintaquinque, neque quiſquam explicat, neque explicare poteſt, niſi quemadmodum Hieronymus ex veteri eccleſiaſtica traditione declarat. Bene autem Daniel ſcripſit. *Et non intelligent impij: porrò docti intelligent.* Nam neque tot documentis admoniti impij à ſuo ſcelere ceſſabunt, neque vltimum iudicium malis ſuis attenti digna emendatione expectabunt. Electi ſane cum rebus ipſis excitati, tum diuini verbi meditatione inſtructi, ſeſe magis ac magis ad diem illum tremendum parabunt & munient, quos merito beatos vel ea maximè ratione ſcriptura Danielis veriſſima prædicat. Dan. 12.

Iam quid rerum inſtet, quanta magnitudo ſignorum & prodigiorum in illo ſupremo mundi Spiritu cernenda ſit, ex interitu Antichriſti vſque ad vltimum diem per ineffabile illud ſeſquimenſis interuallum, ſæpè & copioſè ſacra Scriptura commemorat. Tunc enim Solis & Lunæ triſtiſſimi vultus, tunc ſiderum lapſus, & totius cœli mœſtiſſimi conſpectus, tunc maris efferueſcentis fluctus immenſi, tunc fragor terræ & montium, & tremores horrendi, tunc cæleſtis iræ indices flammæ, fulminum ac tempeſtatum terribiles iactus, tunc elementorum omnium funeſtiſſima commutatio, tunc animalium interitum ſuum præſentientium mugitus & gemitus duri, tunc ſæuientium

4. Signa diem iudicij denuntiantia ſtatim poſt interitum Antichriſti futura.

tium in impios omnium creaturarum facies excandeſcens, tunc fluminum & fontium in cruorem verſio, tunc denique totius machinæ mundi iam ruentis quidã velut horribilis crepitus, quo miſeri mortales tenebuntur attoniti, malorum impendentium expectatione defixi. Fore autem vt poſt Antichriſti exitium illa ſigna ſequantur, quæ ſcriptura commemorat, quanuis alij aliter ſapiant, equidem ex Euangelica lectione certum mihi perſuadeo. Chriſti Redemptoris noſtri quæſo expendite verba apud Matthæum, quæ ita habent, *Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi vſque modo neque fiet. Et niſi breuiati fuiſſent dies illi, non fieret ſalua omnis caro, ſed propter electos breuiabuntur dies illi.* Hæc de perſecutione ſæuiſſima Antichriſti dici & patres fere omnes, paucis exceptis, conſentiunt, & quæ ſequuntur maniſeſtè indicant. *Tunc ſi quis vobis dixerit, Ecce hic eſt Chriſtus aut illic, nolite credere, & cætera.* Dies autem illos quos breuiatos aſſerit propter electos, erunt anni illi tres cum dimidio, quibus tempeſtas Eccleſiæ atrociſſima detonabit. Sequitur autem Euangelico contextu (adeſte animis quæſo) *ſtatim autem,* inquit, *poſt tribulationem dierum illorum, Sol obſcurabitur, & Luna non dabit Lumen ſuum, & ſtellæ cadent de cælo, & tunc plangent omnes tribus terræ & videbunt filium hominis venientem in nubibus* & cætera. Hic de ipſo iudicij die, & de ſignis eum proximè antecedentibus eſſe ſermonem, nemo poteſt negare. Dicit porrò Chriſtus hæc ſigna edenda eſſe poſt tribulationem dierum illorum ſtatim: illorum inquam dierum, quos dixerat breuiatos propter electos. Apertiſſimè ergo denuntiat poſt mortem Antichriſti ſigna illa horribilia futura, quæ ſigna finis ipſe mundi certiſſimè conſequetur. Hoc enim erat væ tertium quod aquila illa Apocalypſis inſonuit, ſicut Scripturæ ſeriem conſideranti facilè patet. Væ, væ, væ, habitantibus in

Matth. 24.

Hieronym. Auguſtin. Ambroſ. Greg. Beda, Tho. Bonau. li. 4. de nou. tempor. c. 7.

Apocal. 8. Apocal. 11. Apocal. 15.

in terra & mox, *væ ſecundum abiſt, & væ tertium veniet cito.* Hæ ſunt ſeptem phialæ plenæ iracundiæ Dei à ſeptem Angelis effundendæ. Hæ plagæ AEgypti ante egreſſum filiorum Dei ſignificatæ. De quibus quoniam nobis dicendum eſt fuſius alia concione, nunc finis dicendi fiat, illo carmine pronuntiato, quod à pijs & ſanctis poſt illum ſupremum agonem Deo canendum Ioannes refert in hæc verba: *Magna & mirabilia ſunt opera tua Domine Deus omnipotens: iuſtæ & veræ ſunt viæ tuæ Rex ſeculorum. Quis non timebit te Domine & magnificabit nomen tuum? quia ſolus pius es: quoniam omnes gentes venient & adorabunt in conſpectu tuo, quoniam iudicia tua manifeſta ſunt.* Hoc ſancto Dei timore muniti, enitamur fratres ſic vitam puram atque integram ducere, vt inter victrices beatorũ acies, palmam adeptæ de impio tyranno victoriæ, ſempiternam reportemus.

Exod.8.9.10.11.

Apocal.15.

IN DOMINICA PRIMA ADVENTVS.

CONCIO PRIMA.

Erunt ſigna in Sole & Luna & Stellis. Luc.21.

1.Merito ab Eccleſia vtrunque Domini aduentum vno tempore commemorari.

CVM aduentum Domini priorem in mundum, qui fuit ex felici ac ſalutari partu virginis, Eccleſia ſancta hoc tempore colat & celebret, ob idque dies hoſce omnes de aduentu appellari præcipiat

cipiat, mirari nō immerito quiſquam poſſit, quid ſit quod primam hanc Dominicam, quę caput eſt ac cęterarum princeps, de iudicio potius extremo, deque poſteriori Domini aduentu nos commonere voluerit. Quid enim alienius ab illa ſuauitate & clementia Saluatoris, hac ſeueritate incredibili iudicis? Quid habet commune cum leone agnus? quid præſepe & incunabula dulciſſimi infantuli cum horribili quęſitoris tribunali? Quid ad Bethleem tuguriū & paſtores præ gaudio feſtinantes, & montes ſtillantes lactis & mellis dulcedinem, quid facit ad choros angelorum læta nuntia canentes, commemoratio vallis Ioſaphat, terror totius orbis, hominum trepidatio, cæli funeſtiſſima facies, omnium denique rerum extrema perturbatio? Sed magno nimirum conſilio Eccleſia hæc tam diuerſa coniungit, atque vno eodemque tempore vtrunque aduentum & Saluatoris & iudicis ob oculos nobis ponit, eum ſane Prophetam imitata, qui aiebat, *Miſericordiam & iudicium cantabo tibi Domine.* Quo loco Auguſtinus admodum opportune: *Nemo ſibi ad impunitatem blandiatur de miſericordia Dei, quia eſt iudicium, & nemo in melius commutatus exhorreat iudiciū Dei, quia præcedit miſericordia Dei. Si temporibus diſtinguamus hæc duo, inuenimus modo tempus eſſe miſericordiæ, futurum autem tempus iudicij.* Vtrūque ergo cogitandum, vtrunque Deo cōcinendum. Exiſtit perfecta quædam harmonia atque concentus ex ſonis plane diſcrepantibus: atque illud ſublime diuinæ miſericordiæ, quæ excellit omnia opera Dei cum hoc profundo diuini iudicij (ſunt enim iudicia Dei abyſſus multa) nō ſolum iucundum ſed ſalutarem etiam concentum efficit. Nimis dulcia faſtidium mouere ſolent, nimis acria exacerbant: mediocriter temperata, & guſtum habent, & ſalutaria ſunt. itaque ne vel nimia fiducia negligentiam pariat, vel timor immoderatus in deſperatio-

Pſal. 100. *Auguſt. in Pſal. 100.* *Pſal. 144.* *Pſal. 35.*

cæle-

quem vertatur, vterque aduentus Chriſti opportunè cæleſti quadam arte coniungitur, vt diſcat Chriſtianus populus & timere ſperando, & ſperare timendo, illudque obſeruet quod ſcriptum eſt. *Exultate ei cum tremore* Quod Eccleſia facit, vt vtrumque Chriſti aduentum ſimul proponat, id vnicuique faciendum, vt de vtroque ſimul cogitet, Bernardus perſuadet: *Nec vero ſolum cogitetis aduentum, quo venit quærere & ſaluum facere quod perierat, ſed illum nihilominus, quo veniet & aſſumet nos ad ſeipſum. Vtinam circa hos duos aduẽtus iugi meditatione verſemini. Vtinam dormiatis inter medios cleros. Hæc enim ſunt duo brachia ſponſi, inter quæ ſponſa dormiens aiebat, Leua eius ſub capite meo, & dextera eius amplexabitur me.* Itaque brachia duo duos Domini aduentus Bernardus cenſet, quibus complexus ſalutaris piarum mentium fit. Atque in vtroque ſane Dominico aduentu inuenimus iudicium, in vtroque miſericordiam. Nam ſi in priore nullus eſſet iudicio locus, non diceret profectò Chriſtus. *Nunc iudicium eſt mundi, nunc princeps huius mundi eijcietur foras.* Sed iudicium illud expectandum atque optandum homini fuit. Quamobrem Scriptura dicit, cum de eo aduentu loquitur; *Fulmina plaudent manu, ſimul montes exultabunt à conſpectu Domini, quoniam venit iudicare terram.* Ideo plauſus & acclamationes venienti Domino mundus præbet, quòd miſericordia plenus conſulere ſaluti hominum amet. *Neque enim venit filius hominis, ait ipſe, vt iudicet mundum, ſed vt ſaluetur mundus per eum.* Itaque in hoc tenet aduentu miſericordia præcipuas partes. Neque vero vacat prorſus miſericordia ille alter aduentus. Non enim diceret ſuis Chriſtus. *His ita fieri incipientibus, reſpicite & leuate capita veſtra, quia appropinquat redemptio veſtra.* Habet ergo, habet ſine dubio aliquid lætum & iucundum ſecundus aduentus

Pſalm. 2.

Ber. ſerm. 4. de Adue.

Ioan. 12.

Pſalm. 97.

Ioan. 3.

Luc. 21.

uentus dieſque iudicij. Verum eminebit tot tantiſque partibus ſeueritas ac terror extremus, vt vix illud lætitiæ quod ad pauciſſimos pertinebit, appareat. Itaque iuſtitia tunc diuina maxime excellet, &

Pſalm 9. vt ait Scriptura: *Cognoſcetur Dominus iudicia faciens* Neque enim tunc montes ſtillabunt dulcedinem, & colles fluent lacte & melle: ſed audient potius miſe-

Oſeæ 10. rabiles gemitus appellantium, *Montes cadite ſuper nos & colles operite nos.* Neque ad illum aduentum flumi-

Sapient. 5. na plaudent manu, ſed *concurrent potius duriter flumina.* Quemadmodum ſacræ literæ habent. Ergò cognitiò tantæ calamitatis & cladis, iure optimo in ipſo ſtatim initio ab Eccleſia fidelibus proponitur, vt qui merito iudicem timent, Saluatorem libenter accipiant, & iudicij futuri expectatione commoti miſericordia præſenti ſe dignos præbeant, & *qui Redemptorem læti ſuſcipiunt, vt precatur Eccleſia, venientem*

Greg. homil. 1. in Euang. *quoque iudicem videant ſecuri.* Namque vt Gregorius hodierna homilia dixit, *Aduentum æterni iudicis tanto ſecurius quandoque videbimus, quanto nunc deſtructionem*

Exod. 12. *eius timendo præuenimus* Hoc demum pacto læta triſtibus temperando, fit rite quod ex lege præcipitur, vt ad eſum dulcem agni paſchalis, lactucæ ſylueſtres acerbæque adhibeantur.

2. Etiã externis innotuiſſe iudicij diẽ fore. Fore autem, vt quodam die ſimul homines iudicentur vniuerſi, ſimul cauſæ omnium definiantur, quod fides Chriſtiana obnixè tenet, non ſolum ſacræ literæ propheticæ atque Apoſtolicæ per omnes penè paginas habent, ſed externi quoque ſcriptores teſtatum ſuis literis reliquerunt. Ac primum de Sybillis eſſe dubium non poteſt, quarum verſus Euangelicis oraculis ſimillimos Euſebius Græcè, Augu-

Euſebius in ſermone Dominico, Auguſt. 18. de ciuitate, cap. 23. ſtinus Latinè recitant. *Iudicij ſignum tellus ſudore madeſcet, E cælo rex adueniet per ſecla futurus, Scilicet, in carnem præſens vt iudicet orbem. Vnde Deum cernent incredulus atque fidelis, Celſum cum ſanctis, aut iam termino in ipſo*

ipſo. Et cætera quæ de iudicio vaticinatur Sybilla Erythrea vſque ad viginti ſeptem verſus Lactantius etiam alios quoſdam verſus recitat Sybillæ de tempore extremo iudicij. Beatus etiam Proſper alios refert de Sybilla ſatis vulgata. Deinde Platonis, cuius eſt inter Philoſophos clariſſimum nomen, ſententia extat ea de re admirabilis in dialogo quodam de anima, vbi verba Socratis inducit hæc, *Hoc autem ô viri iuſtum eſt cogitare, ſi anima ſit immortalis, eam non ſolum temporis huius, in quo viuere dicimur, verum etiam vniuerſi gratia, curatione plurimum indigere. Nam graue periculum fore putandum eſt, ſi quis neglexerit animam. Si enim mors totius diſſolutio eſſet, nimirum improbi lucrarentur, cum & à corpore & ab eorum prauitate, cum anima liberarentur. Nunc autem cum anima immortalis appareat, Nulla ſupereſt malorum delineatio, nulla ſalus, niſi vt optima & prudentiſſima fiat. Nihil enim aliud cum migrat ad manes anima ſecum transfert, præter educationem & eruditionem. Quæ quidem ſtatim in principio tranſmigrationis illius, ei qui mortuus eſt, plurimum vel prodeſſe vel obeſſe dicuntur. Ferunt enim quemlibet hinc illuc emigrantem ab eo dæmone, quem viuus ſortitus fuerat, in locum quendam duci, vbi oporteat omnes vna collectos iudicari.* Huc vſque Socratis vel Platonis potius oratio, quæ tum de immortalitate animæ, tum de iudicio futuro, vbi omnes vna collecti iudicentur, veritati conſentanea eſt. Neque dubitamus à primis parentibus humani generis veluti per manus eiuſmodi ſermones de futuro die iudicij traditos à Philoſophis poetiſque conſeruatos. Vnde illud quoque cuiuſdam Poetæ illuſtris, *Eſſe quoque in fatis reminiſcitur affore tempus, Quo mare, quo tellus, quo ſummus & ardeat æther.* Nam à prima origine mundi eius rei cognitionem tanquam maximè neceſſariæ inditam mortalibus, deductamque in poſteros, fidem facere poteſt Iudas Apoſtolus ita ſcribens: *Prophetauit autem de his ſeptimus*

Lactant. lib. 7 c. 19.
Proſper. de diuin. prædict. p 3 c. 20.
Plato in Phedone ſiue de anima.
Ouidius in Metamorph.
Iud. 1.

timus ab Adam Enoch dicens, Ecce venit Dominus in ſanctis millibus ſuis facere iudicium contra omnes, & arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impie egerunt, & de omnibus duris, quæ locuti ſunt contra Deum peccatores impij. Sed cum res in confeſſo ſit, neque teſtibus egeat: illud non abſurde quæritur, quamobrem iudicium illud vniuerſale diuinitus decernatur, cum ſint omnes homines ante illum diem iam iudicati. Nam Apoſtoli Pauli ſententia eſt.

Hebr. 9. *Statutum eſt hominibus ſemel mori: poſt hoc autem iudicium.* Atque in ipſo ſtatim exitu vitæ tam probos quam improbos iudicari, pœnaſque vel præmia pro meritis ſuſcipere, apertè demonſtrat diuitis epulonis & Lazari mendici Euangelica narratio.

Luc. 16. Quod ſi vniuſcuiuſque cauſa à ſupremo iudice, cum primum finit hanc vitam, expeditur, quid opus fuit alio iudicio? An emendari debet in illo, ſi quid in hoc erratum eſt? Ea enim ſolet eſſe ratio humanorum iudiciorum repetendorum. Atqui iudex & idem eſt, & ſcientia actuum omnium æqualis atque vna. Sed magnas ſine dubio rationes habet extremi generaliſque iudicij conſtitutio: eas cognoſcere atque attentius cogitare mirificè pios iuuat.

3. Iudicium externum & viſibile decere naturam hominis ex animo & corpore conſtitutum.

Damaſc. lib. 4. de fide c. 28.

Ac quanuis hæc res, vt omnes diuinæ, plurimas nobis haud veſtigabiles rationes habeat; tamen elucent nonnullæ, quarum tres potiſſimum afferemus. Primum omnis homo animo conſtat & corpore: atque eorum, quæ egit per corpus & animum, non animo ſolum, ſed corpore etiam vel præmia, vel pœnas meritas ſuſcipere debet, quemadmodum Ioannes Damaſcenus ſcite argumentatur. Quare iudicium fiat neceſſe eſt non occultum & ſpirituale tantummodo, quod animi proprium eſt, ſed externum etiam atque viſibile, quod vtrique ſubſtantiæ congruat. Eam ſane cauſam inſinuare mihi videtur

tur Apoſtolus cum ſcribit, *Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal* CHRISTI, *vt referat vnuſquiſque propria corporis, prout geſſit ſiue bonum, ſiue malum.* Quæ verba illud indicant, quoniam bona & mala in corpore geſta ſunt, oportere corporaliter ad tribunal CHRISTI homines ſiſti. Nam ſiquidem ad ſalutem hominum DEVS comparandam homo exiſtere voluit, ita ad eorundem hominum iudicium ſtatuendum homo profecto apparere debet: neque id tacuit ipſe cum dixit, *Poteſtatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis eſt.* Ideo enim. *Pater non iudicat quenquam, ſed omne iudicium dedit filio,* quia filius, non pater, eſt factus hominis filius. Itaque adiungit, *Nolite mirari hoc, quia venit hora quando omnes qui in monumentis ſunt audient vocem eius: & procedent qui bona fecerunt in reſurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt, in reſurrectionem iudicij.* Ergo oculis hiſce atq; hoc corpore, quod ſumus induti, ſpectare habemus iudicem noſtrum Chriſtum, quod improbis ſummo terrori, bonis omnibus ſingulari lætitiæ ſit.

Eadem ratione docet neceſſitatem iudicij generalis. *S. Tho. 3. p. q. 59. art. 5.* *2. Cor. 5.* *Ioan. 5.*

Quorum de numero beatus ille dicebat, *Scio quod Redemptor meus viuit, & in nouiſſimo die de terra ſurrecturus ſum: & rurſum circundabor pelle mea, & in carne mea videbo DEVM Saluatorem meum: quem viſurus ſum ego ipſe & oculi mei conſpecturi ſunt, & non alius, repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo.* Multum ea firmiſſima ſpes ſubleuat animum in laboribus, multum ad vitæ puritatem tenendam iuuat, ſicut ſcriptum eſt. *Et omnis qui habet hanc ſpem in eo, ſanctificat ſe ſicut & ille ſanctus eſt.* Quantum vero fiduciæ, quantum lætitiæ perfectis afferat futuri iudicij dies animo repetita, indicat ſatis beatus Cyprianus exclamans: *O dies ille qualis & quantus adueniet fratres dilectiſſimi, cum cœperit populum ſuum Dominus recenſere, & diuinæ cognitionis examine ſingulorum merita*

Iob 19. *1. Ioan. 3.* *Cyprian. lib. 4. epiſt. 6.*

rita recognoſcere: mittere in gehennam nocentes, & perſecutores noſtros flammæ pœnalis perpetuo ardore damnare; nobis vero mercedem fidei & deuotionis exſoluere. Quæ erit illa gloria, & quanta lætitia admitti vt Deum videas: honorati, vt cum Chriſto Domino Deo tuo ſalutis ac lucis æternæ gaudium capias. Huc vſque Cyprianus.

4. Iudicio vniuerſali Dei iuſtitiam maximè cognoſci.

Ad hæc in iudicio quidem ſingulorum Deus ſanè apparet vt eſt, iuſtus: at in vniuerſo omnium iudicio declaratur iuſtiſsimus. Vt enim in aliquo pulchro corpore, partes ſingulæ per ſe ſpectatæ pulchræ ſunt, eædem ſimul conſpectæ, longe pulchriores exiſtunt, ſic plane iuſtitia Dei toto ſimul orbe iudicato, longe amplius eminet, atque elucet. Vna quidem vox hominis cum ſuauis eſt, ſonat iucunde: eadem cum alijs artificioſè modulatur ſonat multo ſuauius, concentumque mirificum facit. Atque iudicium plane cuiusque per ſe mirabile eſt, omnium autem hominum iudicia ſimul propoſita, vim omni admiratione maiorem habent ad demonſtrandam Dei vel iuſtitiam, vel ſapientiam, vel maieſtatem. Cum conderet orbem Deus per partes ſuas de re vnaquaque narrat ſcriptum *Vidit Deus quod eſſet bonum.* (*Geneſ. 1.*) Iam tota mundi fabricatione abſoluta ſic narrat: *Vidit ergo Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* (*Geneſ. 2.*) Itaque erant ſingula bona, cuncta autem bona valde. Quo pacto de iudicijs ſingulorum, quod iuſta fuerint, de omnium iudicijs ſimul conſpectis, quod iuſtiſsima dicere recte poſsimus. Etenim tunc maxime perſpicietur quæ ſit illa potentia, quæ maieſtas, quæ ſapientiæ magnitudo, quæ illa Dei in bonos magnificentia, quæ in prauos tam extimeſcenda ſeueritas. *Cognoſcetur (inquit Dauid) Deus iudicia faciens.* (*Pſalm. 9.*) Mirabilem tunc cauſæ inter ſe collatæ diuerſæ ſplendorem Dei maieſtatis efficient. Tunc Niniuitę (*Matth. 12.*) Hieroſolymitanos condemnabunt, quod illi pœnitentiam egerint prædicatione Ionæ, hi pœnitentiam

am Chriſti prædicatione non egerint. Tunc Tyrus Sydon Iudaicas ciuitates Bethſaida, Corozaim, & Capharnaum iudicio amplius grauabunt ſuo. Tunc Lazarus pauper & vlceroſus diuitem purpuratum & ſuperbum deſpiciet atque contemnet. Tunc duodecim illi egeni Chriſti diſcipuli duodecim tribus Iſrael iudicabunt. Tunc denique ius dicent in ipſos ſuos iudices, martyres, cæterique ſerui Chriſti, hic modo contempti, conculcati, peſſundati. Quale illud ſpectaculum erit, cernere tyrannos ſuperbiſſimos ante ſanctorum ſubſellia trementes; nudos, pauitantes, demiſſo vultu, totis lateribus palpitantes? *Veniet* (ait Scriptura) *in cogitatione peccatorum ſuorum timidi: & traducent illos ex aduerſo iniquitates ipſorum. Tunc ſtabunt iuſti in magna conſtantia aduerſus eos, qui ſe anguſtiauerunt.* Atque alio in loco, *Exaltationes Dei in gutture eorum, & gladij ancipites in manibus eorum. Ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis: ad alligandos reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis: vt faciant in eis iudicium conſcriptum.* Vocat conſcriptum iudicium, quod ex diuino decreto & lege faciendum eſt, quo ſancti diuinitus data poteſtate impios ſententijs omnibus ſunt condemnaturi. Atque ea rerum viciſſitudo, ea variarum cauſarum collatio, ea permutatio locorum cum de reis iudices, de iudicibus rei fient, vt ſine vniuerſali iudicio conſtare non poteſt, ita præſtat diuinæ iuſtitiæ ſplendorem omnibus modis mirabilem.

Matth. 11. *Luc.* 16. *Matth.* 19. *Sapient.* 4. *Sapient.* 5. *Pſalm.* 149.

Iam tertia huic conſentanea ratio accedit, quod in iudicio ſingulari, vnicuique ſua tantum ſententia nota fiat, at in illo vniuerſali, cæteris omnibus innoteſcit. Nam quid peculiari iudicio cuiuſque peractum fuerit, ni cauſæ communicentur, alij ſcire non poſſunt. Multi ſunt, quos mundus damnat immerito, multi improbi fraude & mendacio tecti, bona pu-

5. Iudicium publicum fieri oportere, vt omnes omnium cauſas & ſententias norint.

na putantur. Quare quid veritas habeat Dei iudicio manifeſto demonſtrabit. *O quot virgines* (Hieronymus exclamat) *& quantorum infamata pudicitia à DEO iudice coronabitur. Quanti illi elingues & muti feliciores loquacibus erunt?* Fama vel infamia hominum non amplius falſos titulos præferent: quid quiſque fuerit, tunc liquidò perſpicietur. Ob eam vel maximè rem neceſſe fuit abſolutis omnium ſingularibus iudicijs, iudicium cunctorum vniuerſale conſtitui, vt vnuſquiſque omnium cauſas, omnes vniuſcuiuſque cognoſcere poſſint. Cuius rei nonnullam ſpeciem præbet inquiſitorum fidei actio illa celebris, quæ fit Hiſpanico perlaudabili more, cum publico theatro conſtituto omnes rei ſimul producuntur, & quæ ſecreto ante iudicio de quouis fuerant latæ ſententiæ, palàm recitatis cauſis, cunctis audientibus, pronuntiantur. Quę res quantum terroris habeat, quam ſuſpenſis omnium animis, quam auribus erectis accipiatur, facilius eſt meminiſſe, quam dicere. Itaque ad eum modum tua quiſquis es, ô homo, ſcelera omnia, flagitia, atque ipſa occultiſſima cogitata vniuerſo orbi patebunt, de te gentes omnes, deque tuis actibus omnibus cognitione accepta pleniſsima ſententiam laturæ ſunt, & iuſtiſsimi iudicis iudicium comprobaturæ. Audi ſi vis te admonentem Deum: *Finis venit, venit finis, ſuper quatuor plagas terræ, & ponam contra te omnes abominationes tuas, & non parcet oculus meus ſuper te: & abominationes tuæ in medio tui erunt.* O comitatu etiam grauem ignominiam. O non ferendum tot vultuum cæleſtium, humanorum atque ipſius præſertim DEI conſpectum. Audi alium item Prophetam. *Reuelabo* (inquit) *pudenda tua.* Si in ipſa ſecreta & ſalutari diuinitus inſtituta confeſsione, apud ſacerdotem vix pudori imperas tuo, ſi tot ſeptus arcani præſidijs, tot ſalutis commodis incitatus, tamen ad patefacien-

Hier. in reg. monachorũ.

Ezech. 4.

Nahum 3.

cīendum occulta tua flagitia trepidas, vixque multa allata tibi præ verecundia aliquid effaris, quid erit cum in omnium hominum conſpectu tua omnia crimina prodentur? quid frontis? quid mentis habiturus es? Magnus quidem Baſilius omni ſupplicio grauiorem cenſet ignominiam illam. Verba tanti patris altius repetam quod & rei de qua agimus perquam accommoda ſunt; & habent ipſa admonitionem valdè ſalutarem. *Si quando te ſenſeris,* (inquit) *ad vnum aliquod cieri eſt proſilire peccatum, mihi ad mentem reuoca formidabile illud nec vlli mortalium tolerabile CHRISTI iudicium, quo quidem præſidet iudex in alto, & ſublimi in throno: Aſtabit autem creatura omnis pr*æ*trepida & intremiſcens ad ipſius glorioſum & illuſtrem aduentum. Eo ſinguli quique ſiſtentur, de his examinandi quæ quiſque geſſit in vivis. Deinde eos qui multa perperam in vita admiſerunt, horrendi quidam ac triſtes circunſtabunt dæmones, ignem paratum contuentes, ignem ſpirantes propter propoſiti amarulentiam, vultum præferentes nocti aſſimilem, pro mœrore atque hominum odio. Subinde conſpicient barathrum in imum patens, tenebras impermeabiles quidem illas, ignemque obſcurum cauſticas quidem vires habentem, luce verò deſtitutum. Inde vermium innumerabilium genus venenoſum ac carniuorum, eſitans quidem ſemper, nec tamen ſe exatians, intolerabiles dolores morſibus infligens. Poſtremò omnium duriſſimam pœnam, probrum illud & verecundiam ſempiternam.* Quæ ſanctiſsimi viri oratio, quanuis tardos & duros animos permouere ac percellere debet. Ergo opportunè cum licet turpitudines noſtras deponamus, maculas eluamus, ne ſempiterna ignominia afficiamur: Dei conſilium amicum, in amicam infidelem capiamus: *Auferat* ait *fornicationes ſuas à facie ſua, & adulteria ſua de medio vberum ſuorum: ne fortè expoliem eam nudam, & ſtatuam ſecundum*

Baſilius in Pſalm. 33.

Oſea 2.

natiuitatis ſuæ. Ea profectò ignominia, & non ferenda turpitudinis meretriciæ nuditas, illius diei propria eſt, cum iudicia Dei antea occulta, manifeſta & aperta ita fient, vt cælum ipſum ac terra omnis iuſtitiæ diuinæ ſuffragijs cunctis teſtimonium dictura ſint. Quare vocem cæleſtium cantorum, & carmen illud Ioannes audiſſe ſe refert. *Laus & gloria & virtus Deo noſtro eſt: quia vera & iuſta ſunt iudicia eius, qui iudicauit de meretrice magna, quæ corrupit terram.* Neque diſsimile illud alterum carmen horum, quod idem recitat, *Magna & mirabilia ſunt opera tua Domine Deus omnipotens: iuſtæ & veræ ſunt viæ tuæ rex ſeculorum. Quis non timebit te Domine, & magnificabit nomen tuum? quia ſolus pius es: quoniam omnes gentes venient & adorabunt in conſpectu tuo, quoniam iudicia tua manifeſta ſunt.* Hoc carmen oro vos nunquam de mente, nunquam de cogitatione deponite: quo diuini timoris pleni diem illum ſanctè & incorruptè expectetis, quo DEI admirabilia iudicia manifeſta quidem omnibus, ſed non æquè omnibus iucunda futura ſunt.

Apocal. 19.

Apocal. 15.

IN EADEM DOMINICA

CONCIO SECVNDA.

Erunt ſigna in Sole & Luna & ſtellis, & in terris preſſura gentium. Luc. 21.

1. Iudicij diẽ inſtar prælij magni in diuinis literis narrari.

DIEM iudicij Scripturæ diuinæ magnum prædicant, & diem Domino proprio nomine vocant, in quo nimirum CHRISTVS regnaturus glorioſè ac de hoſtibus ſuis omnibus victis ac profligatis triumphaturus ſit in perpetuum. Cuius diei magnitudinem, quoniam humanæ men-

mentes ſunt ad cognoſcendam rem tantam imbecilles & infirmæ: multis varijſque modis eędem literæ ſacræ declarant, atque ſimilibus vtuntur ex rebus lōgè diuerſis petitis, quo melius & plenius quod illud negotij ſit, cogitetur. Nam modo vindemiam quandam inducunt, & botros à vinea abſtractos, & calcatos in lacu iræ Dei, quorum tantus liquor vel cruor potius effluxerit, vt frænos equorum calcantium reſperſerit: modo meſſem copioſiſſimam narrant, quæ acutiſſima falce demeſſa fuerit, ex eademque, purgato probè frumento, tum paleæ, tum loliū omne in ignem ſemper arſurum conijciatur. Iam expiſcationem & ſagenam audimus, & piſca[...]s in litore piſces bonos mittentes in vaſa, malos & ineptos proijcientes: iam nuptias & cōuiuium magnificum, atque admitti quidem virgines prudentes & prouidas, fatuas, & importunas quamuis valde pulſent, excludi & repelli. Sed ad diem iudicij illum aptius exprimēdum frequentiſſimum eſt & ſacris authoribus familiariſſimum, prælij cuiuſdam & conflictus acerrimi imagine iram Dei in peccatores atque vindictam tūc penitus effuſam demonſtrare. Sic apud Ioelem legimus: *A facie eius contremuit terra, moti ſunt cæli, Sol, & Luna obtenebrati ſunt, & ſtellæ retraxerunt ſplendorem ſuum. Et Dominus dedit vocem ſuam ante faciem exercitus ſui: quia multa ſunt nimis caſtra eius, quia fortia & facientia verbum eius. Magnus enim dies Domini, & terribilis valde, & quis ſuſtinebit eum?* Hæc licet de Chaldæorum in Hieroſolymam irruptione Hieronymus, & Theodoretus intelligant à Ioele prædicta: tamen præcipuè ad diem iudicij pertinere, cuius ea vaſtatio Chaldæorum, imago fuit, neque ipſi tacent, & tenor prophetici ſermonis apertè indicat. Itaque aduentum Domini ad iudicium tanquam ducis ad prælium committendum feſtinantis deſcribunt, quemadmodum Origines pulchrè commemorat.

Apoc. 14. Ioel. 3. Matth. 13. Matth. 25. Eſai. 25. Ioel. 3. Orig. hom. 30. in Mat.

Hoc igitur ſimile, quo nullum puto aptius afferri poſſe, perſequamur, atque ad omnes ferè partes illius iudicij explicandas, quæ de eo prælio Scriptura commemorat proferamus. Quòd quidem prælium, in quo de ſumma imperij æterni dimicabitur, in primis dignus Deo apparatus antecedet: Quem breui complexus eſt Sapiens, cum dixit. *Armabit creaturam in vltionem inimicorum, & pugnabit cum illo orbis terrarum contra inſenſatos.* Quod verò vſitatum eſt, vt qui ad bellum proficiſcuntur, veſtem mutent, & pro toga ſagum more Romano ſumant, neque togati ſed paludati exeant, vt ipſo tandem nouo militarique habitu bellum inſtare declarent, id mihi planè vidētur milites Dei facere, hoc eſt creaturæ illæ cæleſtes atque hæ terrenæ, quæ appetente iam iudicij die, tanquam pacificam veſtem exuent, militarem induent, vt quicunque vel Solem, vel Lunam, vel aſtra cætera aſpexerit, ex ipſa commutatione habitus, ornamentis omnibus detractis, ſpecie indignationis aſſumpta facilè intelligat, bellum ea omnia vel potius funeſtiſſimam aliquam cladem parare. Huiuſce rei ſigna tunc in omni creatura perſpicua & certa cernere erit. Atque hoc eſt planè quod Euangelium hodiernum commemorat. *Erunt ſigna in Sole & Luna & ſtellis, & in terra preſſura gentium, præ confuſione ſonitus maris & fluctuum.* Quid eſt id aliud, quam quod Scriptura dixit, armari orbem terrarum aduerſus impios? Quis hunc armorum tãtum apparatum ſine magna formidine cogitet? Quis ſine ſummo pauore in ſe conuerſum expectet? quis ad illum funeſtum & triſtem aſpectũ non mæreat? quis tanto ſignificato terrore non vehementiſſimè trepidet? Siquidē ſcriptum eſt: *Tribulabitur ibi fortis.*

Sapien. 5.

Sophon. 1. 2.

Quis imperat quæ tuba, quod ſignũ in illo prælio.

Iam verò quod ſolent Imperatores in ſupremo conflictu facere, cum de ſumma rerum certatur, vt omnibus copijs dimicent, ipſi primi lectiſſimas acies obeant

obeant armati, milites ſuos cohortentur, animos certæ victoriæ pollicitatione accendent, commemoratione iniuriæ hoſtilis extimulent, id planè totum ſummus ille imperator Deus hoc loco egregiè præſtans in literis diuinis inducitur. Nam ſeſe arma induentem ita demonſtrant. *Accipiat armaturam zelus illius, induet pro thorace iuſtitiam, & accipiet pro galea iudicium certum, ſumet ſcutum inexpugnabile æquitatem, acuet autem diram iram in lanceam.* An poteſt egregius dux armis melioribus ac clarioribus indui? At qui armatum probè regem noſtrum videmus, eundem cohortantem ſuos ad prẹliũ, atque rei bene gerendę ardentiſſimè inſtantem ſpectemus. Sic enim alius Propheta narrat: *Dominus exercituum præcepit militiæ belli, venientibus de terra procul à ſummitate cæli. Dominus & vaſa furoris eius, vt diſperdat omnem terram.* Hunc paulò ante ſic ſuos milites alloquentem demonſtrat: *Leuate ſignum, exaltate vocem, leuate manum, & ingrediantur portas duces. Ego mandaui ſanctificatis meis, & vocaui in ira mea, exultantes in gloria mea* Quæ quanuis de Medorum in Babilonios furore prædicta ſint, tamen ad iudicij diem præcipuè referri perſpicuum eſt. Neque deſunt in eo ſupremo mundi conflictu, quæ ſolent in cæteris adhiberi, bellica vaſa, inſtrumenta tubarum atque ſignorum. *At tuba terribilem ſonitum procul ære canoro,* nulla vnquam ita dedit, vt illa quam Ioannes refert his verbis. *Angelus quem vidi ſtantem ſuper mare & ſuper terram, leuauit manum ſuam ad cælum; & iurauit per viuentem in ſecula ſeculorum, quia tempus non erit amplius, ſed in diebus vocis ſeptimi Angeli, cum cœperit tuba canere, conſumabitur myſterium Dei.* Hanc vocem ſeptimi Angeli mox enuntiat, *Et ſeptimus Angelus tuba cecinit: & factæ ſunt voces magnæ in cælo dicentes. Factum eſt regnum huius mundi Domini noſtri & Chriſti eius: & regnabit in ſecula ſeculorum Amen.* Eandem ſeptimi

Sapien.5. *Eſai.13.* *Virgilius.* *Apoc.10.* *Apoc.11.*

Angeli, quem nonnulli Michaelem putant, tubam Paulus commemorat, cum ſcribit, *in nouiſſima tuba, canet enim tuba*: atque alio in loco: *Quoniam ipſe Dominus in iuſſu & in voce Archangeli, & in tuba Dei deſcẽdet de cælo.* Quibus concinit Euangelium, vbi Chriſtus ita denuntiat: *Mittet Angelos ſuos cum tuba & voce magna.* Idcircò Sophonias diem eum tubæ & clangoris appellat, cuius certè ſonitu excitari iam nos atque euigilare par erat. Neque minorem oculis terrorem afferet ſignum Chriſti in die illo, quam tuba excitarit auribus. Nam de ſigno illo ſcriptum legimus. *Et tunc parebit ſignum filij hominis in cælo, & tunc plangent omnes tribus terræ.* Hic Chryſoſtomus. *Crux*, inquit, *Sole fulgentior videbitur: vt Iudæorum impudentia opprimatur, crucem ſecum habens in iudicium veniet.* Sed quoniam Imperatoris ſigníque illius, ac tubæ nouiſſimæ partes explicui, qualis ac quantus exercitus ſit, & quibus modis inſtructus, dicere oportet.

1. Cor. 15. 1. Theſſ. 4. Matth. 24. Sophon. 1. Matth. 24. Chryſ. hom. 77. in Mat. Ioel. 2.

3. Quid futuris præ ſe ferat in illo prælio militia cæleſtis.

Ac Ioel Propheta caſtra Dei in illud prælium & multa eſſe prædicauit & fortia valde. In copijs verò militaribus tum equitatum tum peditum phalãgem conſideramus, vnde totius exercitus vires conſtant. Atque in illo terribili Dei exercitu cum omnis creatura militet, cæleſtis quidem, equitatus locum, peditum terrena tenere videatur. Et quoniam in magnis prælijs equitatus ferè præcedit, deinde peditum phalanges conſerta manu rem gerunt, mox cæſis fugatiſque hoſtibus victricia ſigna in mœnibus atque arcibus eriguntur, tãdem captas vrbes ignis conſumit, deinceps conſideremus quemadmodũ in illo magno Domini die ex ordine illa omnia gerantur. Equitatum ſanè, vt dixi, cogitare poſſumus nobiliſſimam creaturam Angelicam & cæleſtem. Angelos non defuturos officio, qui ſunt *potentes virtute ad faciendum verbum illius*: ex quibus vnus nocte vna centum octoginta quinque hominum millia cædere valuit. Chriſtus

Pſal. 102. 4. Reg. 19.

ſtus expoſuit cum dixit: *Virtutes cælorum commouebuntur*, inuſitatum & properatum quendam curſum ſignificans, vt non jam hominibus adminiſtrent ſalutem, ſed certum potius interitum afferant. Ipſi *cæli magno impetu tranſient*, teſte Petro: Deo quippe irato neceſſe erit omnium procerum ſtatum commoueri. Quid cæli præclariſſima portio, Sol, Luna, ſidera omnia? *Sol inquit obſcurabitur, Luna non dabit lumen ſuum, & ſtellæ cadent de cælo.* Quis ad illum Solis triſtiſſimũ conſpectum non mœrebit? Quis Lunæ ſanguineum fuſcumque colorem aſpiciens, aſtrorumque fulgores extinctos non expaueſcet? *Erunt ſigna in Sole & Luna & ſtellis.* Quam funeſta quam viſu horribilia ſigna? Neque ſolum Euangelia id loquuntur, neque Prophetæ ſolum Eſaias, & Ioel & Ezechiel: verumetiam & Sybillæ, quarum verſus Auguſtinus recitat, *Eripitur Solis iubar & chorus interit aſtris: Soluetur cælum, lunaris ſplendor obibit.* Itaque quanuis nonnulli Patres aliter interpretentur: tamen cetriſſimum eſſe debet, ea omnia ad terrorem comparata, ita ſpectanda eſſe, vt prædicantur. Deficiet reuera lux Solis, & facies illius pulcherrimi ac lætiſſimi aſtrorum principis, pulla tunc ac triſtiſſima mortalibus apparebit: Luna cruento quodam atrore luctũ ſimul atq; irã demonſtrabit: ſtellæ omnes ſiue lucidiores illę, quos Planetas vocant, ſiue affixę firmamento, quoniam ab oculis intuẽtium nullis nubibus obductæ paulatim ſubducentur, cadere videbuntur. Nam quod Matthæus dixit, *ſtellæ cadent de cælo*, hoc Eſaias explicat. *Quoniam ſtellæ cæli & ſplendor earum non expandent lumen ſuum:* hoc etiam Ezechiel alijs verbis, *Operiam cum extinctus fueris, cælum, & nigreſcere faciam ſtellas eius: Solem nube tegam, & Luna non dabit lumen ſuum,* hoc denique Ioel apertius: *A facie eius contremuit terra, moti ſunt cæli: Sol & Luna obtenebrati ſunt, & ſtellæ retraxerunt ſplendorem ſuum.* Quid hic in tanta tamque terribili cæleſtium pote-

Matth. 24. *2. Pet. 3.* *Matth. 24.* *Eſa. 13.* *Ioel. 2.* *Ezech. 32.* *Aug. lib. 18. de ciuit. c. 23.* *Matth. 24.* *Eſai. 13.* *Ezech. 32.* *Ioel. 2. 3.*

poteſtatum indignatione & fremitu agat infelix homo? Quis Dei iræ reſiſtere poſſe confidat? An poteſt quicquam formidoloſius & terribilius cogitari, quā quod idem Propheta Ioel protinus adiungit, & nos repetere ſæpe oportet, *Et Dominus* (inquit) *dedit vocē ſuam ante faciem exercitus ſui, quia multa ſunt nimis caſtra eius, quia fortia & facientia verbum eius: magnus enim dies Domini, & terribilis valdè, & quis ſuſtinebit eum*

4. Pugna elementorum præcedens iudicij diem contra peccatores.

Cæleſtis quidam militia ita pugnabit aduerſus impios, ac cæli facies, cuius eſt lumen iucundiſſimum aſpectu, mœſtiſſimè velata, triſtitiam vehementem angoremque afferet, motus autem & conuerſio illa ordinatiſſima veluti diſſoluta compage, inæquali ac diſſimili curſu pauorem maximum incutiet: chorus ipſe ſiderum pulcherrimus, noua ſignificatione furoris nihil non violentum præ ſe feret. Superna verò orbis parte ita pugnante, non erit inferioris creatura velut pedeſtris exercitus remiſſior opera. Terram fragoribus maximis agitandam ab Eſaia eſt prædictum his verbis: *Cælum turbabo, & mouebitur terra de loco ſuo propter indignationem Domini exercituum, & propter diem iræ furoris eius.* Cui Dauid & Aggæus, & Apocalypſis Ioannis abundè atteſtantur, terræ motum futurum tunc omnium maximum, qui vnquam extiterint. Terram verò atque illius partes, montes, & valles, & tumulos, æmulabitur in pœna impijs irroganda mare: cuius tantam procellam atque eam fluctuum magnitudinem, cum æſtum & ſonitum Saluator denuntiat, vt exareſcant homines præ timore. *Erit*, inquit, *in terris preſſura gentium præ cōfuſione ſonitus maris & fluctuum, areſcentibus hominibus præ timore.* De toto enim elemento hoc aquæ, quod eſt in genus humanum alioqui placidum & maximè commodum, tunc verò atrociter furens, in ſapientia ad hunc modum legimus: *Excandeſcet in illos aqua maris, & flu-*

Eſai. 13.
Pſal. 75.
Agg. 2.
Apocal. 16.

& flumina concurrent duriter, contra illos ſtabit ſpiritus virtutis, & tanquam turbo venti, diuidet illos, & ad eremum perducet omnem terram iniquitatis illorum. Terra & mari ita ſæuientibus, ipſe aer, cuius ſtatu vitam hanc ducimus, non mitiorem ſe dabit, qui præter infectionem peſtiferam, etiam oſtentis inuſitatis, & funeſtiſſimis ſummo omnes terrore percellet? neque terrebit ſolum monſtris, verumetiam ignitis iaculis conficiet: de qua re in eodem libro Sapientiæ ſcribitur: *Ibunt directè emiſſiones fulgurum, & tanquam à bene curato arcu nubium exterminabuntur, & ad certum locum inſilient, & à petroſa ira plenæ mittentur grandines.* Apocalypſis verò ſic ait: *Et ſeptimus Angelus effudit phialam ſuam in aerem, & exiuit vox magna de templo à throno dicens, factum eſt. Et facta ſunt fulgura & voces & tonitrua, & terræ motus factus eſt magnus, qualis nunquam fuit ex quo homines eſſe cœperunt ſuper terram, talis terræ motus ſic magnus.* Ac mox: *Et grando magna ſicut talentum deſcendit de cælo in homines, & blaſphemauerunt Deum homines propter plagam grandinis, quoniam magna facta eſt vehementer.* Omnium denique elementorum acerrimus ignis extremas partes in hac concertatione obibit, ac velut firmiſſimo robore, creaturarum pro Deo pugnantium agmen claudet, ſceleſtosque impreſſione facta funditus euertet ac profligabit. De quo ſcriptum Petrus reliquit: *Adueniet autem dies Domini vt fur, in quo cæli magno impetu tranſient, elementa vero calore ſoluentur: terra autem, & quæ in ea ſunt opera, exurentur.* Et in Pſalmo. *Ignis ante ipſum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius.* Daniel quoque eodē modo, *Fluuius igneus rapiduſque à facie eius egrediebatur.* Sybilla denique Erythrea, vt Auguſtinus recitat. *Decidet è cælis igniſque & ſulphuris amnis.* Quæ ſi vera ſunt intelligere facilè poteſtis, fratres, quam ſit illud formidandum certamen, quod pro iuſtitia contra iniuſtos, orbis terrarum atque

Sapient. 5.
Sapient. 5.
Apocal. 16.
2. Pet. 3.
Pſalm. 96.
Dan. 7.
Aug. 18. de ciuit. c. 23.

Greg. hom. 35 in Euangel. que vniuerſa ſimul creatura ſuſcipiat: vt qui in cunctis deliquimus, vt Gregorius ait, in cunctis feriamur, & qui omnium regem omnia nobis benigne largientem ingrati offendimus, omnium rerum aduerſum nos conuerſa tela ſentiamus. Placet Beati Hippolyti verba referre de eius temporis anguſtijs &

Hippolyt. de conſummatione mundi. terroribus. *Tunc ſonabit tuba & excitabit dormiẽtes è profundiſſimis terræ: & omnes aſtabunt expectantes iuſti atque terribilis iudicij aduentum in timore & tremore inenarrabili. Fluuius enim igneus egrediẽs cum furore inſtar maris ſæui exuret montes & colles, & mare delebit, & æthera inflammatione diſſoluet. Stellæ cadent de cælo, Sol conuertetur in tenebras, & Luna in ſanguinem, cælum more libri voluabitur. Exuretur vniuerſa terra propter opera, quæ in ea corruperunt homines.* Quis ad hæc Hippolyti verba non

Iob. 31. perhorreſcat? Quæ cum ita ſint merito B. Iob ita ſe comparabat, vt ab ea cogitatione auelli nunquam poſſet, quis ipſe eſſet, quis ille quem iratum ferre nõ poſſet. *Semper* (inquit) *quaſi tumentes fluctus timui Deum, & pondus eius ferre non potui.* Etenim quis & quantus es homo peccator, vt ex altera parte obſiſtere his tantis Dei exercitibus poſſis? aut qua ratione, qua mente pugnare cum ijs copijs & congredi Queas? Quæ vires, quæ opes, quæ copia miſero ſuppetunt, vbi ipſam tuam conſcientiam infeſtam tibi reperturus ſis omni præſidio deſtitutus, omni defenſione nudatus? Si ſapimus, fratres, opportunè conſulamus nobis, irẽ noſtram perditam, dum licet, pœnitentiæ conſilijs recuperemus: iram furoremque diuinum pijs ſtudijs, eleemoſynis copioſis, precibuſque omnibus placemus. Idcircò nunc ictum minatur, ne feriat gladium intentat vt vulnus euitemus. Quippe *Non*

Ezech. 18. *vult mortem peccatoris, ſed potius vt conuertatur & viuat.*

IN

IN EADEM DOMINICA Concio Tertia.

Areſcentibus hominibus præ timore & expectatione quæ ſuperuenient vniuerſo orbi. Luc. 21.

IOANNES in Apocalypſi ſcribit vidiſſe ſe Angelum volantem per mediũ cælum, Euangelium æternum tenentem, & voce maxima prædicantem: *Timete Deum & date illi honorem, quia venit hora iudicij eius.* Chriſtus verò Dominus bene nos admonet, cũ timere, qui poteſt & corpus & animã perdere: vtilis plane timor is eſt, qui peccata cohibet, & commiſſa diluit: His enim tanquam clauis confixa mens iuſti, vitijs ac cupiditatibus prauis non permouetur. Nam *cum caro*, vt ait Sanctus Leo Papa, *concupiſcit aduerſus ſpiritum, ſpiritus autem aduerſus carnem, præſidio crucis Chriſti mens rationalis inſtruitur: nec cupiditatibus noxijs ille ita conſenſit, quoniam continentiæ clauis & Dei timore transfigitur.* Quemadmodum dicebat Dauid *Confige timore tuo carnes meas: à iudicijs enim tuis timui.* Nihil eſt enim quod ad continendum animum & lege Dei obfirmandum, æque valeat atque cogitatio aſſidua intentaque diuini iudicij: cuius tanta erit acerbitas, vt præ timore, & formidine, cum cœperit inſtare, homines exareſcant. *Areſcentibus*, inquit, *hominibus præ timore.* Verum vt idem Leo Papa diſtinxit, *Eſt timor, quo fides vera iuſtificat, eſt etiam timor, quo conſcientia iniqua torquetur.* Nos ſi vtilem & ſalutarem timorem, qui ad iuſtificationem valet plurimum, de quo illud Gregorij Theologi eſt veriſſimum. *Dei metus firmus magiſter omnis omnino boni:* Si hunc inquam timo-

Apoc. 14.
1. Quam ſit vtilis & neceſſarius Dei timor hominib'.
Matth. 10.
Leo ſerm. 9. *de Quadrag.*
Pſal. 118.
Leo ſerm. 8. *de Paſ. Domi.*

Gre. Naz. in Iambicis. timorem capeſſere volumus, non omittamus dum licet opportunum eſt, Dei iudicium cogitare, imò verò ipſi nos iudicemus, ipſi tribunal iudicij illud excelſum aduerſus vitam noſtram perditam & mores conſceleratos ſubeamus, animaduerſuri ſeuerè in nos ipſos, Apoſtolicæ ſententiæ memores, *Si noſmetipſos diiudicaremus, non vtique iudicaremur.* Id beatus Iob diligenter aiebat, qui de ſe refert, *ipſe me reprehendo, & ago pœnitentiam in fauilla & cinere.* Ad hoc valent diuinæ minæ, ad hoc tela illa funeſta intentantur, vt declinemus ictum, cum poſſumus, atque ipſo terrore ſanemur. *Dediſti, ait, timentibus te ſignificationem, vt fugiant à facie arcus, vt liberentur dilecti tui.* *In arcis* ait Halarius, *præparatæ ad pœnam impijs iræ terror oſtenditur*, cuius arcus ſagittas is poteſt effugere, qui opportunè præuidet. Quod ſi tempeſtatis ſubito obortæ, dirus turbo, ſolet adeò ſenſum hominum mentemque concutere, ſi fulminis ictus quo minus conſpectus, ita exanimes atq; exangues reddit, quanuis robuſtos & audaces milites, quid erit illa horrenda tempeſtas? Quid ille turbo violentus? quid ignis immenſo terrore vndique ſæuiēs? Nam ludicra hæc & nugatoria ſunt omnia, quæ cernimus, terricula, præ illius diei ſummo terrore, quando Deus ex compoſito ſeſe tremēdum exhibere mortalibus ſtatuet? Audite Hieronymum de ea re diſertè & copioſè loquentem: *Si vmbrato repente cælo, ſolis claritas noſtris aſpectibus denegetur, & producta pluuiæ terris immineant: ſi commotis vt aſſolent, elementis, vt in rotam ſui currus tonitrua concitentur, & dehinc fulgurum iacula palpebris terribiliter obiecta coruſcent: quanquam & conſuetudine iſta contingant, pauemus, contremeſcimus, & proni ad terram depoſita ſuperbia ceruices ſubmittimus. Quid faciemus in illa die miſeri, quando reuoluto cælo cum Angelicis virtutibus igneus Dominus totus adueniet? Quando cadentibus deſuper ſtellis, Sol*

1. Corin. 11.

Iob. 42.

Pſalm. 59.

Hilar. ſup. Pſalm. 59.

Hierony. in regula monachorum. c. de timore vltimi iudicij.

in tenebras, & in ſanguinem Luna mutabitur? Quando omnes ſicut cera liqueſcent? Quando terra ardebit, & areſcent flumina, & maria ſiccabuntur contra rerum naturam, & inſumpto diuinitus humore auiditatem in aquis ignis operabitur? Quando peccatores dicent montibus, cadite ſuper nos, & collibus, tegite nos? Quando vocabunt homines mortem, & vocata non veniet? Quando diſcrimina vertentur in vota, & quod ſemper oderunt homines, concupiſcent? Talium rerum conſideratio, fratres, timorem modo parit fructuoſum & ſalutarem: quo timore compunctio cordis agitur, lachrymæ piæ fluunt, pœnitentia opportuna, non illa inutilis & ſera, ſuſcipitur. Rectè igitur Angelus clamitabat ille, *Timete Dominum quia hora iudicij eius.* Rectè Iob S. monebat: *Fugite à facie gladij, quia vltor iniquitatis gladius eſt, & ſcitote eſſe iudicium.* *Apocal.* 14. *Iob.* 19.

Enimuerò quem timor hic ſanctus & opportunus non commouet nunc, ſupereſt, vt timor ille alter percellat & cruciet, quo conſcientia iniqua torquetur: qui planè timor nullas pietatis lachrymas excitat, nullam ad ſalutem viam oſtendit, ſed excruciat & conficit hominem, & penitus contabeſcere cogit, neque ad pœnitentiam ſalutarem vocat, ſed in deſperationis barathrum immane præcipitat. An non id indicant Euangelica verba? *Areſcentibus hominibus præ timore & expectatione, quæ ſuperuenient vniuerſo orbi.* Quod niſi Chriſtus diceret, afflictũ per exaggerantiam forſitan putaremus. Sed confirmat ita fore veritas ſumma, quæ aut falli, aut fallere nullo pacto poteſt. Eundem miſerrimum & calamitoſum ſtatum hominum perditorum adueniente iudicij die deſcribit Eſaias his verbis: *Vlulate,* inquit, *quia propè eſt dies Domini, & ſicut vaſtitas à Domino veniet. Propter hoc omnes manu diſſoluentur, & omne cor hominis contabeſcet & conteretur. Torſiones & dolores tenebunt, quaſi parturiens dolebunt: vnuſquiſque ad proximũ ſuum ſtupebit, facies combuſtæ vultus*

2. Quantus ſit futurus terror impiorum im pendente die iudicij.

Eſai. 13.

vultus eorum. Quæ prophetica verba iterum atque iterum repetenda & inculcanda ſunt nobis, vt animo conſpiciamus, quantus ſit ille terror, quæ perturbatio, quis imis ſenſibus dolor, quæ rerum omnium extrema deſperatio, hominum infidelium & perditorum. Neque mitiora & iucundiora Ioel vaticinatur. *Quia venit dies Domini, quia prope eſt dies tenebrarũ & caliginis, dies nubis & turbinis; quaſi mane expanſum ſuper montes, populus multus & fortis: ſimilis ei non fuit à principio, & poſt eum non erit vſque in annos generationis & generationis. Ante faciem eius ignis vorans, & poſt eum exurẽs flamma: quaſi hortus voluptatis terra coram eo, & poſt eum ſolitudo deſerti, neque eſt qui effugiat eum. A facie eius cruciabuntur populi: omnes vultus redigentur in ollam.* En quo perueniat pauoris magnitudo, vt mortales inſtar fictilium vaſorum igni excoctorum, humorem omnem vitalem, viresque & ſenſum ipſum oppreſſi, ærumnis & magnitudine malorum amittant. Nam quod Euangelium dixit: *Areſcentibus hominibus præ timore,* hoc Eſaias dixit. *Facies combuſtæ vultus eorum,* hoc Ioel dixit: *Omnes vultus redigentur in ollam.* Hic ſi non penitus deſipimus, euigilabimus. Si quid ſenſus & mentis nobis relictum eſt, excutiemus de manibus nugas, quas verſamur & quibus tenemur: arripiemur ſalutaria conſilia, vt impendentem vndiq; cladem, cogitationi omni maiorem, tempeſtiuè euademus. Neque enim erit tunc effugiendi locus cum omnia infeſta, omnia hoſtilia reperturi ſumus. Amos Proph ſic admonet. *Væ deſiderãtibus diẽ Domini: ad quid eã vobis dies domini iſta, tenebræ & nõ lux. Quomodo ſi fugiat vir à facie leonis, & occurrat ei vrſus: & ingrediatur domum, & innitatur manu ſua ſuper parietem, & mordeat eum coluber. Nunquid non tenebræ dies domini, & non lux: & caligo & non ſplendor in ea?* Hoc propter eos Propheta dicit, qui in diem vltimum differunt bene agere, & deſiderijs bonis fœri, nihil interim ſaluta-

Ioel. 2.

Eſai. 13.
Ioel. 3.

Amos. 5.

lutare pariunt. Quibus id accidet, quod homini fugienti leonem, incurrenti autem in ferum vrſum, vtrunque verò declinare ſatagenti, & per murum aſcendere conanti, ſed vipereo ibi morſu interitu quem fugiebat reperto. Omnes creaturæ armabuntur aduerſus impios: & erit aſpectus occurſuſque terribilis; ſiue in cælum oculos leuent, ſiue ad terram deijciant, ſiue in montes properent, ſiue ſe mari velint committere, omnia ſæua, omnia inimica & infeſta reperient. Quo magis erit ipſa morte mortis timor atrox & horribilis. Id alius etiam Propheta denuntiat: *Vox Dei Domini amara: tribulabitur ibi fortis. Dies iræ, dies illa, dies tribulationis & anguſtiæ, dies calamitatis & miſeriæ, dies tenebrarum & caliginis, dies nebulæ & turbinis: dies tubæ & clangoris ſuper ciuitates munitas, & ſuper angulos excelſos. Et tribulabo homines, & ambulabunt vt cæci, quia Domino peccauerunt.* Quas cæleſtis oraculi voces, qui benignè oblatas repudiat & reſpuit; meritò is in eas extremas ærumnas incidet, quas vecordibus & improuidis ſtultiſque huius ſeculi amatoribus diuinus ſermo comminatur. Placet viri eloquentiſſimi Lactantij Firmiani orationem recitare de temporis illius miſerijs & anguſtijs, vt depicta admoneant ne exhibita crucient & conficiant. *Tunc verò,* inquit, *deteſtabile atque abominandum tempus exiſtet, quo nulli hominum ſit vita iucunda. Eruentur funditus ciuitates atque interibunt non modo ferro atque igne: verumetiam terræ motibus aſsiduis, & eluuie aquarum, & morbis frequentibus & fame crebra: aer enim vitiabitur, & corruptus ac peſtilens fiet, nec terra homini dabit fructum. Fontes quoque cum fluminibus areſcent, vt ne potus quidem ſuppetat, & aquæ in ſanguinem, aut amaritudinem mutabuntur. Propter hæc deficient & in terra quadrupedes, & in aere volucres, & in mari piſces. Prodigia quoque in cælo mirabilia mentes hominum maximo terrore confundent, & crines cometarum, & Solis tenebræ, & ca-*

Sophon. 1.

Lactant. Firmian. lib. 7. *de diu præm. c.* 16.

& color Lunæ, & candentium ſiderum lapſus. Nec tamen hæc vſitato modo fient, ſed exiſtent ſubito & ignota & inuiſa oculis aſtra: Sol in perpetuum fuſcabitur, vt vix inter diem noctemque diſcernatur. Luna iam non tribus deficiet horis, ſed perpetuo ſanguine effuſa meatus extra ordinarios peraget: ſtellæ vero creberrimæ cadent, vt cælum omne cæcum ſine vllis luminibus appareat. Montes quoque altiſſimi decident, & planis æquabuntur, mare innauigale conſtituetur. Ac ne quid mali hominum terræque deſit, audietur è cælo tuba, itaque trepidabunt omnes, & ad luctuoſum illum ſonitum contremiſcent. Huc vſque Lactantius.

3 Vnicuique hominum inſtare diem iudicij.

Quæ quidem omnia diuinitus denuntiata & oſtenſa cum attentis animis ſuſceperimus conſideranda, & crebrò nobiſcum agitanda, ille erit plurimus & maximus fructus, vt vitam modo talem inſtituamus, qualem cupimus in illo die vltimo inueniri. Neque enim tunc emendandæ & in melius mutandæ tempus erit. Rapiemur ſubitò ad tribunal iudicis, moras patietur nullus apparitor durus, qui nos ad iudicium ſiſtet, ſpatia conſtitutus dies maiora nemini permittet. Neque vero illa nos inſipiens cogitatio fallat, diem iudicij procul abeſſe, tempus eſſe interiectum prolixum: territamenta iſta longè ſuperioribus iam ætatibus cani ſolita: neque tamen rerum quicquam eſſe commutatum. Eam impiam vel potius ſtultam cogitationem Petrus excutit acriter ita ſcribens. *Venient*, inquit, *in nouiſſimis diebus in deceptione illuſores, iuxta proprias concupiſcentias ambulantes, dicentes. Vbi eſt promiſſio aut aduentus eius? ex quo enim patres dormierunt, omnia ſic perſeuerant ab initio creaturæ.* Quam rationem ita refellit vt doceat exemplis veteribus de rebus futuris iudicandum. Sic olim tempore Noe incredulos inopinato & ſubitò diluuio periiſſe, cui rei ſimilem mundi interitum Saluator fore prædixit, hoc excepto quod tunc aqua, mox igne mundus

2. Pet. 2.

Matth. 24. Luc. 17.

dus diſſipabitur & delebitur. Sed verbis Apoſtolicis melius hoc cognoſcetis, ita etiam ſequitur. *Latet enim eos hoc volentes, quod cæli erant prius & terra, de aqua & per aquam conſiſtens Dei verbo: per quæ ille tunc mundus aqua inundatus perijt. Cæli autem qui nunc ſunt, & terra eodem verbo repoſiti ſunt, igni reſeruati in die iudicij, & perditionis impiorum hominum.* Si per aquam, inquit, mundus interijt tunc, qui ex aqua & per aquam cõſtabat; quanto magis diſſolui per ignem poterit eodem illo Dei omnipotentis verbo iubente: Sed quæ ſit ratio moræ quam cernimus, exponit iam: *Vnum verò hoc non lateat vos chariſſimi, quia vnus dies apud Dominum ſicut mille anni, & mille anni ſicut dies vnus. Non tardat Dominus promiſſionem ſuam, ſicut quidam exiſtimant; ſed patienter agit propter vos nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reuerti. Adueniet autem dies Domini vt fur.* Ita Petrus ſapienter atque diuinè moras Domini patientiæ & correctionis ac pœnitentiæ noſtræ expectationi deputat: finem tamen inſtare docet incertum, ne quis deſidia torpeat. Itaque merito celeriter venturum Dominum, imo omni temporis momento iam venientem exiſtimare debemus. *Ecce iudex, ait Iacobus, ante ianuam aſſiſtit.* Neque ſecus per Malachiam ipſe Deus: *Et accedam ad vos in iudicio, & ero teſtis velox maleficis & adulteris & periuris, & qui calumniantur mercedem mercenarij viduas & pupillos, & opprimunt peregrinum: nec timuerunt me, dicit Dominus exercituum.* Quem Iacobus dixit iudicem foribus iam aſtantem, eundem Malachias teſtem vocat velocem, cuius teſtimonio firmiſſimo & iudicio incorrupto nequaquam poteſt reus miſerrimus repugnare. Quod ſi interituri mundi ſigna non conſpicamur, ſi Solem, Lunam, ſidera omnia nihil adhuc triſte & funeſtum denuntiare cernimus, ſi terram conſiſtere quietam, mare nullis extraordinarijs procellis fremere videmus, haud ideò nos libe-

2.Pet.2.

Iacobi 5.

Malach.3.

ros & ſolutos putemus timore iudicij. Mortem vnuſquiſque ſuam cogitet, quæ & incerta eſt, & ſine dubio feſtinat. Tunc ſibi mundum interire intelligat, cum ipſe interit mundo. Nam vt Hieronymus dixit, *Dies Domini intelligendus eſt non ſolum iudicij dies, verum etiam exitus vniuſcuiuſque de corpore: quod enim iudicium futurum eſt omnibus, hoc in die mortis impletur* Quare benè Auguſtinus admonet, atque ita diſſerit: *Cur omnibus dicit, quod ad eos ſolos pertineat, qui tunc erunt? niſi quia ad omnes pertinet eo modo quo dixi. Tunc enim vnicuique veniet dies ille, cum venerit ei dies, vt talis hinc exeat, qualis iudicandus eſt illo die. Ac per hoc vigilare debet omnis Chriſtianus, ne imparatum eum inueniat Domini aduentus. Imparatum autem inueniet ille dies, quem imparatum inuenerit ſuæ vitæ huius vltimus dies*. Qua ſanctiſſimi ac ſapientiſsimi Patris commentatione nihil eſſe vtilius poteſt, nihil verius. Quamobrem ſi prudenter cogitamus, ita nos comparare debemus, vt nobis iam iam imminere atque adeò incumbere iudicij vltimum diem arbitremur. Nam quod ad nos attinet, tunc nobis mundus iſte finitur, cum vita finitur. Signa quoque illa mundi occumbentis in ipſa noſtra morte non deſunt. Quid enim aliud Salomon agit, cum accuratiſsimo ſermone ſic adhortatur? *Memento creatoris tui in diebus iuuentutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis, & appropinquent anni de quibus dicas, non mihi placent: antequam tenebreſcat Sol & Luna, & lumen & ſtellæ, reuertantur nubes poſt pluuiam; quando commouebuntur cuſtodes domus, & nutabunt viri fortiſſimi.* Quæ quidem cum ſequentibus de interitu cuiuſque dici manifeſtum eſt, & tamen ad mundi interitum, vt etiam Hieronymus animaduertit, pertinere videntur. Omninò res eſt conſideratione digniſsima, quemadmodum Iob ipſum iam vitæ exitum decum-

Hier. ſuper Ioel. cap. 2.

Aug. epiſt. 80. ad Heſychium.

Eccleſ. 12.

ben-

benti homini Sol ille rationis obſcuretur, ſtellæ ſenſuum decidant, Luna cogitationis obueletur & lugeat: cerebri imber viuicus vacuis veluti nubibus nō ſtillet, ipſa oſſa quæ domum hanc mortalem cuſtodiunt, tanquam firma præſidia, iam tunc vacillent commota ac titubent. *Quando nutabunt*, inquit, *viri fortiſsimi*. Res nimirum agitur ſumma, de vita immortali & beata, vel de interitu & ęrumnis ſempiternis: atque expectatio illa eorum malorum quæ superuenient animæ infelici, non poteſt non tenere ſuſpēſos atque attonitos animos mortalium: cum præſertim iudicium illud repeti non poſſit, neque vlla ratione reuocari, quæ fuerit ſemel pronuntiata ſententia.

IN EADEM DOMINICA
CONCIO QVARTA.

His autem fieri incipientibus, reſpicite & leuate capita veſtra quia appropinquat redemptio veſtra. Luc. 21.

DIFFICILE eſt intelligere quemadmodum fine mundi lætandum ſit, quod Chriſtus Deus noſter præcipit ſuis, cum dies ille omnibus mortalibus horribilis ſit & pertimeſcendus. Amos quidem Propheta contra clamitat, *Væ deſiderantibus diem Domini. Ad quid eam vobis? Dies Domini, iſta, tenebræ & non lux.* Quod ſi impijs id dictum eſſe reſpondeas, quid de iuſtiſſimis Iob & Daniele, & Dauide ſentias: An Iob non ſunt verba illa. *Quis mihi hoc tribuat, vt in inferno protegas me, & abſcondas me donec pertranſeat furor tuus.* An Dauid in Pſalmo non canit:

1. Scripturas docere & timendū eſſe & exoptandum diē iudicij.

Amosi 5.

Iob. 14.

Pſal. 142.

Dan. 7. *Non interes in iudicio cum ſeruo tuo, quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens.* Nũ Daniel de ſe non ſcribit, cũ futuri extremi judicij imaginem conſpexiſſet, *Horruit ſpiritus, ego Daniel territus ſum in his, & viſiones*

Ezech. 14. *capitis mei conturbauerunt me.* Cuius vero fuerit ſanctitatis Daniel quem inter tres iuſtos Scriptura commemorat, nemo neſcit. At quod hic Euangelium monet, vt inſtante die iudicij, & mundi machina fatiſcente, Apoſtoli erigant vultus, & læto animo iudicis aduentum expectent, qui eos ſit è ſeruitute diuturna, ac graui erepturus, docent diuinę ſcripturę iuſtis omnibus eſſe faciendum. Itaque non tam pertimeſcendum, quam appetendum atque exoptandum diem eum diem vltimum aduentumque Domini

2. Tim. 4. proponunt. Paulus ita loquitur: *Bonum certamen certaui, curſum conſumaui, fidem ſeruaui: in reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iuſtus index.* Ac ne videretur vnius Pauli id eſſe gaudium atque ea fiducia, adiungit. *Non ſolum autem mihi, ſed & iis qui diligunt aduentum eius.* Paulo Ioannes con-

Apocal. 22. ſenſit Apocalypſi: *Et ſpiritus,* inquit, *& ſponſa dicunt, Veni. & qui audit, dicat, veni.* Eſt poſt pauca, *Etiam veni citò. Amen. Veni Domine Ieſu.* Quibus verbis exprimitur iuſtorum deſiderium Dominici aduentus Petrus verò Apoſtolus non ſolum optare & expectare iubet Chriſti diem, ſed etiam properare, tanquam ad coronam & regnum. Sic enim loquitur: *Cum igitur hæc om-*

2. Pet. 3. *nia diſſoluenda ſint, quales vos eſſe oportet in ſanctis conuerſationibus & pietatibus expectantes & properantes in aduentum diei Domini?* Cum ergo aliæ Scripturæ formidandum ac pertimeſcendum etiam iuſtis diem judicij doceant, aliæ exoptãdum, & magna cum lætitia excipiendum, quonam ſe modo res hæc habeat, attentius conſiderandum eſt. Nam ſecum pugnare Dei verba, nemo vel inſanus exiſtimet.

2 Male quoſdam niquos

Ac primum oportet tria hominum genera Dei iudi-

iudicium expectantium cognoſcere. Sunt enim qui cum improbi ſint, & magnorum malorum rei: tamē præ cordis cæcitate & ſuperbia, iuſti ſibi eſſe videntur, ac iuſtos ſe alijs probare volunt, qualis ille in Euangelio Phariſæus erat, qui ita orabat, *Deus gratias ago tibi quia non ſum ſicut cæteri hominum: ieiuno bis in Sabbato, decimas do omnium quæ poſſideo,* & cætera. *Sunt enim impij: ait Salomon, qui ita ſecuri ſunt, ac ſi iuſtorum opera habeant.* Hi iudicia Dei non pertimeſcunt, quin ſe potius optare ſignificant, quaſi conſcientia ſua tuti ſint. Aduerſus hos vaticinatur Amos. *Væ deſiderantibus diē Domini vt quid eam vobis? Dies Domini iſta, tenebræ & non lux.* Quo loco præſtat audire Hieronymum præclarè differentem: *Decuditur,* inquit, *confidentia ſuperborum. qui vt apud homines iuſti appareant, ſolent diem expectare iudicij & dicere: Vtinam veniat Dominus, vtinam nobis liceat diſſolui & eſſe cum Chriſto. Ex hoc enim ipſo quod diem domini deſiderant & non pertimeſcunt, digni ſupplicio iudicantur, quia nullus hominum abſque peccato eſt. Et aſtra immunda ſunt coram eo: & concluſit omnia ſub peccato, vt omnium miſereretur. Cum igitur nemo poſſit de Dei iudicare iudicio, & de otioſo quoque verbo reddituri ſimus rationem, quæ temeritas eſt audire cum Corinthiis, ſine nobis regnatis?* Et poſt pauca: *Solemus in anguſtijs & tribulationibus dicere, vtinam mihi liceat exire de corpore, & ſeculi huius miſerijs liberari: neſcientes quod quandiu in hac carne verſamur, habemus locum pœnitentiæ: ſi autem receſſerimus, audiemus illud Prophetæ, In inferno autem quis confitebitur tibi?* Ita quidem Hieronymus, opportunè admodum mea ſanè ſententia tum ſibi placentium & ſuperborum falſam de ſua iuſtitia opinionem refellens, tum eorum redarguens ſtultas voces & ſenſus perquam ineptos, qui cum cauſam peſſimam habeant: tamen iudicium Dei incorruptum facilè ſibi accerſunt. De hoc genere hominum, qui cum habeant multum quod timeant: nihil

Optare diem iudicij cum formidare potius debeant.

Luc. 18.

Eccleſ. 8.

Amos 5.

Hier. ſuper Amos 5.

Pſal. 6.

nihil tamen aut parum admodum timent iudicium Dei, illud mihi videtur eſſe certiſſimum, quod Beatus Gregorius ſcripſit, quo timeant, eſſe terrendos. Terreri aio non verbis, quæ facilè contemnunt, ſed duris verberibus calamitatum, ærumnarum, grauium diſcriminum, quæ aut ipſos pungant, aut aliorũ exemplo commoueant. Itaque id diuinitus agitur, cũ ſanandi ſunt eiuſmodi homines duri, ſibiq; fidentes, & vt agatur precibus omnibus à Deo petendum, ſi cui eorum ſalus chara ſit, *Sunt*, inquit ille, *nonnulli qui timere Deum neſciunt, niſi cum vel in ſe experta vel in alijs cognita aduerſitate terrentur: quos proſpera per audaciam eleuant, contraria per infirmitatem turbant.*

Gregor. li. 7. moral. c. 21.

3. Quo pácte iuſti ſic timeant diem iudicij vt tamẽ deſiderẽt.

Heb. 12.

Eſt alterum genus hominum longè ab alijs diuerſum, qui antequã veniat iudicium, Dei timore cõcutiuntur, & timore ipſo ſi quis labis reſidet ex veteribus aut quotidianis culpis & leuibus, ad purũ eluunt: quorum timor paulatim in fiduciam vertitur, atque mœrore ſenſim pauoreque ſublato ſpes firma & lætitia ſuccedit. Tales ſunt ſpiritus iuſtorum perfectorum, vt Paulus vocat. Neque enim id cuiuis iuſtitiæ, & pietatis gradui datum: ſed perfectis, vt dixi, qua poteſt hæc vita perfectione pollere: quæ ſemper habet nihilominus aliquid imperfectum, donec abſorbeatur mortale à vita. De eo genere Haymo autor probatus intelligenda cenſet verba Euangelica, ſic enim loquitur: *In quibus verbis oſtenditur, quia electi diem iudicij non tam debent timere quam optare. Vnde quotidiè poſcunt in oratione dicentes, Adueniat regnum tuum, quod illorũ eſt facere qui gratia Dei ſe præueniẽte, bona ſe operatos eſſe recolunt. Sicut per Ioannem dicitur, Chariſſimi, ſi cor noſtrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus in die iudicij.* Quam Haymonis ſententiam Scriptura ſacra confirmatam meritò probamus. Eſſe tamen in his viris quamuis integritate & ſanctitate prẽſtantibus timoris nonnihil, cum diuinum iudicium futurum cogitatur,

Haymo in expoſit. Eua. Luc. 21.

tatur, multoque magis cum appropinquare atque inſtare iam cernitur, indicant illa diuinarum literarum teſtimonia, *Non intres in iudicium cum ſeruo tuo, quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens.* Et Hieremiæ illud: *Corripe me Domine, veruntamen non in furore, ne ad nihilum redigas me.* Item illud Petri: *Tempus eſt vt incipiat iudicium à domo Dei: quod ſi iuſtus vix ſaluabitur, impius & peccator vbi parebunt?* Exempla non minus probant ſanctorum patrum, quippè cum legamus Hilarionem virum ſanctiſſimum in exitu vitæ trepidaſſe, vt ſeipſum cohortari opus fuerit. *Anima mea ſeptuaginta propè annus ſeruiſti. Chriſto, quid times egredi?* Et Monicæ matri ſanctiſſimæ Auguſtinus timuit, dicebatque proindè. *Væ vitæ etiam laudibili, ſi remota miſericordia diſcutias eam.* Plenæ hiſtoriæ ſunt hac formidine Sanctorum. Manat verò is timor atque formido cum ex propriæ infirmitatis cognitione, tum ex illius ſummæ maieſtatis ſeueritatiſque maximæ conſiderationе. Etenim quàmuis vel nulla ſua crimina agnoſcant, vel ſi qua vnquam admiſſa ſunt, diu multumque purgata ſciant: tamen & latere ſe aliqua occulta pertimeſcunt, quæ Dei ſubtiliſſimo aſpectu prodantur, & vetera quotidianaque peccata ne ſatis non ſint purgata, veteantur. *Nihil mihi conſcius ſum,* aiebat Paulus, *& tamen non in hoc iuſtificatus ſum. Qui enim iudicat me, Dominus eſt.* Iob quoque: *Oſtende mihi quantas habeo iniquitates: In multis offendimus omnes: Et ſi dixerimus quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus.* Ea igitur vna eſt cauſa illius formidinis, quod humanus animus ſeſe penitus & ad imum explorare non poſſit. Altera non minor in celſitudine & maieſtate iudicis ſita eſt, in cuius aſpectu neque ipſe Sol lucet, ſydera obſcura ſunt. *Ecce cæli non ſunt mundi in conſpectu eius: & in Angelis ſuis reperit prauitatem* Quamobrem *columnæ cæli contremiſcunt & pauent ad nutum eius. Et cæli inuoluti ſunt & plicati coram eo ſicut liber.* Adeò puriſſimos eius ocu-

Pſal. 142.
Hierem. 10.
2. Pet. 4.
Hier. in vita Hilario.
Auguſtin. 9. li. conf. c. 13.
1. Cor. 4.
Iob. 13.
Iac. 3.
1. Ioan. 1.
Iob. 15.
Iob. 4.
Iob. 26.

oculos etiam cæleſtis natura reueretur. Scribit ad hunc modum Auguſtinus: *Tam terribile erit iudicium illud, vt etiam ab Angelis timeatur. Quamobrem ergo tunc Angeli contremiſcent, & inde tremor apprehendet eos. Non enim illi habent iudicari. Sed quemadmodum Principe iudicante non ſolum rei ſed & officia, quæ nihil ſibi conſcia ſunt, timore & tremore comprehenduntur propter iudicis terrorem, ita & tunc cum genus humanum iudicabitur, etiam cæleſtes miniſtri pauebunt, & terribili apparatu de iudicis intuentis horrenda formidine contremiſcent.* Quod ſi de Angelis id verum exiſtimat Auguſtinus, quid de hominibus cenſendum erit? Meritò ſanctus Daniel extremi iudicij imagine ſibi propoſita, contremuiſſe ac perhorruiſſe ſe narrat. Meritò beatus Iob inferni carcerem potius eligit, quam iudicis videre iratum vultum. Denique & ſeueritate diuini iudicij, & ſuæ infirmitatis cogitatione etiam viri ſancti formidant. Verum ea formido, fiducia bonæ conſcientiæ & diuinæ benignitatis dulcedine ſuperatur, & paulatim euaneſcit: atque in medijs illis terroris tenebris effulget lux ſuauiſſima diuinæ conſolationis, animum mirificè recreans & reficiens, & iuſtis tunc maximè repetens: *His fieri incipientibus reſpicite & leuate capita veſtra, quoniam appropinquat redemptio veſtra.* Eſſe verò hãc timoris fiduciáq; Sanctorũ de Dei iudicio extremo, vel hominum vnicuiq; vel mundo toti impendenti, rationem veram, qua diuinæ literæ conciliantur, ſi quis cognoſcere liquidò cupit, audiat beatiſſimum Gregorium fusè quidem, ſed diuinè ea de re diſſerentem. *Cum de his omnibus ſemper iudicia diſtricta pertimeſcant* (loquebatur Gregorius de cogitationum leuibus culpis, quas electi in ſe agnòſcunt,) *tunc tamẽ hæc vehementer metuunt, cum ad ſoluendum humanæ conditionis debitum venientes, diſtricto iudici appropinquare ſe cernunt. Et fit tanto timor acrior, quanto & retributio æterna vicinior. Creſcit pauor vicina retributione iuſtitiæ, & vrgente*

Aug. ſerm. 130. de tempore.

Dan. 7.

Iob 14.

Gregor. lib. 24. moral. c. 17. & 18.

gente ſolutione carnis, quanto magis diſtinctum iudicium iam iamque quaſi tangitur, vehementius formidatur. Et ſi ea quæ ſciunt, nunquam ſe prætermiſiſſe meminerunt: formidant tamen illa quæ neſciunt: quia videlicet ſemet ipſos diiudicare & comprehendere omninò non poſſunt, atque vrgente exitu, ſubtiliori terrentur metu. Neque enim tunc cuiuſlibet anima immeritò terretur, quando poſt puſillum hoc inuenit, quod in æternum mutare non poſſit. Hæc poſtquam Gregorius diuinarum literarum teſtimonijs confirmat, adiungit, *Sed quia iuſtorum animæ à leuibus quibuſque contagijs, ipſo ſæpè mortis pauore purgantur, & æternæ retributionis gaudia iam ab ipſa carnis ſolutione percipiunt: plerunque verò contemplatione quadam retributionis internæ, etiam priuſquam carne expolientur, hilareſcunt; & dum vetuſtatis debitum ſoluunt, noui iam muneris lætitia perfruuntur, rectè dicitur, videbit faciem eius in iubilo.* & multa alia quæ proſequitur egregiè. Denique epilogum facit hunc. *De afflicto hoc liberatoque homine, quia prius mœroris amaritudinem, & poſtmodum gaudia conſolationis expreſſit, aptè ſubiunxit. Hæc operatur Deus tribus vicibus per ſingulos, videlicet conuerſionis, probationis, & mortis: quia per tria hæc, & duris prius ſtimulis mœroris afficitur, & magnis poſtmodum ſecuritatis refouetur.* Ecce quemadmodum de ſententia beatiſſimi Patris iudicium Dei inſtans iuſtis formidinem prius, mox fiduciam lætitiamque affert. Quæ alternari ita ſæpè ſolent, mutuoque ſuccedere, vt tamen ſpes & gaudium, victo timore permaneat. Ferè autem quanto eſt vita Chriſto conformior, præſertim in cruce portanda & obedientia ſeruanda, tantò eſt occurſus ad iudicium facilior & lætior. Sed diuina dona pro illius ſumma ſapientia diſpenſantur. Alij enim mœroris & formidinis patiuntur plurimum, vt nihil in futura vita purgandum ſuperſit: alijs facilior & ſecurior exitus contingit, fiducia vincente ac pellente timorē. Neque ob id eos ſanctiores facilè affirmarim.

Ferè

Ferè autem & formidine omnes probantur, & fiducia eriguntur. Quibus autem ipſa vita mors fuit in Chriſto, ij vitam in morte maximè inueniunt: qui verè cum Paulo dicere poſſunt *Cupio diſſolui & eſſe cum* Philip. 2. *Chriſto.* Quibus Chriſtus viciſſim tunc dicit. *Leuate capita veſtra, quia appropinquat redemptio veſtra.*

4. Præueniendum eſſe diē iudicij aſſidua cōſideratione, timore laudibili, actione religioſa.

Sed reſtat tertium genus inter hæc veluti extrema interiectum, eorum qui neque ita praui ſunt, vt illi priores, neque ita perfecti vt poſteriores hi. Sed cum mores Chriſtianos teneant, tamen ſeculi carniſque tentationibus nonnunquam cedunt. Quibus in vniuerſum præcipiendum eſt, vt ſi iudicij diem ſecuri videre velint, iudicium omni die cogitent atque meditentur. Nihil enim perindè valet ad vitāda peccata, & præſentis vitæ tentationes ſuperandas. Qui enim modo manſuetus mitiſque contemnitur, idem iudex mox ſeueriſſimus apparebit. Propterea vtrumque Eccleſia Chriſti aduentum modò ponit ob oculos: vt iram leonis ſæuè rugientis euitemus, confugientes ad manſuetudinem agni tenerè balantis: vt præſepè Saluatoris det fiduciam, ad tribunal iudicis. Qui modo ſuſceperit benignum Dominum, & cogitauerit aliquando venturum iudicem, ex ipſo timore ſuo ſecuritatem inueniet. Qui verò ſecurus nunc eſt, neque ſibi dum tempus eſt, conſulit, experietur longè grauiorem, ſed omninò inutilem aliquando timorem formidinemque iudicij. Bene certè Auguſtinus monet, qui ſic loquitur quodam in Pſalmo: *Timeamus iudicij diem: venturus eſt Dominus. Qui venit humilis, venit excelſus, qui venit iudicandus, venit iudicaturus. Agnoſcamus humilem: vt non expaueſcamus excelſum, amplectamur humilem, vt deſideremus excelſum: deſiderantibus enim ſe propitius veniet: illi deſiderant, qui tenuerunt fidem eius, & fecerunt mandata eius.* Et in eodem Pſalmo antea dixerat: *Nemo ſe fallat: gaudeat iudicandus, qui timuit iudicaturum. Aduocatum miſit tibi, propter illū & per*

Auguſt. in Pſal. 66. in fine.

illum

illum confitere. Age cauſam tuam, & defenſor eſt pœnitentis, & petitor veniæ confitentis, & iudex innocentis. Verè timere poteris cauſam tuam, vbi aduocatus tuus erit iudex tuus. Debet ergo Chriſtianus ſeuerum Dei iudicium quotidiè cogitare, & meminiſſe ſemper illud: *Verebar omnia opera mea, ſciens quod non parceres delinquenti.* Iob. 9. Ne fortè quod minimè expedit, eueniat negligenti, vt læſa ſępè patientia, quod quidem Philoſophus dixit, in furorem vertatur. An non id Paulus valdè commendat cum ſcribit ad hunc modum. *Scimus enim quoniam iudicium Dei eſt ſecundum veritatem, in eos qui talia agunt. Exiſtimas autem hoc ô homo qui iudicas eos qui talia agunt, & facis ea, quia tu effugies iudicium Dei? An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis, ignorans quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam & impœnitens cor, theſaurizas tibi iram in die iræ & reuelationis iuſti iudicij Dei, qui reddet vnicuique ſecundum opera eius.* Rom. 2. In quibus verbis animaduertere facilè poſſumus diuitias miſericordiæ Dei præſentes, ſi negligantur, verti in theſauros iræ & vindictæ futuros. Vtrunque enim Apoſtolus cum emphaſi dicit, illud vt alliciat, hoc vt terreat. Quanto nanque diutius & largius Dei benignitate & clementia vtimur, ſi ingrati inſipienteſque ſumus, tanto eundem acerbiorem aliquando offendemus. Dauidem natura leniſſimum narrat Scriptura, nuntios comiter & perhumanè ad Nabalum Carmeli incolam prædiuitem miſiſſe, aliquid commeatus ſibi ſuiſque efflagitatum: à quo cum eſſet honeſtiſſima petitio contempta, ſuperbeque legatio beneuolentię dignitatiſque plena repulſa, lenitate in iuſtum furorem verſa, protinus de perdendo & funditus euertendo ſtulto & contumaci homine cogitaſſe. 1. Reg. 25. *Tunc ait Dauid pueris ſuis: Accingatur vnuſquiſque gladio ſuo. Et accincti ſunt ſinguli gladijs ſuis: accinctuſque eſt, & Dauid enſe ſuo.* Ac mox, Et ait Dauid, verè fruſtra ſeruaui omnia,

mnia, quæ huius erant in deſerto, & non petijt quicquam de cunctis quæ ad ipſum pertinebant, & reddidit mihi malum pro bono. Ita quidem. Iam mihi in Dauide filium Dauidis Chriſtum cogitate, Chriſti lenitatem & manſuetudinem reuocate in animum: quot quantaque beneficia ex illius præſentia & comitatu ſuſceperitis. Quemadmodum cum diues eſſet & rex à Deo vnctus, tamen inops & exul pro nobis effectus ſit. Nabal contra ſtultum iuxta nomẽ ſuum, hunc mundum, diuitijs præpotentem: à quo Chriſtus ſibi ſuiſque petat ſubſidium. *Quod vni horum feciſtis mihi feciſtis.* Sed duritiam cogita, & quam ſit illud verum quod quæritur de vobis, reddita eſſe à vobis Chriſto mala pro bonis. Verum qui in benefaciendo munificus fuit, & in poſtulando moderatus & comis, idem indignè acceptus atque contemptus, ſeuerus & aſper eſt ad vindicandum. Pueros ſuos armari iubet, creaturas omnes, ſcilicet, in vltionem inimicorum. Quam terribilia, quam atrocia arma cæleſtium virtutum, ac totius terreſtris exercitus? Ipſius vero Dauidis enſem quo accingitur quis non vehementiſſimè pertimeſcat? *Qui habet,* inquit, *Rhomphæam vtraque parte acutam.* Itemque aliàs. *Et de ore eius procedit gladius ex vtraque parte acutus, vt in ipſo percutiat gentes.* Ecquis erit mortalium, qui eius gladij ictum ferre poſſit? Quis ad illam plagam non occumbat? *Ite maledicti in ignem æternum.* Ergo fratres Dauidis noſtri iuſtiſſimam iram timeamus, atque opportunè occurramus venienti, & quæ potuerimus munera ad placandum eum portemus, quod prudentiſſimè fecit Abigail. Munera noſtra eleemóſyna pauperum ſunt, quibus preces pias humileſque adiungamus, vt iram in clementiam conuertamus. Sic Leo beatus in quodam ſermone nos admonet: *Quis ſortem æternorum cruciatuum non paueſcat? Quis mala nunquam finienda non timeat? Sed cum ideò denuntiata ſit ſeueritas,*

Matth. 25.
Apoc. 2.
Apoc. 19.
Matth. 25.
Leo ſerm. 4. de collectis.

ritas, vt miſericordia quæreretur, in diebus præſentibus eum miſericordia eſt largitate viuendum. Miſereantur pauperum, qui ſibi volunt parcere Chriſtum. Ne ſimus igitur vt ille Nabal ſtulti, duri, & ſuperbi, otio & delitijs indulgentes, pauperum contemptores: illius infauſtum & miſerum exitum cogitemus. Cum enim deferbuiſſet vinum, de iracundia Dauidis miniſque commonitus, tanto eſt obſtupefactus terrore, vt ſtatim ſenſu vitaq; propemodum caruerit. *Diluculo,* inquit, *cum digeſsiſſet vinum Nabal, indicauit ei vxor ſua verba hæc, & emortuum eſt cor eius intrinſecus, & factus eſt quaſi lapis.* Ita planè euenit immiſericordibus & duris, qui modo Dei iudicium minimè cogitant: cum ebrietate ſedata voluptatum, iudicis iram ſentiunt, ferre non poſſunt, ipſo metu exanimantur & pereunt. *Cor enim durum habebit malè in nouiſſimo.* Sera eſt tunc iudicij cogitatio, cum ita opprimit vt cauere non ſinat. Quare Auguſtini conſilio commodiſſimo vtamur. *Hic Deus,* inquit, *eſt miſericors: ibi iuſtus. Nam quod non ſtatim in peccatores vindicat, patientia eſt, non negligentia. Vnde valdè timendum eſt, ne quanto diutius expectat vt corrigamur, tanto grauius vindicet, ſi emendare noluerimus. Et ideo rogo fratres, vt cogitemus quales erimus in die iudicij, æterno iudici rationem de libris conſcientiæ reddituri.* Si modo iudicium illud meditati fuerimus, noſque ipſi diſtrictè iudicauerimus, abſoluemur ſine dubio ſententia ſupremi iudicis, & quem habemus nunc Redemptorem tunc intuebimur libenter iudicem.

1. Reg. 25.

Eccli. 3.

Aug. ſer. 20. de verbis Apoſtoli.

IN DOMINICA SECVNDA ADVENTVS.

CONCIO PRIMA.

Cùm audiſſet in vinculis Ioannes opera Chriſti, mittens duos de diſcipulis ſuis. Matth. 11.

1. Fides & amor Ioannis in Chriſtum. *Eccleſ. 6.*

VERE ac ſapienter illud à quodam ſapiente dictum, *Amico fideli nulla eſt comparatio, & non eſt digna ponderatio auri & argenti contra bonitatem fidei illius.* Id ita ſe habere Ioannes Baptiſta perſpicuo documento eſſe poteſt, cuius fides egregia in Chriſtum, cuius ſe amicum non ſolum profitebatur apertè, ſed etiam magnificè gloriabatur, narratione hodierna Euangelica manifeſtè probatur. Primum quod libenter ob prædicandam veritatem, carcerem ac vincula tolerabat: deinde in ipſis vinculis non erat de ſua cauſa ſolicitus, ſed libertatis ſalutiſque ſuæ immemor, illud ſolum curabat, quod ad Chriſti gloriam pertinere animaduertat: poſtremò ſuos ipſe diſcipulos à ſe abſtrahere, & ad Chriſtum traducere ſummis viribus laborabat. Præclarè hoc loco autor quiſquis ſit, eximius certè, qui imperfecti dicitur, ſcribit: *Ioannes ſpecie homo, gratia Angelus, quia nihil carnis erat in eo, niſi ſolus aſpectus, corpore tenebatur in carcere, anima in cælo. Et quod illi faciebat Herodes pro pœna, ille ſuſpiciebat pro beneficio.* Quę quidem officia fideliſſimi ſerui amicique chariſſimi Ioannis, Chriſtus intelligens, eum ſummis pro concione laudibus ornat, & gratiam refert cumulatiſſimè.

Autor imperfecti in Matthæum hom. 27.

mè. Ex quo intelligi poteſt quam ſit verè à Propheta pronuntiatum. *Nimis honorati ſunt amici tui Deus.* Et illud: *Ego diligentes me diligo*, &, *Quicunque honorificaue-rit me glorificabo eum* & de hoc ipſo Ioanne propriè: *Erit enim magnus coram Domino.* Ergo mutua hæc Ioannis in Chriſtum, Chriſti in Ioannem beneuolentia, atque officiorum viciſſitudo declarat mirificè quale illud ſit fœdus & ius amicitiæ, quod toties diuinæ literæ commendant inter Deum & Dei famulos, tales præſertim, qualis hic erat, qui nihil quærebat aliud, nihil cogitabat niſi gloriam Chriſti. *Pſal.* 138. *Prouer.* 8. 1. *Reg.* 2. *Luc.* 1.

Erat igitur in vinculis Ioannes Baptiſta. Neque maleficij cauſa tenebatur, neq; quod fugitiuus eſſet: ſed quod is eſſet, qui vera diceret, neque flecti ad mendacium poſſet, neque adulari principibus noſſet. Primum quemadmodum Ioannis virtus ſit hic patefacta & illuſtrata, cognoſcite. Neque enim inter Dei famulos magnus eſt is, qui ſolum bene agere amat, niſi etiam bene agendo mala perpeti cupiat. De infirmo & contemnendo genere hominum illud Chriſtus pronuntiat, *Ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt.* Sapientis quoque conſilium eſt: *Poſſides amicum, in tentatione poſſide illum.* Nam qui de bene agendo ad bene patiendum procedit, magnos is in Dei Schola progreſſus facit, eſtque Dei filio ſimillimus, de quo ipſe pronuntiat: *Qui mihi miniſtrat me ſequatur, & vbi ego ſum, illic & miniſter meus erit.* Eum gradum ſeruorum Chriſti, eius cauſa indigna patiētium, Petrus extollit laudibus: *Sed & ſi quid patimini propter iuſtitiam, beati;* Beatos vocat ob veritatis teſtimonium male mulctatos. Neque vero refert quicquam, quænam ſint inſtrumenta patiendi, decora ne an abiecta, & vilia. Deum oportet reſpicere, qui iſtis inſtrumentis quanuis abiectis & ſordidis vas ſibi pulcherrimum fabricatur. Vinctus erat Ioannes, tantus vir, propter libidinem fœminæ turpiſſimæ: 2 Propter iuſtitiam pati beatū. *Luc.* 8. *Eccli.* 6. *Ioan.* 12. 1. *Pet.* 3.

Idem Ioannes poſtea ob ſaltatiunculam puellæ leuiſſimæ ac procaciſſimæ, capite truncatur. Quid ipſe Chriſtus Deus noſter? Nonne diſcipuli furacis auaritia proditus, iudicis meticuloſi iniquitate condemnatus eſt? Nemo igitur cum patitur, à quo indigna patiatur, aut quam aliena occaſione conſideret, ſed Dei manum ijs inſtrumentis vtentem potius cõtempletur, ne illud vſurpet, quod canes ſtultiſſimè ſolēt, qui lapidati, ad lapidem, quo ſunt petiti, mordendum fruſtra ſe conferunt.

3 Vera prædicantes male accipi.

Haymo in expoſitione Euang.

Atque id quidem in Ioanne cogitandum, qui libenter, imo iucunde propter iuſtitiam, carcerem atque vincula perpetrabatur. At in ijs, qui talem virum in vincula coniecerunt, quid? Rectè autor nobilis Haymo ſcribit: *Beatus Ioannes Baptiſta propter veritatem quam prædicabat, miſſus eſt ab Herode Tetrarcha in carcerem veluti latro & ſacrilegus. Ob nullam enim aliam cauſam miſſus eſt in carcerem, niſi quia veritatem prædicabat.* Quocirca occurrit animo ſtatim, quam ſit vſitatum & certum vera prædicantes male accipi. Atque ijs ne liberè loquantur, qui ſceleratos mores arguunt, libertatem eripi, carcere eos coerceri, vinculis conſtringi. Num Ioſeph olim non eſt in carcerem datus, quod petulanti ac laſciuæ fœminæ non eſt aſſenſus? Num Daniel ob aliud quicquam, leonum truculentię dilacerandus obiectus eſt, quam quod Deum altiſſimum adorare pergeret? Micheas Propheta Dei, iuſſus regibus adulari, Dei potius ſententiam veram denuntiare Acabo maluit, minimè ei iucundam. Itaque arctiſſime tum vinciri imperatum. Quare mirandum non eſt, ſi Ioanni adulteria Herodis coarguenti vincula iniecta ſint. Ezechielem Prophetam alloquitur Deus ad hunc modum: *Et tu fili hominis, ecce data ſunt ſuper te vincula: & ligabunt te in eis, & non egredieris in medio eorum.* Quid cauſę ſit aduerſus Prophetam, audite:

Gen. 29. *Dan. 6.* *3. Reg. 22.* *Ezech. 3.*

Quia

Quia domus, inquit, *exaſperans eſt.* Nulla alia culpa, non aliqua ratione læſi homines, qui gratificari potius debuerant, malè mulctant. Prophetam: videlicèt veritatem ferre non poſſunt. Eam gratiam mundus refert vera dicentibus. Sic Chriſtum regem noſtrum tractauit. *Vultis me*, inquit, *interficere, quia ſermo meus non cadit in vobis.* Nihil ita improbis odio eſt atque ipſa probitas: ab ea ſe vinci, prodique non ferunt. Præclarè Cyprianus illud: *Malos, qui non imitantur, offendunt.* Quare ab improbis grauiter & iniquè peti id ſummæ gloriæ ducunt boni. Itaque Paulus vinctum ſe gloriabatur, ac vincula ſua iucundè prædicabat: glorioſè ſe ita vocabat, *vinctus Chriſti Ieſu*: & aliàs: *Obſecro vos ego vinctus in Domino* Idem etiam: *Propter ſpem Iſrael catena hæc circundatus ſum.* Quamobrem laudes magis humanæ applauſuſque timendi ſunt ſeruo Chriſti, ne forte Prophetas falſos imitetur, qui pro libidine eorum quibus placere cupiunt, prophetant. Raró enim & vera dicere, & placere auditoribus datur.

Ioan 8. *Cyprianus.* *Philem.1.* *Philip.3.* *Act.28.*

Sed perſecutio iuſtorum, quam impij veritate offenſi moliuntur, Deo conſilia hominum, quo vult, vertente, veritati magis inſeruit, ipſos impios nihil iuuat. In vinculis erat Ioannes: at Chriſti opera diuina in vinculis tractabat, diſcipulos, quos ſolutus & liber non iunxerat Chriſto, ligatus & vinctus, vt voluit, adiunxit. Quam victoriam præclaram vinculorum ſuorum etiam Paulus Apoſtolus commemorat: *Scire autem vos volo* (ait ſcribens Philippenſibus) *quoniam, quæ circa me ſunt, magis ad profectum venerunt Euangelij: ita vt vincula mea manifeſta fierent in Chriſto, in omni prætorio & in cæteris omnibus.* Quare tunc maximè ſeruo Chriſti, ſpiritu creſcere debent, tunc amplior ſpes capienda benè gerendæ rei Euangelicæ, quando laboribus ſe premi, atque perſecutionibus grauari ſenſerit. Daniel obiectus leonibus

4 Perſecutione iuſtorũ cauſum proficere.

Philip.1. *Dan.6.*

& cauea incluſus horribili, de ſuis inimicis triumphauit, quos in palatio Regio purpura & poteſtate clarus ſuperare non potuit. Ioſeph Patriarcha de carcere eſt perductus ad regnum. Meritò Ioannes narratur in vinculis opera Chriſti cognoſcere, quippe cum inter afflictiones & ærumnas Sanctorum, glorioſior Chriſtus exiſtat. Nam de Ioſepho illo ſic ſcribit Propheta, *Humiliauerunt in compedibus animam eius, donec veniret verbum eius. Eloquium Domini inflammauit eum: miſit rex & ſoluit eum.*

Gen. 41.

Pſal. 104.

5 Patienti pro Chriſto confidentius agendum.

Itaque Ioannes oppreſſus carcere & vinculis minimè defecit, minimè deſpondit animum: quin potius maiore ſpe erectus, & ſtudio Chriſti gloriæ inflammatus, nouos Chriſto diſcipulos adiungere parat. O virum admirabilem. O fidei ſingulare documentum. Pulchrè ab autore imperfecti eſt dictum hoc loco, Ioannem ſupra naturam humanam extitiſſe. *Miſſus enim,* inquit, *in carcerem, non de ſuo periculo ſolicitus erat, ſed de aliorum ſalute cogitabat, id eſt, diſcipulorum ſuorum. Cauſa ſane capitis agebatur, iudicem habebat inimicum atque infeſtum. Nihil tamen curæ eſt de aduocato quærendo, nihil de teſtibus producendis, nihil de probationibus, de purgando ſe nihil. Totus eſt in Chriſti factis audiendis atque narrandis, totus in ſuis Chriſto obligandis. Qui hac fide Chriſtum eſt ad extrema vſque proſequutus, nonne eum iure Chriſtus & chariſſimum habeat, & ſummis laudibus exornet?* Eſt enim præclariſſimum eximiæ charitatis teſtimonium quod ſui oblitus Dei ſeruus, in ſuis ipſis laboribus & afflictionibus, Chriſti potius gloriam & laudes cogitet. Pauli & Silæ mementote, quos diuina Scriptura commemorat, multis ac grauibus plagis mulctatos, atque in horridum carcerem coniectos, tamen de nocte media ad Dei laudes canendas excitatos, mirabilem ſui ſplendorem reddidiſſe. Quid hoc aliud quam quod idem Paulus profitetur. *Non ſolum autem ſed & gloriamur in tribulationibus: ſcientes quoniam*

Autor imperfecti in Matth. homil. 27.

Actor. 16.

Rom. 5.

quoniam tribulatio patientiam operatur, patientia vero probationem, probatio autem ſpem, ſpes autem non confundit, quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis. Qui hæc & ſentiunt & dicunt, ijs plane ſimiles mihi videntur, qui in medio fornacis accenſi igne, & deambulaſſe & cantaſſe diuinos hymnos traduntur, habentes nimirum ſocium & comitem filium hominis, id eſt, Chriſtum. *Nonne tres viros* aiebat obſtupefactus inopinato ſpectaculo Rex) *miſimus in medium ignis compeditos? Ecce ego video quatuor viros ſolutos, & ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis in eis eſt, & ſpecies quarti ſimilis filio Dei.* Bene Nabuchodonoſor filium Dei adiunctum notauit tribus, qui Dei cauſa affligebantur: cum dicat Deus: *Cum ipſo ſum in tribulatione.* Bene quoque ſolutos animaduertit, quos ipſe ligatos miſerat, ſiquidem vera eſt vox illa dicentis. *Et in his omnibus ſuperamus, propter eum, qui dilexit nos.* Neque ſolutos ſolum ſed etiam lætos & iucundè canētes refert, quod perpeſſio dolorum & cruciatuum pro Chriſto, in gloriam lætitiamque vertatur. An eſt aliud, quod Apoſtolus prædicat de cruce Chriſti. *Is autem qui ſalui fiunt, Dei virtus eſt, & Dei ſapientia.* Et, *nos autem gloriari oportet in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Nihil dulcius, nihil iucundius animę pro Chriſto patienti, quàm & audire & cogitare, & verò pronuntiare glorioſa & admirabilia opera Chriſti.

Dan. 2. *Pſal 90.* *1.Cor.1.* *Galat.6.*

6 Iam illud etiam hîc animaduertere licet, quantum à Chriſtiana diſciplina aberrent, qui ad leuandos labores ærumnaſque ſuas, inanes quaſdam occupationes & alleuamenta adhibenda putant, ſi vel morbus diuturnior vexet, vel carcer teneat, vel infortunij cuiuſpiam caſus premat, alea diſtinetur, aut turpe & obſcœnum aliquid ad lyram canunt, aut ſe vanis ſpectaculis oblectant, aut denique ineptis & friuolis ſermonibus & colloquijs paſcunt. Hi cum

In eos qui labores ſuos & ærumnas vanis oblectamentis leuant.

 poſſent

poſſent de ærumnis & laboribus magnum fructum referre, malunt ſtultiſſimè, corporis damno, etiam animi perniciem addere. Neque verò quod cupiunt, ſatis conſequuntur. Etenim vana iſta & ludicra alleuamenta, plus ſæpè triſtitiæ linquunt, quam

Prouer. 14. afferunt ſuauitatis. *Extrema gaudij luctus occupat.* Et,

Eccleſ. 2. *Riſum reputaui errorem, & gaudio dixi, quid fruſtra*

Eccleſ. 11. *deciperis?* Atque eiuſdem Salomonis illud hic locum habet. *Adoleſcentia & voluptas vana ſunt.* Vera autem & ſolida Chriſtiani hominis ſolatia ſunt illa, quæ Diuus Auguſtinus commemorat his

Aug. ſuper Pſalm. 62. verbis: *Anima noſtra cum hic in iſta carne tentationes & pericula ſeculi huius adhuc eſt infirma: habet etiam ipſa ſolatia verbi, ſolatia orationis, ſolatia diſputationis. Et quando nos aliquibus neceſſitatibus erudit Deus, vult vt illum plus diligamus: ne fortè per ſaginam corrumpamur, & obliuiſcamur eum, ſubtrahit nobis aliquando, quæ neceſſaria ſunt, & atterit nos, vt ſciamus, quia Pater & Dominus eſt, non ſolum blandiens, ſed & flagellans.* Ergo in laboribus poſiti, fratres, diſcite bene patientes eſſe, & laborem ipſum non vanis, ſed honeſtis, & Chriſtiano dignis voluptatibus leuate. Hieremias adhuc clauſus & conſtrictus vaticinabatur & ſcribebat. Paulus catena circundatus de regno Dei diſſerebat, & ad Euangelicam diſputationem cateruas hominum conuocabat. Denique Ioannes noſter, vt hodierna lectio narrauit, in vinculis cum eſſet, de Chriſto libenter colloquebatur. Beatus ille nimirum eſt, cui in medijs ærumnis laboribuſque ſuis nihil eſt iucundum, nihil ſuaue præter Chriſtum.

IN

IN EADEM DOMINICA
CONCIO SECVNDA.

Es tu qui venturus es, an alium expectamus? Matth. 11.

NON mediocri ratione ſancti Patres adducuntur, vt hanc Ioannis Baptiſtæ interrogationem admirētur, quod aliena valde ab eius viri dignitate videatur: neque aliqua ex parte legatio hæc tota, cum ipſius Ioannis officio conuenire. Quo enim pacto fieri poteſt, vt is dubitet hunc eſſe Chriſtum, qui ob id miſſus diuinitus ad homines ſit, vt annuntiet Chriſtum? Num alius eſt ille ab illo, de quo vaticinatus eſt pater ſenex: *Et tu puer Propheta altiſſimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini parare vias eius. Ad dandam ſcientiam ſalutis plebi eius.* An eius rei ignarus eſt, cuius rei teſtis & index à Deo productus eſt: qui profeſſus apertè fuerat de ſe, *Vt manifeſtetur in Iſrael, propterea veni in aqua baptizans.* Igitur quoniam abſurdiſſimum eſt Ioānem ea in re hæſitaſſe credere, aliò interrogationem nonnulli Patres Ioannis deriuant, vt cum Chriſti dignitatem maieſtatemque cognouerit, tamen aliquid de ipſo ſcire voluerit, quod non ſatis per ſe aſſecutus fuiſſet. Atque Ambroſius quoſdam perhibet ad Chriſti paſſionem Ioannis interrogata referentes, quod difficilè & obſcurum fuerit ei, Dei filium indigniſſimam atque acerbiſſimam perpeti mortem. Itaque, *Tanquam vatem pium,* inquit, *quem venturum eſſe crediderat, nō crediđiſſe moriturum. Non igitur fide ſed pietate dubitauit.* Verum à Chry-

1. Num Ioannes de Chriſto dubitauerit.

Luc. 1.

Ioan. 1.

Ambro. li. 5. *in Luc.c.* 7. *Eodem modo Beda in expoſitione Euangelij. Chryſo. hom.* 37. *in Matth.*

à Chryſoſtomo hæc ſententia iure refellitur: quippe cum Ioannes Chriſtum oſtenderit agnum Dei, qui ea potiſſimum ratione appellatur agnus, quod agni inſtar mitiſſimi, immolandus pro nobis eſſet, vt diuinæ literæ tradunt. Ac neſcio cui nō alieniſſimum à ratione videatur, cum ignoraſſe ſalutare myſterium Chriſti, quod Patribus prioribus fuit manifeſtum, per ſanguinem, ſcilicet, Chriſti mundum eſſe ſaluandum, ſine qua fide vel aperta, vel obuelata nemo vnquàm iuſtificatus eſt, quemadmodum liquidò Paulus confirmat his verbis: *Iuſtitia Dei per fidem Ieſu Chriſti, in omnes, & ſuper omnes, qui credunt in eum, non enim eſt diſtinctio. Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei. Iuſtificati gratis per gratiam ipſius, per redemptionem quæ eſt in Chriſto Ieſu, quem propoſuit Deus propitiationem, per fidem in ſanguine ipſius, ad oſtenſionem iuſtitiæ ſuæ.* Ergo cum redemptionem hominum per Chriſti mortem & ſanguinem futuram Ioannes certiſſime ſciret, illud rogaſſe Gregorius & Hieronymus cenſent. Num poſt obitam mortem ipſe idem deſcenſurus eſſet ad inferos, quo ſe propediem iturum intelligebat, an potius alium eſſet eo miſſurus, nempe vel Angelum vel Apoſtolum, qui incluſos tenebricoſo carcere Patres liberaturus eſſet. Nam ſe properantem cupere aliquid certi ea de re chariſſimis Patribus nuntiare, quo tamdiu dilata eorum ſpes nuntio exoptato erigeretur. Neque enim quod nonnulli opinantur, Hieronymi aut Gregorij ſententia fuit, Ioannem voluiſſe inferno imo damnatis, Chriſti aduentum prædicare, vt ſalui fierent, quos in perpetuum condemnatos, nulla ratio patitur ſalutem vllam conſequi poſſe. At, vt demus eam curam Ioanni ex pietate proficiſci, iniicique potuiſſe; tamen probabilius longe eſt, ne id quidem ignoraſſe Ioannem, quem Prophetis Saluator omnibus antepọnit, neque neſcire putandum eſt quod eſt à quodam

Hier. 11. *Eſai.* 53.

Roman. 3.

Greg. hom. 6. in Euang. Hieron. lib. 7. in Mattheum. quos ſequuntur Beda & Druthmarus.

Chryſoſt. eam ſentētiam refellit: ſed non eſſe Hieronymi vel Greg. gloſſa docet.

dam Propheta de deſcenſu ad inferos: pronuntiatum, *Tu autem in ſanguine teſtamenti, emiſiſti vinctos tuos, de lacu in quo non eſt aqua.* Denique vt Hilarius ait: *Ioannes non ſuæ ſed diſcipulorum ignorantiæ conſulit: ipſe enim venturum in remiſsionem peccatorum prædicauit.* Quare eam totam legationem non ſui docendi cauſa à Ioanne eſſe adornatã, ſed ad diſcipulorum ignorantiam curandam inſtructam, non modo Patres grauiſſimi ſentiunt, Hilarius, vt dixi, Chryſoſtomus, Auguſtinus, & ipſe Hieronymus, ſed etiam ipſa narratio Euangelica Matthæi, ſi attentius conſideretur, perſpicuum facit.

vt S. Thom. in catena habet.

Zachar. 9.

Quæ res vt plenius intelligatur, quoniam habet cùm voluptatis, tum fructus plurimum, altiùs erit nobis exordienda oratio. Ac primum illud tenete memoria, diſcipulos Ioannis Baptiſtæ inuidentia quadam laboraſſe, cum præceptoris ſui ſtudio ducerentur, Chriſti autem gloriam ferre non poſſent. Humanum id eſt ac peruulgare vitium, res tuas, vt ægrè feras, alterius rebus obſcurari & minui. Quin potius *inuidia*, vt ait Ambroſius, *etiam ſanctos adduxit.* Quominus mirandum, diſcipulis Baptiſtæ præſertim rudibus adhuc, inuidiam obrepſiſſe. Cœperat ergo Ioannes Baptiſta prædicare, auditorum confluebat innumerabilis multitudo: baptiſmum inſtituerat, ad quem omnes vndique ſuſcipiendum feſtinabant. Erat incredibilis omnium opinio de Iohanne, vſque eo vt Meſſiæ nomine à pleriſque haberetur. Hunc populus, hunc principes, hunc ſummi ſacerdotes, venerabantur, auſcultabant, colebant. In hac tanta Ioannis gloria, ſubitò de fabrilis operæ tenebris, in quibus diu latuerat, Chriſtus emicuit: ſplendore miraculorum, omnium ad ſe oculos conuertit: docendi ſuauitate & vehementia, animos cum alliciebat, tum obligabat ſibi. Conſuetudinis eius facilitate, communis victus & inceſſus humani-

2 Ioannẽ diſcipulos miſiſſe ad Chriſtum, vt Chriſti opera videntes crederent in eum.

Ambroſius lib. de ſancto Ioſeph, ca. 1.

tate, tum etiam beneficentia erga ægrotos & miſeros ſingulari, homines capiebantur mirificè. Baptiſmum etiam ipſe præbebat, atque diſcipulorum ſuorum opera adminiſtrabat. Hic iam obſcurari quodammodo & decreſcere indies gloria Ioannis: Chriſti fama vbique florere: diſcipuli Ioannis, quod erat neceſſe, præceptorem ſuum vinci ac ſuperari, noui Prophetæ laude, ferre non poſſe: illud maximè indignari, quod baptiſmum à ſuo præceptore primùm inſtitutum, ille alter ſibi vſurparet: (ita enim putabant qui diſcrimen vtriuſque baptiſmi minimè nouerant) neque vſurparet ſolum, verum Baptiſtæ infrequentem faceret, ſibi populum omnium adiungeret. Hac cogitatione & mente, quod inuidia torquerentur, adiiſſe Ioannem aliquando diſcipulos, vt Euthymius hoc loco admonet, Euangelia narrant. Nam altercantes iſtos ea de re, & cum Iudæis contendentes Ioannes Euangeliſta refert his verbis. *Poſt hæc venit Ieſus & diſcipuli eius in Iudæam terram, & illic demorabatur cum eis & baptizabat. Erat autem Ioannes Baptizans in Enon iuxta Salem, quia aquæ multæ erant illic, & veniebant, & baptizabantur. Nondum enim miſſus fuerat Ioannes in carcerem.* Hæc quorſum repetita ſunt, animaduertite: ſequitur enim Euangeliſta & dicit, *Facta eſt autem quæſtio ex diſcipulis Ioannis cum Iudæis, de purificatione. Et venerunt ad Ioannem, & dixerunt ei, Rabbi qui erat tecum trans Iordanem, cui tu teſtimonium perhibuiſti, ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum.* Id nempe, vt Chryſoſtomus pulchrè notat, male eos habebat, id acriter mordebat, quod Chriſtus Ioanni præponeretur. Hac cum eſſent mente diſcipuli, tamen Ioannes, qui eſſet fidiſſimus Chriſto, atque illius gloriæ ſtudioſiſſimus, omnem operam dedit, vt non ſolum inuidiam diſcipulorum, iramque leniret, verum etiam mentes animoſque totos ad Chriſtum conuerteret, vt ſeſe, neglecto ipſo

Euthym. in ca. 11. Matth.

Ioan. 3.

Chryſo. hom. 37. in Matthæum.

ipſo ac contempto, ad illum vnum transferrent. *Itaque* ei ſanando morbo quomodo manum admoueat medicus optimus, nunc videte: *Reſpondit eis Ioannes & dixit, Non poteſt homo accipere quicquam, niſi fuerit ei datum de cælo. Ipſi vos mihi teſtimonium perhibetis, quod dixerim, Non ſum ego Chriſtus, ſed quia miſſus ſum ante illum. Qui habet ſponſam, ſponſus eſt: amicus autem ſponſi, qui ſtat & audit cum gaudio gaudet propter vocem ſponſi. Hoc ergo gaudium meum impletum eſt, illum oportet creſcere, me autem minui. Qui deſurſum venit, ſuper omnes eſt*: Et plura alia quæ Ioannes in eandem ſententiam perſequitur. Quibus omnibus verbis illud diligentiſſimè agit, vt ex diſcipulorum animis nimium in ſe ſtudium euellat, & ad Chriſtum traducat: illum eſſe principem, illum Meſſiam, & Dei filium, qui homines ſaluare & beare poſſit, ſe nihil aliud, quam ipſius miniſtrum, & legatum: neque eſſe ſibi quicquam charius atque iucundius, quam vt ſe contempto atque deſerto omnes Chriſtum ſuſpiciant, Chriſto vni adhæreant. Ea omni adhortatione, cum ſe apud diſcipulos minus quam cuperet, & neceſſe eſſet profeciſſe, Ioannes animaduerteret, nouo conſilio vtitur, & ſpectatores ipſos operum Chriſti mirabilium facere parat, vt qui dictis præceptoris parum obſequentes erant, ſuis certè oculis crederent, ac quãto Chriſtus interuallo ipſum antecederet, rebus ipſis cognoſcerent. Itaque vt Hilarius dixit: *Ad opera eius intuenda diſcipulos miſit, vt autoritatem dictis ſuis illius opera conferrent.* *Hilarius in Matt. can. 11.* Quamobrem hanc hodiernam legationem adornat, & quid de ipſo ſentire homines debeant, quaſi neſciret, rogat: vt reſponſis Chriſti, tum eius & conſpectu ſuauiſſimo, & rerum admirabilium, quas patraturum non ignorabat, contemplatione, diſcipuli tandem ſeruo Dominũ anteponerent, hominem pro Deo relinquere non grauarẽtur.

Fuit

Fuit non minus prudens Ioannis quam fidele conſilium, cum Chriſtus dicat, *Ego teſtimonium habeo maius Ioanne: opera quæ dedit mihi Pater vt faciam, hæc teſtimonium prohibent de me.* Etenim qui teſtimonio Ioannis non ceſſerant, operibus Chriſti confeſtim manus dederunt.

Ioan. 5.

3 Sanctos non ſuam ſed Chriſti gloriam concupiſcere.

Valde id factum declarat Ioannis in Chriſtum fidem perſpicuè oſtendit, & quam fuerit à cupiditate falſæ gloriæ alienus, & quanto ſtudio Chriſti gloriam atque hominum ſalutem ſit proſecutus. Quæ ſit charitas in Deum, quæ fidelitas in Chriſtum, cum caſus ſeruis Dei tales incidũt, tunc maxime profecto cognoſcitur. Hac mente & cogitatione Paulus neque ſe vinctum ægrè ferebat, neque alijs quod liberè Chriſtum annuntiarent, inuidebat, tametſi non recta eius Chriſtum intentione annuntiare ſciret, ſibique ipſi eo modo gloriæ & laudis non parum detrahi ſentiret. Sic igitur ſcribit. *Quidam quidem & propter contentionem & inuidiam Chriſtum prædicant, quidam autem & propter bonam voluntatem. Quidam ex Charitate, ſcientes quoniam in defenſionem Euangelij poſitus ſum. Quidam autem ex contentione Chriſtum annuntiant, non ſyncerè, exiſtimantes preſſuram ſe ſuſcitare vinculis meis. Quid enim? dum omni modo, ſiue per occaſionem, ſiue per veritatem, Chriſtus annuntietur, & in hoc gaudeo, ſed & gaudebo.* Admirandus profecto Pauli ardentiſſimæ charitatis in Chriſtum affectus, de Chriſti gloria lætari eo vehementius, quo maiori cum ſuo detrimento ac dedecore eam parari perſpiceret. Non enim ſuum, ſed Dei gloriam, viri ſancti concupiſcunt. Paulum ſanè vidiſtis: oculos modo in alium Dei fidelem ſeruum Moyſem conuertite, eius viri fidelitatem contuemini, qui cum duo ſenes Eldad & Medad, propter ipſius autoritatem & contubernium, à reliquis ſeptuaginta ſeparati prophetarent in caſtris, idque ægrè admodum ferret Ioſue miniſter, quod ad Moyſis

Philip. 1.

quandam

quandam iniuriam pertinere putabat, repreſſit miniſtri conatum, atque eo facto ſe potius delectari magnopere oſtendit. Itaque Ioſue clamitante: *Prohibe illos Domine mi Moyſes*, ille contra reſpondit, *Quid æmularis pro me? Quis tribuat, vt omnis populus prophetet, & det eis Dominus ſpiritum ſuum?* Vultis aliud, non diſſimile hodierno facto Ioannis, factum Pauli cognoſcere? Cum eſſet vinctus Cæſareæ, ad tribunal productus eſt proconſulis Feſti, aſſidente rege Agrippa, & Pauli audiendi cognoſcendique cupidiſſimo, vbi iuſſus eſt pro ſe dicere, ſui penè oblitus, cauſæ quam agebat immemor, totus in conuertendo ad Chriſtum Agrippam fuit. Id cum rex videret atque contemneret, diceretque per ludibrium. *In modico ſuades me Chriſtianum eſſe*: Paulus iucundiſſimè reſpondit: *Opto apud Deum, & in modico & in magno, omnes qui audiunt hodie fieri tales, & ego ſum exceptis vinculis his.* Quid ait Paule? omnes vis eſſe tui ſimiles? omnes tam præcelſo ſanctitatis gradu eminere? tanta reuelationum ac diuinæ ſapientiæ magnitudine tolli? Omnes prorſus, inquit, exceptis vinculis his. Itaque ſibi vincula, ſibi catenam, ſibi compedes, carcerem, & ergaſtula. cupiebat, cæteris dignitatis & gloriæ magnitudinem. O virum ter beatum. Verè mirabilis Deus in ſanctis ſuis, prorſus magnus Dominus ille, qui ſeruos habet eiuſmodi.

Num. 11.

Actor. 26.

4 Chriſtũ omnibus anteponẽdum.

Diſcere igitur hinc, fratres, debemus, ne nobis Chriſti gloriam vſurpemus, neue diſcipulos, magis noſtros, quam Chriſti efficiamus. Non eſt exigua fraus, Dei talentis ad voluptatem & exiſtimationem abuti. Adulterium id eſt ſpirituale: rebellio eſt in ipſum Dominum, diuinitus data arma velle conuertere. *Ego*, inquit, *dedi ei frumentum, & vinum, & oleum, & argentum multiplicaui & aurum, quod fecerunt Baal.* Idololatriam quandam commemorat, diuinis donis ad ſuam laudem voluptatemque abuti. *Vt abducant*

Oſeæ 2.

Actor. 20.

ducant diſcipulos poſt ſe aiebat Paulus. Longè aliter Ioannes, qui non vult diſcipulos poſt ſe abducere, ſed à ſe potius diuellere ac detrahere conatur, atque vni adiungere Chriſto. Præclarè hoc loco quidam ſcriptor vetuſtus, *Ioannes quaſi pedagogus, alienos filios, quos ad tempus accepit, vt erudiret, eruditos volebat Chriſto reddere, quaſi proprio patri ipſorum* Optimæ proinde mihi nutricis exemplum Ioannes hodie ſequutus videtur. Solent quippe nutrices vbi infantulos ablactare parant, ad matres tranſmittere, mellitis bellarijſque demulcendos, vt horum dulcedine & illecebris pueruli capti, matres incipiant & noſſe & amare, præ quarum mox amore, nutricum facile memoriam deſideriumque deponant. Neque enim ſibi, ſed parentibus nutrices infantulos alunt: neque vero ipſi infantes, vocibus nutricum perſuadentur, vt matres ament; ſed complexantes etiam reſpuunt, & ad nutrices ſibi iam notas quamuis ruſticanas & viles, gemitu & lachrymis conuertuntur, vſque dum vſu multo beneuolentiam matrum experti, quantum nutrici mater præſtet, ipſa conſuetudine cognoſcunt. Non erat mater Ioannes, ſed nutrix: mater veriſſima Chriſtus. Paulus, & Ioãnes, & Moſes, & cæteri ſancti omnes, alienos partus educant; neque enim ipſi ſanguinem fuderunt pro nobis, neque dolores ac cruciatus tolerauerunt, quos Chriſtus. Itaque fideliſſima quædam nutrix clamitabat: *Nunquid Paulus crucifixus eſt pro vobis?* cuius officium quemadmodum præſtet, ipſe idem teſtatur his verbis: *Facti ſumus in medio veſtri, tanquam ſi nutrix foueat filios ſuos, ita deſiderantes vos cupide volebamus vobis tradere non ſolum Euangelium, ſed etiam animas noſtras.* Nutricem ſe Paulus cenſebat, Dei filios etiam ſuos filios appellans præ amore, vt Anſelmus ſentit, ſed fide egregia Deo, non ſibi nutriens. Vultis veram germanamque matrem cognoſcere?

Autor imperfecti in Matth. homil. 27.

1. Cor. 1.

1. Theſſ. 2.

gnoſcere? Chriſtum Saluatorem noſtrum aſpicite, in cruce hunc tanquam lecto multo ſanguine fuſo grauibuſque cruciatibus toleratis, filios ſuos parturientem intuemini. Voces illius audite, quas apud Iſaiam mittit: *Audite me*, inquit, *qui portamini à meo vtero, qui geſtamini à mea vulua, vſque ad ſenectam ego ipſe, & vſque ad canos ego portabo: ego feci & ego feram, ego portabo & ſaluabo*. Quid his vocibus dulcius? Quid audiri tenerius poteſt? Ecquæ mater tam blandè ad ſe allicit inuitatque filios? *Qui vos genui ab infantia* (commentatur in eo loco Hieronymus) *& meo vtero vuluaque geſtaui, ipſe vſque ad ſenectutem protegam, non meam ſed veſtram: vt eos doceat diuina miſericordia eſſe ſaluandos. Creator enim omnium parcit creaturæ ſuæ, & paſtor bonus ponit animam ſuam pro ouibus ſuis*. Multum nempe Ioannes, multum Paulus diſcipulis contulit. At neque Paulus, neque Ioannes eſt pro diſcipulis crucifixus. Libenter ergo patere, homo Chriſtiane, eripi tibi aliquando præceptorem, eripi amicum, ſocium, contubernalem, ſpiritualem parentem: ſcito horum omnium vicariam fuiſſe operam: ideo vero cum opportunum eſt ſubtrahi, vt ad Chriſtum occurras, vt veram matrem cognoſcas atque amplectaris. Ille non paterna ſolum prouidentia, ſed etiam materna indulgentia, materna dulcedine te ſuſcipiet, ſi ad eum accurras: qui te tantis ſuis doloribus parturiuit, qui nullam partus ignominiam defugit, vt tibi vita conſtaret: qui nudus, cruentus, laceratus in cruce pro te pependit. Qui inſtar gallinæ, vt dicit ipſe, ſub alas pullos ſuos protegere & fouere ſemper concupiſcit. Auguſtinum gallinæ ſimilitudinem explicantem audi: *Aſſumpſit*, inquit, *infirmitatis carnem, vt pullos Hieruſalem colligeret ſub alas ſuas, tanquam gallina infirmata cum paruulis. Gallina quodammodo hoc habet. Non enim in alia aliqua aue hoc aliquando conſpeximus, quomodo rauceſcit vox, quomodo*

Eſai. 46.

Hiero. lib. 13. in Eſai.

Matth. 23.

Aug ſuper Pſalm. 58.

quomodo ſit hiſpidum totum corpus, demittuntur alæ, laxantur plumæ? Et vides circa pullos neſcio quid ægrotum, & ea eſt materna charitas, quæ inuenitur infirmitas. Infirmatus eſt Dominus propter nos, accipiens carnem à nobis, crucifixus, contemptus, alapis cæſus, flagellatus, ligno ſuſpenſus, lancea vulneratus. Ergo hoc maternæ infirmitatis eſt, non amiſſæ maieſtatis Sic quidem ille Chriſti amorem ſuauitatemque commendat. Nos vero veram matrem agnoſcentes, non ingratos amanti nos Chriſto filios præbeamus.

IN EADEM DOMINICA
CONCIO TERTIA.

Euntes renunciate Ioanni quæ audiſtis & vidiſtis. Matth.11.

1 Melius, quis ſit Chriſtus, ex ipſo, quam ex alijs cognoſci.

CVM Ioannis mentem cogitationemque Chriſtus optimè teneret, ſciretque ea legatione illud agi, vt diſcipuli Ioannis dilucidè cognoſcerent, quis eſſet Ieſus, non tam verbis, quam rebus, interrogationi ſibi propoſitæ ſatisfaciendum putauit. Itaque vt alius narrat Euangeliſta, *Luc.7.* in ipſa hora diſcipulis Ioannis præſentibus, multa ac magna miracula perpetrauit. Quibus admiratione ac ſtupore præ rerum magnitudine attonitis, commodè retulit: *Euntes renunciate Ioanni, quæ audiſtis & vidiſtis.* *Ioan.1.* Ioannes quidem venit, vt teſtimonium perhiberet de lumine: Verùm nullum de lumine teſtimonium maius & certius eſſe poteſt, quam quod ipſum de ſe lumen præbet. Neque poſt lucem quiſpiam melius indicare, quam ipſa lux ſe. *Pſal.33.* Itaque ait Scriptura, *Accedi-*

di.

dite ad eum & illuminamini. Et in eodem loco: *Guſtate & videte quoniam ſuauis eſt Dominus*. Et aliàs, *Qui appropinquant pedibus eius, ſuſcipient de doctrina eius*. Quare qui filios ſuos in Chriſto ſapere volunt, qui ſpirituales diſcipulos inſtituere optimè cupiunt, nequaquam ſe officio defunctos arbitrentur, cum multa docuerint, multa de regno Dei dixerint: ſed ipſos ſuos auditores, per ſe ad Chriſtum ire præcipiant, omnemque dent operam, vt illum auſcultent, cum illo verſentur: quod fit oratione aſſidua, & meditatione pia atque intenta. Ita ſine dubio *doctos à Domino* (vt habet prophetia) pleniſſimè accipient. Rectè Bernardus literatum quendam alloquens, hunc modum docet diſcendi Ieſum: *Quam ſalubrius*, inquit, *diſceres Ieſum, & hunc crucifixum? Quam ſcientiam haud facile, niſi qui mundo crucifixus erit, apprehendit Falleris, fili, falleris, ſi te putas apud mundi magiſtros inuenire, quam ſoli Chriſti diſcipuli, id eſt, mundi contemptores, Dei munere aſſequuntur. Nec enim hanc lectio docet, ſed vnctio, non litera ſed ſpiritus, non eruditio ſed exercitatio in mandatis Domini*. Igitur quanuis docendo & exhortando multum proficiant ſpirituales magiſtri, tamen longè amplius diſcipuli de Deo ex ipſo Deo diſcunt, quem vbi cognoſcere & alloqui familiariter cæperint, tantum ſuauitatis experiuntur, tantum præſtantiæ & magnitudinis illius inſpiciunt, vt cæteros omnes facile vni Chriſto poſthabeant, quod hodie Ioannis diſcipulis accidiſſe videmus. Etenim Chriſti dulcedine guſtata ſtatim anima ſentit & loquitur, quod in cantico legimus. *Sicut malus inter ligna ſyluarum, ſic dilectus meus inter filios hominum*. Siue Ioannes ſit, ſiue Paulus, ſiue Petrus, nihili omnes facit præ Chriſto, atque illud vſurpat amantiſſimè. *Tu enim Pater noſter, & Abraham neſciuit nos & Iſrael ignorauit nos. Tu Domine Pater noſter, Redemptor noſter: à ſeculo nomen tuum*. Eum ſane ſenſum atque eam exiſtimationem

Pſal. 33. *Deut. 33.* *Ioan. 6.* *Bernar. epiſtola 108. ad Thomam de ſancto Audomaro.* *Cant. 2.* *Eſai. 46.*

de Chriſto, ſimul vt eum audierunt, eiuſque facta viderunt, diſcipuli Ioannis penitus imbiberunt, & quod eſt ad luciferum Sol, hoc eſſe ad Ioannem Chriſtum ſibi perſuaſerunt. Itaque dicebant inter ſe

Ioan. 10. quod de quibuſdam Scriptura refert: *Ioannes quidem ſignum fecit nullum: omnia autem quæ de hoc dixit, vera ſunt.*

2. Quantæ opes nobis in Chriſto ſitæ. Iam quis nobis annuntiet, quid ſit opum, quid dignitatis in Chriſto, quis ille quantuſque ſit, quam nobis copioſus & diues, quam benignus, atque munificus. *Et tu qui venturus es, an alium expectamus?*

*Epheſ.*3. Paulus quidem eo nomine gloriatur quod Chriſti præco prædicatorque ſit. *Mihi*, inquit, *omnium ſanctorum minimo, data eſt gratia hæc, euangelizare in gentibus inueſtigabiles diuitias Chriſti*. Eas diuitias atque theſauros, qui ſatis vnquam vel inueſtigauit, vel

1.*Cor.*1. patefecit? *Qui factus eſt nobis ſapientia à Deo, & iuſtitia & ſanctificatio, & redemptio*. Omnia nobis Chriſtus eſt: nihil amplius deſiderare, nihil requirere poſſumus, ſi in Chriſtum ſimus ea, qua opus eſt fide, non inani ſcilicet & mortua, ſed viua & vigente, quæ per dilectionem operatur. Chriſti verò diuitias illas opeſque mirabiles declarant opera ipſius, quæ homines in ſeſe experiuntur. Nam & cæci vident, & ſurdi audiunt, & muti loquuntur, & claudi ambulant, & leproſi mundantur, & mortui reſurgunt, & pauperes euangelizantur. A Chriſto nempè cæcæ mentes hominum lumen accipiunt, infirmi & imbecilles, in via Dei ingredienda roborantur, ſurdi ſe purgatos, extincti ad vitam reuocatos ſentiunt, omnium rerum inopes, cæleſtis hæreditatis nuntiis exhilarantur. Itaque qui ſe extremè egenos & miſeros norunt, tamen per Chriſti nomen regnum ſibi cæleſte promiſſum certiſſimè expectant, quemadmodum eſt

Sic Haymo philoſophatur in expoſit. Euang.

*Eſai.*14. per Iſaiam denunciatum, *Fundauit Dominus Sion, & in ipſo*

ipſo ſperabunt pauperes populi. O ſi te Chriſti bene cognoſceremus Chriſtiani tui, quam fortunati, quam felices eſſemus? *Et tu an alium expectamus*? Mihi equidem nihil vltra deſiderandum, nihil amplius requirendum video. Habeam te Deus meus, habeam te, & tollat reliqua omnia ſibi quiſquis velit. Attamen cum tantus ac talis Chriſtus ſit, quid eſt quod permultis minimè cordi eſt? imo vero infeſtum ſibi arbitrantur? quorum ea eſt copia, vt ipſe Chriſtus exclamet. *Beatus, qui non fuerit ſcandalizatus in me*. Cur ita? quid eſt, inquam, quòd Chriſtus ſcandelizet? ecquid eius homines offendit? Quid? vno verbo dico, Crux Chriſti, Sic Hilarius & Gregorius accipiunt. Semper enim crucis ſermo odioſus eſt habitus, præſertim Iudæis, vt Paulus ait. Quo etiam ſenſu accipi poteſt oratio Chriſti ipſius, qui ſuos diſputatione illa perturbatos, qua carnem ſuam panem eſcamque neceſſario ſumendam tradidit, ita coarguit. *Hoc vos ſcandelizat? Si ergo videritis filium hominis aſcendentem vbi erat prius?* Si cum panem cibumque propono, moleſtè fertis & perturbamini, quid, inquit, cum cruci affixum conſpexeritis à terra exaltatum & per mortem meam redeuntem ad Patrem? Si verbum panis ſic turbat, quanto turbabit vehementius verbum crucis? Igitur miracula quidem Chriſti atque eius magnifica opera ſat placent nobis, iiſque cognoſcendis exhilaramur: verum diſplicet & perturbat nos vehementer crux Chriſti, terrent cruciatus & probra. Amamus Chriſtum, ſed crucifixum Chriſtum minimè amamus. Id eſt crucis eius conſortium auerſamur & fugimus. Ergo beatus & felix is eſt, qui Chriſtum in cruce amat, in cruce quærit, in cruce complectitur. Ibi, ibi ampliſſimæ Chriſti opes, & pretioſiſſimi theſauri reperiuntur, vt expertis dicere liceat, *Verbum crucis ijs qui ſalui ſiunt, Dei virtus eſt*. Quod *1. Cor. 1.*

Gregor. in homil. huius Euang. & Hilarius in expoſitione ad crucem referunt: Chryſoſtomus & Euthymius volũt propterea dictũ, quod diſcipuli Ioannis offenſi eſsẽt, quod cum Publicanis & peccatoribus manducaret & biberet.

eſt excelſum & grande myſterium.

3 Operibus quid quiſque ſit, oſtendi.

Nunc morale documentum non aſpernandum ex Chriſti reſponſis ſumendum eſt, *Renunciate*, inquit, *Ioanni quæ audiſtis & vidiſtis*. Dei eſt conſuetudo rebus reſpondere potius, quam verbis. Id filij lucis ſequuntur, vt de ſe pauca dicere ament: factis magis teſtificentur, qui ſint. Quid enim opus eſt te laudibus ipſe tollas? actus debes proferre, veriſſimos virtutis cuiuſque laudatores. Quot, dic mihi, homines vidiſti, quos magna de ſe iactantes, rebus longè diſcrepantibus, ludibrio & contemptui habueris? Quot nobilitatem oſtentant maiorum ſtemmate illuſtrem, cum ſint ipſi ingenio & moribus ſordidiſsimi? optimates haberi volunt, qui neque optima neque mediocria officia præſtant. De præfecturæ aut iudicij nomine gloriantur, quibus ſæpe tyrannis & violentia cordi eſt. *Et laudent*, ait Salomon, *eam in portis opera eius*. Paulus quoque ſcribit: *Veniam & cognoſcam non ſermonem eorum qui inflati ſunt, ſed virtutem.* Ergo vt interroganti, quænam ſit arbor aliqua, non poteſt melius ſatisfieri, quam illius fructibus indicatis, erit quippe pyrus, ſi pyra oſtendas, erit vitis, ſi vuas, oliua ſi oleas, ſic profecto de ſe vnuſquiſque quis ſit, nulla poteſt ratione luculentius demonſtrare, quam agendo quæ ſe decent: quod Chriſtus ſapientiſſimè præſtitit, vt de ſe Ioannis diſcipulos veriſſima notitia informaret.

Prou. 31. 1. *Cor.* 4.

4 Pauperibus euangelizare, meritò inter ſigna Chriſti cõmemorari.

At illud cuiuis mirum iure videri poſſit, quod enarratis multis magniſque operibus ſuis, eodem tenore adiungit quaſi mirabile, pauperes euangelizari: id eſt, tum pauperibus Euangelium annuntiari, tum ipſam pauperiem beatam prædicari. Id vero quo pacto cum cæcorum viſu, cum ſurdorum auditu, cum claudorum inceſſu, cum mortuorum denique reſurrectione contexitur? Quid enim habet miraculi, pauperibus Euangelium proponi? Nempe

rem

nagnam Chriſtus ſe dicere intellexit, eſtque
ıpermagna, & ſpiritus diuini propria, paupe-
ıitibus, cum operam naues, æquare, vel etiam
onere. Id re vera prædicatoris magnitudinem
t, vt etiam Hieronymus expoſuit: *Pauperes e-* *Hieron lib.*
izantur: vel pauperes ſpiritu, vel certè opibus paupe- *2. in Matth.*
nulla inter nobiles & ignobiles, inter diuites & ege- *Id notat*
rædicatione diſtantia ſit. Hæc magiſtri vigorem, hæc *Chriſtianus*
toris comprobant veritatem, quando omnis apud eum, *Druthmarus*
tari poteſt, æqualis eſt. Nam ſicut reliqua ſigna *in expoſit.*
onit de Meſſia, prædicta ſunt, ab Iſaia præſer- *huius Euäg.*
Tunc ſaliet ſicut ceruus claudus, & aperta erit lingua *Eſai.35.*
um: ſic etiam de eodem prædictum eſt. *Iudi-* *Pſal.71.*
uperes populi, & filios pauperum ſaluos faciet. Et, *Pſal.71.*
pauperi & inopi, & honorabile nomen eorum coram
:mque aliàs: *Paſcentur primogeniti pauperum, &* *Eſai.14.*
es fiducialiter requieſcent. Ea in Chriſto completa
aticinia, cuius primogeniti pauperum fuerunt
oli, ac de pauperibus Iacobus Apoſtolus di-
onne Deus elegit pauperes in hoc mundo, diuites in fi- *Iac.2.*
ıæredes regni? Pauperibus Chriſtus euangeliza-
. fauſtum nuntium præbuit regni cæleſtis. De
dicauit, *Beati pauperes ſpiritu, quoniam illorum eſt* *Matth.5.*
ı cælorum. Idem comminatus eſt: *Væ vobis di-* *Luc.6.*
. Longe ab eo ſenſu abſunt homines, qui diui-
acilè obſequuntur, pauperes faſtidiunt atque
nnunt, ſicut Iſaias dicit, *Pupillo non iudicant, &* *Eſai. 1.*
iduæ non ingreditur ad eos. Nemo maius & cer-
gnum putet, cæcos illuminare, ac mortuos
ıre, vt Chriſti diſcipulus cognoſcatur, quam
er & ſtudioſè euangelizare pauperibus: diuiti
peri æqualem ſe præbere Si in congreſſu, ſi in
ſione audienda, ſi in negotio gerendo, ſi in
tæ conſuetudine, non plurimas ac potiſſimas
locupletes ac copioſi ferant, ſi officium æquè
lè egeno atque omni ope deſtituto conferas,

tunc in te Chriſti ſignum agnoſcas, teq; beatum putes. Adiumentum vel temporale vel ſpirituale quod potes, affer indigenti & calamitoſo, neque quod multi faciunt, pauperiem tibi male olere vultu reſponſiſque demonſtres. Nam in quo id ſignum eorum, qui ad Chriſtum pertinent, fideliſſimum non extiterit, reliquum profectò eſt, vt ad Belial is aut Mammonem pertinere videatur.

5. A Chriſto laudatur Ioannes magnificè, præcipuè ob cõſtantiam & vitæ auſteritatem.

Illis autem abeuntibus, cœpit Ieſus dicere ad turbas de Ioanne: Quid exiſtis in deſertum videre? Quam ſit ſuis Chriſtus fidelis, animaduertite: quemadmodum amicos cohoneſtet atque ornet. *Nimis honorati ſunt amici tui Deus.* (*Pſal.* 138.) Par pari Ioanni refert. Is de Chriſto annuntiauit, eſſe agnum Dei, eſſe ſponſum, eſſe vnum præ omnibus colendum, filium Dei denique verum, cui omnia ſubdita ſint. Chriſtus Ioannem oratione ſua collaudat, miris eum encomijs effert, ſeipſum ſerui oratorem laudatoremque præbere non grauatur. Quanta hæc Ioannis gloria? Quod ſi Alexander ille magnus, vt etiam Cicero ait, (*Cicer. in oratione pro Archia Poeta.*) beatum prædicauit Achillem, quod ei ſuarum laudum Homerus præco contigiſſet, quid de Ioanne cenſebimus, cuius laudator & prædicator Deus ipſe extitit? Sed illud interim ne vos prætereat videre, Chriſtum Ioannis laudes diſcipulis eius præſentibus minimè prędicaſſe, eorũ reditũ quo venerāt, expectaſſe. (*Sic Chryſoſto hom 38. in Matth. & author imperfecti ho. 27 & Eutym. in expoſit.*) Cur adeò, quæſo vos? An noluit ſpeciem adulatoris amico dare? ita equidem opinor. Itaque de abſentibus bene loquendum eſt: ſi quid vituperandum, in præſentia coram exponas ne detrahas ei, cuius vocem audire non poſſis. Ita Chriſtus Phariſæos coram palamque arguebat: Ioannem longè poſitum collaudabat. Male in Scriptura audit cor duplex, at homo bilinguis odio habetur. *Labia doloſa in corde*, inquit, *& corde loquuti ſunt*: quod deteſtatur Scriptura. Sed quid in Ioanne collaudat Chriſtus?

Duo

uædam vitia primum ab eo abeſſe longiſſimè quæ ſunt hominibus familiaria. Nam neque inem eſſe dixit, neque aulæ ſectatorem, illud ; intelligi, cum tum à vanitate, tum à delicijs ,s alienum: quibus duabus virtutibus nihil eſt ıngelico prædicatore amplius & præclarius, ɔoſſit optari. Vanitatem apertè arundo decla- à ſua inanitate, atque inconſtantia, qua huc ento flectitur. Eſt eorum proprium qui vani- plauſui hominum ſeruiunt, nihil habere ſoli- nihil conſtans. Quod præclarè Propheta o- , cum loquitur, *Dominus diſſipauit oſſa eorum, inibus placent.* Namque vti Auguſtinus ſapien- it, *Quid languidius, quid tam ſine ſtabilitate ac for- , quod oſſa ſignificant, quam homo, quem male lo- n lingua debilitat? Cuius rei dolor nullo modo ani- cera dilaniaret, ſi non amor laudis oſſa eius con- t.* Oſſa ergo ijs eſſe comminuta & confra- it, qui hominum opinioni, libidinique ob- tur. Nam qui Deo placere ſtudent, nihil ijs ;, nihil conſtantius cogitari poteſt. Sed vt uguſtinus eodem in loco dixit, *Magnum eſt ibus & laudibus hominum non lætari, ſed o- ompam inanem præcidere, & ſi quid inde neceſſa- inetur, id totum ad vtilitatem honorantium ſa- e conferre.* Quod certè faciebat Baptiſta. cebris vero & delicijs quid cenſet? *Nun- ninem mollibus veſtitum? ecce qui mollibus ve- , in domibus regum ſunt.* Perplacet Chri- titus aſperitas, lecti durities, mollities ıentaque diſplicent. Sericæ & pretioſæ ve- iam magis, quam Epiſcopium decent, men- & opipara ad Reges, Regumque præfectos, ıuam ad Chriſti ſacerdotes pertinet. Frugali k parco cibo Chriſtus delectatur: contem- ſtus & Pompæ petit. *Diſce*, inquit hoc loco

Pſal. 53.
Auguſt. in epiſt. 68. ad Aurelium.

Theophylactus, *non oportere probum Chriſtianum mollia geſtare.* Namque vnde vitiorũ ſeges tanta, quanta his tẽporibus cernimus, in noſtra præſertim Hiſpania? Quanta à veteri diſciplina facta declinatio? Quam ſunt mores hominum commutati, & in deterius indies collapſi? vbi illa maiorum frugalitas? vbi cultus mediocritas? vbi ſuppellex munda quidem, ſed moderata? Iam omnia cõuiuijs feruent: nouæ quotidie rationes indumentorum inducuntur, peregrinæ togæ, peregrinæ clamydes vſurpantur. Degenerarunt familiæ nobiles, proceres inter arma minimè educati, fortitudinem bellicam haud magni ducunt, ſed inter illecebras & libidines nutriti, belli comptique incedere pluris hăbent. Nonne ijs denuntiare iure

Sophon.1. poſſumus, quod propheta Sophonias Dei voce minatur? *Et erit in die hoſtiæ Domini, viſitabo ſuper principes, & ſuper filios regis, & viſitabo ſuper omnes qui induti ſunt veſte peregrina, & viſitabo ſuper omnem qui ingreditur arroganter limen in die illa.* Veſte peregrina indui propter inane quoddam nouitatis ſtudium non vacat certe culpa, cum præſertim ad peregrinas veſtes etiam peregrini mores accedũt, quod apud nos profecto videmus cum magno nationis Hiſpanicæ detrimento. Diſſimulat quidem interim Deus, ſed iudicium ſuum aliquando tandem proferet, tantamq; labem ac turpitudinẽ morum duro verbere tundet. Quamobrem Ioannis potius exemplum ſecuti, dum licet, vitæ auſteritati & corporis caſtigationi ſtudeamus, illumque Angelum Dei ſcientes, qui præcedat Domini aduentum, ad occurrendum Chriſto iam venienti nos comparemus, ſuſcepturi magnum pietatis fructum, ſi dignum tanto hoſpite domicilium præparauerimus.

IN

DOMINICA TERTIA ADVENTVS.

CONCIO PRIMA.

runt Iudæi ab Hieroſolymis ſacer-
tes & leuitas ad Ioannem, vt in-
rogarent eum, tu quis eſt, Ioan. 1.

S Trem de qua legati Iudæorum cum Ioanne egerint, cogitemus, tum oratorum ipſorum conditionem, tum eorum à quibus mittebantur, dignitatē perſpiciamus, facile intelligemus legationem extitiſſe
ıam, cum qua vix vlla poſt hominum memo-
ɔmparari aliqua ex parte poſſit. Nam & au-
fuere Pontifices ſummi ſacerdotalis ordinis
ui Hieroſolymitanam vrbem caput vniuerſi
Iſraelitici ſacro imperio regebant: & legati
u leuitico ac ſacerdotali lectiſſimi, tum vero
ne ſapientiaque præſtantes, quod ſatis decla-
ngeliſta, cum dicit, ex Phariſæis fuiſſe potiſ-
miſſos. Niſi enim penes Phariſæos ſumma
gnitas ac ſapientiæ laus eſſet, Paulus non ſe
etur & Phariſæum, & Phariſæorum filium:
ɔalmam illi ſectæ ſuo tempore tribuiſſet. Sed
aput eſt, rei de qua agebatur, magnitudo tan-
vt non niſi primarios, & ex vniuerſo ſenatu
nos oratores poſtularet. Neque enim de vul-
at negotio deliberandum, ſed de ſummo Meſ-

1 Quibus rationibus inducti, legatos ad Ioannem Iudæi miſerint.

Actor. 23.

ſiæ imperio, de vniuerſa ſpe, ſcilicet, populi Iſraelitici, de omnium Prophetarum oraculis, de Dei denique ipſius autoritate ſtatuendum decernendumq́; ſemel erat. Ea re quæ potuit vnquam grauior maiorque contingere? Namque, vt Euangeliſta Lucas teſtatur, eam fuiſſe de Ioanne plurimorum ſententiam conſtat, quod eſſet Meſſias: *Exiſtimante*, inquit, *populo, & cogitantibus omnibus in cordibus ſuis de Ioanne, ne forte ipſe eſſet Chriſtus*. Igitur cum ea verſaretur opinio de Ioanne, adductos maximè eſſe principes Iudæorum ad eam legationem adornandam, vt Origenes etiam ſcribit, quod tempora tantoperè promiſſi, expectatique Meſſiæ adeſſe iam exiſtimarent, illud ſatis perſuadet, quod viri fuerint in diuinarum literarum cognitione verſati Etenim Danielis hebdomadas & intelligere & numerare liquidò potuerunt, quas iam peruenire ad exitum non ignorabant. Patriarchæ item Iacob vaticinium tenebant, non eſſe ſceptrum de Iuda eripiendum, donec veniret exoptatus princeps. Regem verò Idumæum externum Herodem regnare videbant. Aggæum Prophetam maturare iam tempus aduentus, optatiſſimi omnibus gentibus Regis, ceciniſſe probè nouerant. Neque oblitos credere licet Magorum, & ſtellæ olim prophetico Balaam reſponſo denuntiatæ. Iã nõ regnũ ſibi ſolũ ereptum, ſed ipſum quoque ſacerdotiũ propemodũ extinctum, obſcuratum certè, atque omni illa ſua priſca maieſtate nudatum intuebantur. Quare aut accepta de Meſſia venturo oracula falſa eſſe, aut eum iam oportere adeſſe, non falsò colligebant, vt regnum Iſraeliticum collapſum ac funditus penè euerſum, reſtitueret erigeretque. His igitur ducti rationibus Ioannem ea de re conſulendum cenſuerunt, atque eundem Meſſiæ principatum ea ampliſſima legatione ſibi delatum libenter ſuſcepturum ſunt arbitrati.

Sic ſentiunt Ianſen. in cõcord. c. 16. Card. Tolet. in Ioan. c. 1. annot. 5. 6.

Orig. in expoſit. Euang.

Dan 9.

Gen. 49.

Agg. 2.

Num. 24.

Ac

: fuit aliud etiam eius legationis inſtitutum, ſi :us mentem hominum perſpicere licet. Inuidia rum atque odio iam inde in Ieſum Nazarenum epto, Ioannem ſibi extollendum putarunt, vt n deprimerent atque obruerent. Ita ſanè ſentit ıs Chryſoſtomus: ita hunc vt ſolent, ſequuti unt Theophylactus, & Euthymius: quorum :ntia quanquam à nonnullis reprehenditur, eſt :n valdè probabilis, neque abſurdi quicquam inet. Etenim argumentis Phariſæi permoue ur maximis, vt Ieſum eſſe Meſſiam lege Pro iſque denuntiatum crederent. Eum de Iudæ ı, & de domo Dauidis eſſe non ignorabant, em omninò futurum Meſſiam Scriptura a .ſſimè prædicabat. In Bethleem etiam natum e poterant, quod eſſe natale ſolum Meſſiæ ex ıea ipſi docuerant. Quanquam plerique Gali n ex Nazareth ortum putabant, eoſque nata Chriſtum minime decere cenſebant. Signa ve ɔ eo patrari tot & tanta poſtea conſpexerunt, ıus neque plura neque maiora, aut ipſi caperent, ſcripturæ promitterent. A quibus omnibus alie . eſſe Ioannem non dubitabant. Quid ergo? ɔerat ſcilicet diſplicere Ieſus: multa in eo iniu la, multa etiam moleſta erant. Vulgaris edu ɔ atque humilis contemnebatur, fabri filium ıbrili artificio vſum recordabantur, ipſa con ıdo, & vitæ ratio ordinaria & communis, tum is congreſſio & collocutio cũ Publicanis & pec ribus deſpiciebatur: mores denique à ſuis valdè miles minimè probabantur. Id habet ſermo pro icus, cum iſtorum cogitationes de Chriſto ani nque exponit. *Inutilis*, inquiunt, *eſt nobis, contrarius eſt operibus noſtris, & improperat nobis pec egis*: Tum illa, *Grauis eſt nobis ad videndum, quo ſſimilis eſt alijs vita illius, & immutatæ ſunt viæ eius.*

Contra

2. *Ioãnem Ieſu anteponere voluiſſe Iudæos.*

Chryſ. hom. 15. in Ioan. Theophy. & Euthy. hic.

Pſal. 80. & 131.

Miche. 5.

Matth. 2.

Sap. 2.

Contra in Ioanne, vt Meſſiæ illi principatum deferrent, multa eſſe videbantur, quæ vehementer impellerent. Nam ſacerdotale genus eum decorabat: Zachariæ Pontificis filium nouerant, fuerat in deſerto nouo genere vitæ educatus, ſingulari ratione inſtituta, magnam ſibi ſanctitatis opinionem conciliauerat, pilis cameli tectus, cibo vix humano vitam ſuſtentans: nouo ſpectaculo gentes attonitæ vrbibus deſertis, ſolitudines frequentabant. Baptiſmo, inſigni ritu, propoſito, omnes expiari eius manibus ſtudebant. Quæ quidem omnia magnum Meſſiæ dignitati nomen, eximiam opinionem conciliatura ſperabant: ſeque ipſos cum Ioanni ipſi gratos, tum populo vniuerſo ſpectabiles, eo delato ſuſceptoque principatu, arbitrabantur. Tales ferè cogitationes Iudaicorum ſacerdotum erant: quales videlicet Spiritus ſanctus expreſſit, cum dixit, *Dominus nouit cogitationes hominum, quoniam vanæ ſunt.* Ne vero de meo me ſenſu hæc quiſquam comminiſci arbitretur, iam profero ipſum Dominum Ieſum Chriſtum, hiſce ipſis Phariſæis rationem huius legationis vniuerſam ſic explicantem: *Vos, inquit, miſiſtis ad Ioannem, & teſtimonium perhibuit veritati: Ego autem non ab homine teſtimonium accipio, ſed hæc dico, vt vos ſalui ſitis. Ille erat lucerna ardens & lucens: & vos voluiſtis exultare ad horam in luce eius.* Quod quid eſt aliud, quam conatus horum id omnes petiſſe, vt Ioannis laude & gloria perfruerentur? cuius vt Chryſoſtomus eo in loco ſcribit, autoritas apud Iudæos extitit tanta, vt omnis ciuitas ad illum videndum effunderetur, pluſque illi crederent, quam miracula quoque facienti.

Pſal. 93. *Ioan. 15.* *Chryſ. hom. 39. in Ioan.*

3 Inuidiam peſſima ſuadere conſilia.

Qua ex re intelligere facile licet, quanto in errore miſeri iſti verſati ſint, vt excuſari vlla ratione defendique non poſſint, quod Chriſtum Dominum non ſuſceperint. Primum enim, Ioanni qui non erat Meſſias, Meſſiæ principatum vltro obtulerunt

Ieſum

Ieſum, qui verus erat Meſſias, nunquam eo nomine dignati ſunt. Deinde mentienti de ſe Ioanni paratos ſe credere, ſatis demonſtrauerunt, vera dicentem & ſe Chriſtum eſſe negantem, reiecerunt. Deinde teſtimonium de vero Meſſia luculentiſſimè apertiſſimeque dicenti, aſſenſi ſunt nunquam. Poſtremo cum eſſent actus Chriſti mirifici, cumque ſigna faceret, quæ & Propheticis literis conſignata eſſent, & omnem hominum memoriam ac ſenſum longiſsime excellerent, tamen ne ijs quidem, oculis ſuis teſtibus, fidem habendam, eſſe duxerunt. O magnam mentis inuidia tactæ caliginem. *Excæcauit, inquit, eos malitia eorum.* Et alias: *Per diem incurrent tenebras, & in meridie palpabunt quaſi in nocte.* Nonne Saulis illius venit in mentem, quem neque fidelis Ionathas filius amanter admonens, neque tot tamque illuſtria Dauidis beneficia à nefario inſtituto, & concepta ſemel inuidia reuocare potuerunt? Inimicum atque hoſtem clamitat, parricidam conſceleratum pronuntiat, necem exitumque vltimum furore plenus minatur: ipſi Ionathæ vera ſuadenti grauiter iraſcitur, Doeg Idumæo proditori ſceleratiſſimo bene precatur. Abimelech ſacerdotem, atque ordinis ſacerdotalis viros omnino octoginta, quod fugienti Dauid præſidio fuerint, trucidat. Quo non erat præceps animus, inuidiæ æſtu incitatus? Præclarè Baſilius: *Inuidia, inquit, genus eſt inimicitiæ inſuperabile. Nam cum beneficentia eos, qui alioqui ſunt interfecti, reddat mitiores, malignum tamen & inuidum magis irritat, ad odiumq; acuit. Canes educatione manſueſcunt, leones obſequio tractabiles fiunt, inuidi tamen officijs agreſtiores euadunt.* Cuius rei documenta Baſilius perſpicua proponit de ijs quę de Saule iam diximus: atque etiam de Iudaica in Chriſtum quam modo tractamus inuidia: ob quam præcipites in tot mala Iudæi ruerunt. Studijs enim, non veritati obſequi, potius habuerunt. Quocirca eorum

Sap. 2.
Iob. 5.
1. Reg. 19.
1. Reg. 20.
1. Reg. 22.
Baſilius homil. 11. de inuidia.

eorũ qui rempublicã nunc adminiſtrãt, peccata grauiſſima ſæpe cernimus, conſilia inepta, conatus infauſtos deploramus. At quid cauſæ eſſe potiſſimum putatis, quod tã multa peccẽtur, tam infeliciter res noſtræ ſæpè cadant? Nempè veritatis ratio perexigua habetur: ſtudijs præpoſteris cuncta adminiſtrantur. Atq; eſt diuinæ iracundiæ documentũ certiſsimum, cũ ij, à quibus populus reſq; publica omnis pendet, in conſilia feruntur vaniſsima, ſaluti cõtraria medicamenta percipiunt. De ijs ad hunc modum loquitur

Iob 12. ſcriptura. *Qui immutat cor principum populi terræ & decipit eos, vt fruſtra incedant per inuium. Palpabunt quaſi in tenebris, & non in luce: & errare facit eos quaſi ebrios.* Itaque (vt eò reuertatur oratio vnde eſt digreſſa) legationis hodiernæ architecti, facilè de Meſsia cognouiſſent, ſi verè Meſsiã cognoſcere vellẽt. Siquidẽ apertius à Ioanne, quis eſſet, dici nõ potuit. Sed quoniã diuerſis à veritate ſtudijs, negotium ſuum ambitione quadam gerebant, & in amplificanda ditione ſua toti erant, nihil vtilitatis ex tam præclara legatione, nihil fructus ex tam perſpicuis reſponſis retulerunt.

4 Ioãnem falſæ de ſe opinioni obſtitiſſe. Hic interim quam probata fide Ioannes fuerit, animaduertite, quod ex verbis Chriſti iam à me recitatis melius cognoſcetis. *Ille*, inquit, *erat lucerna ardẽs & lucẽs.* Et verè. Nam cum ardore charitatis inflam-

Ioan. 5. maretur, cumque ſapientiæ ac prædicationis luce præſtaret, ſe tamen lucernam eſſe diuinitus accenſam, non Solem ipſum, qui mundum ſplendore ſempiterno illuſtraret, ſatis præ ſe tulit. Nam luciferi ſe, qui orientem Solem præcederet, atque adeſſe iam denuntiaret, officio fungi ſciebat, quemadmodum erat ab optimo parente prædictum. *Tu*

Luc. 1. *puer Propheta altiſsimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini parare vias eius: Ad dandam ſcientiam ſalutis plebi eius.* Quare Solis atque orientis nomen & laudem ſibi minimè vſurpauit. Sed retulit potius

potius ei, de quo erat dictum. *Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitauit nos Oriens ex alto.* Et per alterum Zachariam, *Ecce vir, Oriens nomen eius.* Quod ergo inter lucernam & Solem intereſt, hoc ſe ad Chriſtum eſſe Ioannes libentiſsimè confitebatur. Etenim lucerna & fax, qua ad ingrediendum noctu vtimur, nequaquam ſibi, ſed ei quem præit, inſeruit: neque puero qui eam geſtat, ſed Domino, qui ponè ſequitur, debet accõmodari vt luceat. Pulchrè igitur Auguſtinus: *Quia Chriſtus quaſi in nocte apparuit in corpore mortali, lucernam ſibi accendit, vnde videretur. Ipſa lucerna Ioannes erat.* Fuiſſe autem Ioannem lucernam Chriſti etiam Pſalmus diuinus cecinit his verbis: *Illuc producam cornu Dauid; paraui lucernam Chriſto meo.* Quænam hæc extiterit lucerna, quam Deus Chriſto ſe paraſſe teſtatur, ſancti Patres diſertè docent, de Ioanne Baptiſta propriè id dictum, Hilarius, Auguſtinus, Caſsiodorus, atque his antiquior Tertullianus. Itaque Hieroſolymitani hi principes illud cupidè agebant, vt puer facem præferens principi, haberetur ipſe princeps: & lucerna, Solis nomen acciperet. Ferunt piſces quoſdam lucernæ luce noctu capi, quod eum fulgorem Solis eſſe opinentur, atque ita ſuper aquas exiliant, ſtulto ſanè gaudio, quodque eius exitio ſit. Ita mihi videntur iſti, Ioannis mediocre quoddam lumen, æternum illud Chriſti lumen putaſſe, ad eamque lucem ineptè exultaſſe. Quorum errorem falſamque de ſe ſententiam, Ioannes noſter nullo modo ferendam ſibi putauit, ſed modis omnibus coarguendam ac refutandam. Quod Dominus in optimo ſeruo magni fecit, verbiſque ampliſſimis commendauit, cum ita dixit: *Vos miſiſtis ad Ioannem, & teſtimonium perhibuit veritati.* Hoc Phariſæis quidem dixit: vniuerſo autem populo illud: *Quid exiſtis in diſertum videre? Prophetam? Etiam dico vobis,*

Luc.1. *Zachar.6.* *Auguſt. in Io. tract. 4.* *Pſal 131.* *Hilarius in expoſit. Pſalm.131. Auguſt. & Caſsiodor. ibidem. Tertull. in lib. aduerſus Iudæos.* *Ioan.5.* *Matth.11.*

&

& plus quam Prophetam: hic eſt enim de quo ſcriptum eſt; Ecce ego mittò Angelum meum qui præparabit viam ante faciem tuam.

§ Quam ſint ab humanis iudicijs diuina diuerſa.

Iam verò conſiderandum eſt, quoniam Phariſæos primarioſque Iudæorum oſtendimus Ioannem præpoſuiſſe Chriſto, ac cogitatione conſilioque cum ſuo Meſsiam deſignauiſſe, quam ſint Deì conſilia ab humanis rationibus diuerſa, quamque longo interuallo vel potius infinito diuinæ ſapientiæ decreta, prudentiam omnem mortalium infra relinquant. Erat quidem Ioannes magnus vir, eximius Propheta, ſanctitate excellenti: at præ Ieſu Nazareno, quid erat Ioannes? quod exigua guttula, ad immenſum pelagus: quod ſcintilla permodica, ad ignem maximum. Atqui tum veſtitus aſperitate, tum in ſuauitate cibi, denique omni humanæ conſuetudinis mirabili continentia, mores vitamque præ ſe ferebat non hominis, ſed Angeli cuiuſdam aut ſpiritus omni neceſsitate corporea liberi. Quid Chriſtus? Et guſtabat, & bibebat, & inuitatus libenter conuiuia frequentabat, & vitæ denique totius ratione & modo, communem ac vulgarem hominem profitebatur. Num aliter ipſe de ſe ac de Ioanne cenſuit, cum dixit? *Venit Ioannes neque manducans neque bibens: Venit filius hominis manducans & bibens.* Nunc ſi vitæ vtriuſque ratio conferatur, quis non ſanctiorem atque celſiorem Ioannis putet? quis ei palmam non tribuat? At quanto erat re vera vita Chriſti purior & ſanctior? quanto meritum maius atque diuinius in illa vulgari & communi Chriſti cõſuetudine, quam in Iohannis auſteritate & ſqualore? Qua ex re ſola externa ſpecie actuum, quos in quoquam intuemur, de interno merito & dignitate velle iudicari minimè conuenit. Dei qui intima cordis conſilia perſpicit, proprium eſt, quid cuique tribuendum ſit iudicare, quemadmodum nos Scriptura ſacra admonet.

Matth. 11.

Spiri-

Spirituum ponderator eſt Dominus. Nolite ergo quod pueri faciunt, prima ſtatim ſpecie & fulgore de rerum pretio ferre ſententiam. Olim Iſai à Samuele de liberis interrogatus, produxit natu maximum, ac corporis proceritate præſtantem Eliab, deinde Abinadab, poſt hunc Sama atque ex ordine reliquos: ſolum Dauidem puerum prætermiſit, quem nullius pretij putabat. At hunc cæteris contemptis vnum elegerat Deus, atque huic Samuelem mittebat regio vnguento vngendo. Itaque Samueli loquutus eſt Dominus. *Nec iuxta intuitum hominis ego iudico: homo enim videt ea quæ patent. Dominus autem intuetur cor*. Hoc etiam modo quale Chriſti iudicium futurum eſſet de hominibus, Patris ſcilicet Dei ſimillimum vel idem potius, Iſaias Propheta dilucidè dixit. *Non ſecundũ viſionẽ oculorũ iudicabit, neque ſecũdũ auditũ aurium audiet: ſed iudicabit in iuſtitia*. Quæ quidem iudicandi ratio, vt vera merita proderentur, non vel rumore populari, vel externa ſpecie ducantur. Quoniam vt Seneca dixit: *Multa ſunt potius meritorum ſigna, non merita*. Omnibus quidem præcipiendũ eſt, ſed ijs quorum ſuffragio maximæ res geruntur, ac ſummæ præfecturæ conſtituuntur, eo acrius & vehementius, quo maius & pernicioſius in vniuerſam Rempublicam eorum peccatum eſt, cum honores indignis dantur, rebuſque ſummis homines inepti præficiuntur. Quo in genere grauiter in Iulianum inuehitur Gregorius Nazianzenus, quod maximas præfecturas & ſumma imperia rerum ijs deferret, quos perfidiæ ſuæ adiutores vel probatores etiam cognoſceret. Itaque dum ad gratiam principis, non ad dignitatem ciuium magiſtratus accommodantur, Reſpublica detrimentum capit maximum. Igitur ſiue de re literaria agatur, in cathedris deferendis, ſiue de publico negotio in cooptandis ſenatoribus, ſiue quod eſt omnium caput, de ſacerdotijs, atque Eccleſiaſticis præfecturis

Prouer.16.

1.Reg.16.

Eſai.11.

Seneca lib. 1 de benef. c.6

Greg. Naz. orat. 2. in Iulianum.

ſturis initiandis, meminiſſe illi quorum intereſt, etiam atque etiam debent, quod lex diuina præcipit,

Deut. 1. ſeſe Dei, non hominum iudicium exercere. Ita fiet, vt cum opera omni atque induſtria ſua, tum precibus piorum diuina luce impetrata, veritatem quam inueſtigare omnibus modis nituntur, feliciter conſequantur, neque opinione falſa decepti, dignos prætereant, indignos promoueant, quo in Chriſtiana Republica detrimentum grauius accipi nullum poteſt.

IN EADEM DOMINICA
CONCIO SECVNDA.

Et confeſſus eſt, & non negauit, quia non ſum ego Chriſtus. Ioan. 1.

1. Ioannem maiora ſe non admiſiſſe.

MVLTAE quidem ac præclaræ virtutes Ioannis Baptiſtæ extiterunt, ſed inter cæteras excellens quædam atque altiſſima humilitas eluxit. Liceat enim altiſſimam Ioannis humilitatem dicere, quando Paulo Apoſtolo licuit quorun-

1. Cor. 8. dam fidelium paupertatem altiſſimam prædicare. Eo enim altior virtus humilitatis eſt, quo inferius deſcendit. Et Patres quidem omnes Ioannis humilitatem commendant hoc loco, ſed Auguſti-

Aug. tract. 4. in Ioan. nus egregiè his verbis: *Nihil humilius ipſo præcone fratres mei: nullum tantum meritum Ioannes habuit, quantum de iſta ipſa humilitate.* Ac gradus humilitatis Benedictus, Bernardus, alij alios ponunt. Nos in præſentia gradus non ineptè humilitatis cogitare poſſumus tres. Vnum cùm ſe maioribus

ſub-

ſubijcit: alterum cum concedit æqualibus: tertium, cum etiam minoribus ſe, inferioribuſque ſummittit. Atque Deum eſſe homine ſuperiorem omnis ratio, omnis doctrina demonſtrat. Sed ſuperbiæ magnitudo eo contendit, vt creatura infelix ſe creatori velit æquare ſuo. In quo genere mali, verſatus eſt Angelus, atque homini, vt ſe imitaretur, perſuaſit. Nam eius eſt illa vox impia atque nefaria, *In cælum conſcendam: ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis: aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero altiſsimo?* Nonne Angelus hæc apud ſe iactauit? cui diuinitus dictum eſt, quod apud alium Prophetam legimus: *Dediſti cor tuum quaſi cor Dei*. Quibus verbis non potuit luculentius exprimi ſuperbiæ vehementiſſimæ vis, quod perinde cogitaret atque ſtatueret apud ſe, ac ſi Deus ipſe foret. Hoc lethale venenum, ille de Angelo factus diabolus, de ſumma ſcilicet volucre, ſerpens teterrimus, inſtillauit propinauitque primis hominibus, cum Euam allocutus ſic eſt: *Eritis ſicut dij ſcientes bonum & malum*. Simonem illum Magum eo dementiæ actum legimus, vt ſe Dei virtutem haberi vellet. Herodes quoque diuinos ſibi honores ſumens atque depoſcens, merita clade ſtultitiæ ſuæ pœnas dedit. Nihil eſt tam ſublime, tam excelſum, quo non peruadat ſuperbia. Hic Baptiſtæ conſtantiam euertere Phariſæi ſe poſſe ſunt rati. *Putabant enim*, ait Euthymius, *inſipientes, quod licet in cæteris vigilantiis excubaret, attamen humanum aliquid tanquam homo ſentiret, ac gloriæ amore illectus, Chriſtum ſe eſſe reſponderet, & deinceps Ieſu fama extingueretur, ob quam omnes oriebantur anxietates*. Ergo Ioannes hac eadem ſuperbiæ tentatione pulſatus, quæ Angelum de cælo deiecit, quæ hominem paradiſo expulit, reſtitit fortis, neque ſe vinci eſt paſſus, maluitque veritati hærere in imo, quam falſitate

Eſai.14. *Ezech.28.* *Gen.3.* *Actor.8.* *Actor.12.* *Euthym. in expoſit. Euangelij.*

in ſublime tolli. Rogatus an eſſet Chriſtus, & ita rogatus, vt non tam ſenſum quam conſenſum flagitaretur, reſpondit conſtantiſſimè: *Non ſum ego Chriſtus*: Non me tam altum ſapere decet: longè me maior eſt Chriſtus. Exemplo præclaro docuit mortales, nullo modo diuinos ſibi vſurpare honores, ne oblatos quidem accipere. Quæ fuit Sanctorum perfectorumque virorum mens & cogitatio firmiſſima. Petrus Cornelium Centurionem ante ſe proſterni

Actor.10. non patitur. *Surge*, inquit, *& ego homo ſum ſimilis tui.* Paulus & Barnabas cum ſacrificari ſibi ab admiratoribus ſuis vident, grauiter ferunt, ac præ dolore & indignatione in mediam turbam exiliunt, diſciſſis veſtibus clamitantes: *Viri quid hæc facitis, & nos mor-*

Actor.14. *tales ſumus ſimiles vobis homines*? Neque homines ſolum, verum etiam Angeli ſancti diuinos ſibi honores tribui indignantur, neque ferunt ſimile quippiã, quando Angelus Ioannem Apoſtolum ſe adorãtem

Apoc.22. ita prohibet, vt dicat, *Vide ne feceris, conſeruus enim tuus ſum, & fratrum tuorum Prophetarum: Deum adora.* Magis Angeli ſancti eo nomine glorianrur, quod Dei, Chriſtique ſerui ſint, & Chriſti ſeruorum ſocij. Ioannis Baptiſtę exemplo fidelis debet, cum ſuperba tentatione appetitur, vt alta de ſe ſapiat, vt virtutes diuinitus datas ſibi attribuat, vt animarum ſalutem ſibi arroget, apertè ac conſtanter dicere: *Non ſum ego Chriſtus.* Nam occulto quodam modo cum ea quæ Dei ſunt, & quæ Chriſto ſunt debita, homo ſibi ſuperbè ſumit, Dei & Chriſti dignitatem vſurpat. Cũque Deus ſemper reſiſtat ſuperbis, humilibus autem det gratiam, nunquam de corde, imo vero de ore confeſſio illa pia Danielis, & vera deponenda eſt:

Dan 9. *Tibi Domine honor & gloria: nobis autem confuſio faciei noſtræ.*

2 Etiam æquali ceſ- Non ſolum Ioannes ſe maiori, id eſt Chriſto, ſummiſit, ſed æquali etiam (qui nur-erabatur alter

humi-

humilitatis gradus)libẽter conceſſit. Rogatus enim, vtrùm eſſet Elias, Eliæ dignitatem ſibi non ſumpſit, ſed ſe Eliam eſſe negauit. Licebat ſanè Ioanni nullo veritatis præiudicio Elię ſibi nomen dignitatemque vendicare: cum præſertim de præcurſore Chriſti ageretur, quem futurum eſſe Eliam, Malachias Propheta teſtatus eſt: *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus & horribilis. Et conuertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum.* Quæ quidem prophetia, quanquam loquitur de aduentu Domini poſteriori, quem præcedet Elias Teſbites, vt habent ſeptuaginta interpretes, tamen in priorem etiam aduentum conuenit, quem anteceſſit Elias virtute & ſpiritu, id eſt Ioannes nihilo Elia inferior, quemadmodũ Gabriel Angelus apertè Zachariæ patri denuntiauit, Malachiæ verba quodammodo interpretans. *Et ipſe* (inquit) *præcedet ante illum in ſpiritu & virtute Eliæ, vt conuertat corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam iuſtorum.* Itaque de eadem hac quæſtione Chriſtus ab Apoſtolis interrogatus, in Ioanne aduentum Eliæ, quem Scripturæ prædicerent, quemque Phariſæi tradidiſſent, impletum intelligi verè poſſe confirmauit. Sic enim legimus apud Matthæum: *Et interrogauerunt eum diſcipuli dicentes, Quid ergo Scribæ dicunt, quod Eliam oporteat primum venire? At ille reſpondens ait eis, Elias quidem venturus eſt, & reſtituet omnia. Dico autem vobis: quia Elias iam venit, & non cognouerunt eum, ſed fecerunt in eo quæcumque voluerunt.* Neque Apoſtolis modo, verũ etiam turbis, id teſtimonium Chriſtus de Ioanne præbuit, quod eſſet Elias. Nam concionans aliquando de eo ſic ait. *Omnes Prophetæ & lex vſque ad Ioannem prophetauerunt: & ſi vultis recipere, ipſe eſt Elias, qui venturus eſt.* Quæ cum ita ſint, quod Chriſtus de Ioanne aſſeruit, non mentiretur vlla ratione, ſi Ioannes de ſe confirmaret, ſeſe eſſe Eliam, cuius ſpiritum, vitam,

[Margin: ſiſſe Ioannem.]
[Margin: Malach. 4.]
[Margin: Luc. 1.]
[Margin: Matth. 17.]
[Margin: Matth. 11.]

mores, actus penè omnes exprimeret, deſerta & inculta loca habitans, Reges liberrimè arguens, à regina ipſe quoque diram perſecutionem paſſus, zona pellicea item ſuccinctus, igneam facem ſermone præferens, delicias acerrimè inſectans. Denique diuerſo nomine eandem perſonam repræſentans. At his omnibus prætermiſſis Eliam ſe Ioannes rogantibus negat, quod nihil de ſe ſublime, nihil amplum ſentiri cuperet. Eſt ea veriſſima humilitatis ratio, vt de ſe abiectiſſimè ſentiat, & ab alijs ſentiri vehementer cupiet. Itaque ea facilè obliuiſcitur & præterit, quæ ad laudem gloriamque faciunt, in ijs verſatur libenter, ex quibus minimus honoris & famæ cumulus ad ſe peruenire poſſit. O nos mille tartaris dignos, qui cum exigua admodum virtute præditi ſimus, tamen magnificè de nobis omnes homines & ſentire & prædicare volumus. Quam eſt rarus etiam apud eos, qui religione præſtare videntur, veræ humilitatis affectus? qui laudem fugit ſuam, alijs libenter de gloria concedit.

3 Perfecta humilitas, quæ ſe minoribus ſubijcit.

Verum non hic ſtetit diuini huius viri humilitas, vltra progreſſa eſt. Neque contentus is maiori obſequi, æquali cedere, etiam minores ſibi anteponit. Vtrùm eſſet Propheta, qui ſe neque Chriſtum, neque Eliam haberi vellet, tertiò rogatus, Prophetam ſe eſſe aliquem negauit. Scio Græcos patres Cyrillum, Originem, ac Chryſoſtomum, non de quouis Propheta, ſed de illo magno à Moſe prædicto ſermonem eſſe contendere, quod articulus apponatur more Græco. Verum vt huic ſententiæ non admodum repugnem, tamen libentius ſequor Latinos Patres Auguſtinum, Gregorium, Bedam, qui generatim prophetæ verbum accipiunt. Nam alium eſſe prophetam illum à Moſe prædictum, quàm Chriſtum, ſacerdotes Iudaicos exiſtimaſſe, non eſt profectò ſatis veriſimile, cum de Chriſto in lege

lege vniuerſa teſtimonium manifeſtius ſit nullum. Si enim Philippus Chriſtum eſſe eum à Moſe prædictum prophetam intellexit, cum adhuc rudis eſſet doctrinæ Euangelicæ, idque apertè Natanaeli ſignificauit, quonã modo peritiſſimos legis id ignoraſſe arbitremur? Ergo ſe in nullo numero prophetarum poni voluit, ne vulgarem quidem & infirmi pretij prophetam haberi. Atqui eum non prophetam modo, ſed prophetis ſuperiorem etiam, Chriſti ſumma veritas prædicauit. *Quid exiſtis, inquit, in deſertum videre? Prophetam? Etiam dico vobis, & pluſquam prophetam.* Quod ſi neque virtuti virtus, neque veritati poteſt veritas eſſe contraria, quomodo hæc cohærent & conſtant, vt quem Chriſtus confirmat eſſe prophetam, eundem Ioannes neget? Neque humilitatis ratio eſt, niſi veritate nitatur. Non enim quod quidam ineptè falſoque ſenſerunt, vt humiles ſimus, mendaces eſſe debemus. Quaſi vero non ſuppetat ad humilitatem veritas, ac niſi falſitas opituletur, vnde demiſsè atque humiliter de nobis ſentire & loqui poſſimus, inuenire non liceat. Id vero ſuperbiæ eſſe maximæ quis ignoret? atque ea humilitas tota falſa, tota commentitia ſit neceſſe eſt, quæ falſo fundamento nititur. Probata eſt illa Auguſtini ſententia. *Cum humilitatis cauſa mentiris, ſi non eras peccator antequam mentireris: mentiendo efficeris, quod euitaueras. Veritas in te non eſt, niſi te ita dixeris peccatorem, vt etiam eſſe cognoſcas. Nam quomodo eſt humilitas, vbi regnat falſitas?* Igitur vt humilis fuit, ita æquè vera reſponſio Ioannis. Et eſſe eum Prophetam verè Chriſtus aſſeruit, & non eſſe Prophetam ſe non falsò Ioannes ſenſit. Atque id quoniam refert plurimum, vt penitus intelligatur, doctrina beati Thomæ præclara repetenda eſt, qui de Humilitate diſputans, docet humilẽ in ſe non quæ ex Deo habet cõſiderare, quibus excellit, ſed quę

Aug. ſer. 31. *de verbis Apoſtoli. Refertur* 22. *q.* 2. *c. cum humilitatis. Idem docet lib. de natura & grat. c.* 34. *S. Tho.* 2. 2 *q.* 161. *ar.* 2.

habet ex ſe, quibus inferior eſt. Itaque ſine mendacio aut fictione ſe alijs etiam inferioribus poſſe ſubijcere. Nam vt etiam Auguſtinus dixit. *Qui vera pietate Deum diligit, plus intendit in ea in quibus ſibi diſplicet, quam in ea, ſi qua in illo ſunt, quæ non tam ipſi, quam veritati placent.* Ergo Ioanni, qui eſſet perfecta humilitate præditus, ſalua veritate pronuntiare licuit, ſe non eſſe Prophetam. Neque enim erat Propheta illius generis, vt futura prædiceret, quemadmodum veteres faciebant. Cum eſſet tamen Propheta & pluſquam Propheta, qui ipſum Dei filium in carne præſentem, ſpiritu diuino agnoſceret, mortalibuſque indicaret. Quod enim ad laudem ſuam pertinebat verum, tacuit ac diſſimulauit, quod ad contemptum magis excitandum & admirationem de ſe hominum comprimendam, pertinere videbatur, illud expreſſit. Itaque humilitatis ſanctæ, ſpiritu ducti magni ſæpe homines de ſe abiectiſſima indigniſſimaque pronuntiant. Paulus quidem Apoſtolus ſcribit ſe eſſe minimum Apoſtolorum, imo vero omnium Sanctorum minimum. Idem ſe blaſphemum, & perſecutorem, atq; indignum Apoſtolico nomine. Idem quod mireris amplius, ſe omnium peccatorum maximum confitetur. His enim verbis vtitur: *Fidelis ſermo & omni acceptione dignus, quia Dominus Ieſus venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere, quorum primus ego ſum. Sed ideo miſericordiam conſequutus ſum, vt in me primo oſtenderet Chriſtus Ieſus omnem potentiam ad informationem eorum qui credituri ſunt illi in vitam æternam.* Quorum verborum profundiſſimam humilitatem egregie ponderat Chryſoſtomus ad hunc modum. *Hoc* ait Paulus: *cum vellet Deus certiores homines facere, quod omnia illis peccata donauit, elegit eum qui plus omnibus deliquerat, cui ſcelera cuncta dimitteret. Et intuere quæſo diligentius beatiſſimi viri prorſus humilem mentem. Non dixit, vt in me oſtenderet patientiam, ſed omnem patientiam,* ac

Au lib. 5. de ciuitate c. 20

1. Cor. 15.
Epheſ. 3.

1. Tim. 1.

Chryſoſt. in 1. Timoth. 1. hom. 4.

ac ſi apertè diceret. Nullus eſt in quo maior habenda ſit patientia, neque inueniri facilè poteſt peccator, qui tanta abundantia miſerationis indigeat. Ita quidem Chryſoſtomus Paulum interpretatur, & verè, nihil enim humilius illo. Num igitur putatis, cum hæc ille de ſe diceret, falſum aliquid fictumve afferre voluiſſe? Minimè verò. Num prædicator veritatis, mendacio humilis eſſe pergeret? Nihil dici ſtultius poteſt. Quid igitur? ſe quidem Paulus ex ea parte ſpectabat, qua miſeriam ſuam extare cernebat, alios vero contuebatur ex ea contrà parte, qua miſericordia Dei eminebant. Itaque ſtudio animoque veriſſimo de ſe abiectè & demiſsè, de alijs præclarè excellenterque ſentiebat. Quę ſanè ſentiendi pronuntiandique ratio, non tam ſpeculatiuo diſcurſu nititur, quam affectu quodam practico ſynceriſſimo, quo vir humilis ſponte ad propriam ſemper inopiam, infirmitatemque reſpicit. Atque hæc humilitatis veriſſimæ contemptio ſui, rariſſima eſt hodie inter homines, eos quoque qui ſanctitatis laude florent. Nam vt Chryſoſtomus ſcitè dixit, *Humilitas non facile inuenitur, ſed humilitatem quidem verborum plurimam, & vltra quam ſatis ſit abſque difficultate reperies: animi vero humilitatem difficillimè.* Quin potius ipſo humilitatis habitu & ſpecie ad ſuperbiam plerique abutuntur, qui de ſe demiſsè abiecteque loquuntur, vt exiſtimationem ſanctitatis ſuæ augeant, atque ab alijs eo amplius laudentur. *Eſt qui nequiter humiliat ſe* (ait Sapiens) *& interiora eius plena ſunt dolo.* Callidè admodum ſuperbia ſe humilitatem mẽtitur, vt humilitatis gloria potiatur. Etenim ſi verè & ex animo illa procederent, quæ in nos dicimus, eadem cum ab alijs dici prædicarique audimus, non adeo ægrè moleſteque ferremus. Nunc vero quę de nobis confitemur, ea cum alij nobis obijciunt aut vituperãt, indignamur, iraſcimur, grauem iniuriam contumeliamque conquerimur. Quare fucus quidem

Chryſoſt. homil. 3. in 1. Timoth.

Eccleſ. 19.

dem humilitatis eſt plurimus, ſuperbiæ vero vis incredibilis, quæ nos agitat. Itaque fit vt dolo celeriter patefacto, non modo apud Deum miſerè iaceamus, ſed etiam hominibus ridiculi ſimus, fructus dignos fraude referentes. Nihil eſt enim quod perinde diſpliceat atque odio ſit, ac ficta virtus, præſertim humilitatis indumento alieno depoſito facies ſuperbiæ, quæ latebat, aperitur. Videntur mihi ſanè ij homines, fœminæ illi perſimiles, quam Scriptura narrat diſſimulata reginæ perſona, habitu paupere aſſumpto, Prophetã Abdiam de filij morbo conſuluiſſe: quæ cum fallere Prophetam pararet, atq; deludere, cognita ac deprehẽſa, dolum ſibi nocuiſſe ſenſit, conuitio detecta, durumque de filij interitu pro mercede nuntium reportans. Itaq; ſuperbia meretur illudi, eoq; magis, quo ſe alieno humilitatis habitu amplius mentitur. Quare Ioannis Baptiſtæ exemplo edocti, illud diligenter ſtudeamus præſtare, quod Paulus adhortatur *In humilitate ſuperiores ſibi inuicem arbitrantes.* Atque in alio loco: *Vt dignè ambuletis vocatione qua vocati eſtis cum humilitate.* Omnem humilitatem tunc ſeruabimus, cum & maioribus obtemperauerimus, & ceſſerimus æqualibus, & minoribus quoque nos ſubiecerimus.

3. Reg. 13. *Philip. 2.* *Epheſ. 4.*

4 Quemadmodum humiles Deus extollat.

Fuit ſanè humilitas Ioannis admirabilis & eximia. Sed fuit Chriſti non impar, imo multo cumulatior laudatio Ioannis: vt hinc ſatis perſpicuum fiat, quam ſit illud veriſſimè à veritate ipſa pronuntiatum, *Qui ſe exaltat, humiliabitur: & qui ſe humiliat, exaltabitur.* Quia enim ſe Ioannes demiſit, abiecit, contempſit, ab ipſo Deo Chriſto palàm eſt, atq; magnificè laudatus, ornatus, in cælum elatus. Ipſe ſe Prophetam negauit: Chriſtus eum Prophetam prædicauit, & pluſquam Prophetam. Ipſe Eliæ & nomen & meritum à ſe propulſauit & repulit, Chriſtus non dubitauit Eliam appellare, atque officio & merito

Matth. 11.

rito vel æqualem vel ſuperiorem oſtendere, prædicatione, virginitate, zelo, Regis, Reginæque perſecutione per omnia certè ſimilem. Ipſe ſe indignum iudicauit, qui procumbens Chriſti corrigiam calceamenti ſolueret: Chriſtus eum tanto eſt honore dignatus, vt ſe lauandum, ac baptizandum nudum, illius manibus ſubijceret. Ioannes Chriſti ſe eſſe præconem profeſſus eſt, vt eius aduentum omnibus denunciaret: Chriſtus virtutum Ioannis eſt præco factus, Ioannem non Prophetis ſolum anteponens, verumetiam Angelis inſerens, quo natum eſſe maiorem ex mulieribus aſſereret, neminem. Ita fit, quod Chriſtus diſcipulos ſuos monitos voluit, vt qui minimum ſe præbuerit, fiat maximus. Huc intuentes ſancti Patres non ceſſant ad humilitatem nos cohortari, quorum è numero magnus ille Athanaſius ſic loquitur: *Ingens remedium eſt ad ſalutem animi humilitas, cum Satanas non ob ſcortationem, aut adulterium, aut furtum deiectus ſit è cælo, ſed ſuperbia illum inde præcipitarit infra ipſam abyſſum: cuius hæc verba fuere: Aſcendam & ponam ſolium è regione Dei, & ero æqualis altiſſimo. Et ob hæc verba deiectus eſt, ignisque æternus illius hæreditas & portio factus eſt. Superbia in diabolo eſt: humilitas contra in Chriſto, cum ipſe Dominus loquatur, Si quis inter vos cupiat fieri magnus, ſit omnium miniſter.* Quæ planè omnia conſiderantes, debemus, fratres, humilitati impensè ſtudere, & Chriſto alacriter conſtanterque ſeruire, qui tam bonus eſt Dominus, vt ſeruos ſuos fideles, qualis Ioãnis extitit, ampliſſimè glorioſiſſimeque remuneret. Ipſi gloria & imperium in omnem æternitatem. Amen.

Matth.17.

Matth.3.

Matth.11.

Athanaſ. in lib. de virginitate.

IN EADEM DOMINICA
CONCIO TERTIA.

Interrogauerunt eum, Tu quis es? Ioan. 1.

1 Prius interrogandum, quam iudicium ferendum.

QVANQVAM in hac legatione, quam Ioanni deſtinauerunt Iudæorum principes, multa peccarunt, vt alio tempore oſtendimus, tamen illud rectè ſe habuit, quòd nihil ſibi decernendum putarunt, antequam, quid ipſe de ſe Ioannes ſentiret, quid confiteretur, cognoſcerent. Quare laudanda eſt eorũ illa vox, *Tu qui es?* Sapientis conſilium eſt, *Prius quam interroges, ne vituperes quenquam: & cum interrogaueris, corripe iuſtè. Prius quam audias, ne reſpondeas verbum.* (Eccleſ. 11.) Cum enim viderent Iudęi Ioannem nouo more, nouo inſtituto paſſim cateruas hominum baptizare, & maiorum ad id munus mandatum habere nullum ſcirent, neque vituperare auſi ſunt, neque autoritate probare ſua voluerunt, niſi cauſa quæſita & cognita. Quare cum ſe neque Chriſtum neque Eliam eſſe, neque vero Prophetam aliquem reſpondiſſet, iam iure ſuo ſuccenſere ſibi viſi ſunt, itaque contradixerunt, *Quare ergo baptizas, ſi tu non es Chriſtus, neque Elias, neque Propheta?* Mihi vero hoc tempore permulti videntur baptizare, qui Prophetæ non ſunt: id eſt eas ſibi Eccleſiaſtici muneris partes ſumere, quibus agendis idonei nullo modo ſunt. Qui enim conuenit, vt Epiſcopi & nomen & ſedem teneat, qui aleæ ſtudet, qui

qui totus in venationibus aut aucupijs eſt, qui ſolummodo augendis ditandiſque conſanguineis vacat? Aut quomodo is iudex conſtituetur, qui alieno ære oppreſſus, nihil aliud in cauſis tractandis cogitat, quam vt nummum quam poſſit copioſiſſimè & occultiſſimè emungat? Nonne hunc merito interrogandum putatis. Tu quis es? *Principes tui* (ait Propheta) *ſocij furum*. Nam ſocios eos furum rectiſſimè exiſtimemus, qui eos ſibi ſatellites adhibent, rerumque agendarum miniſtros, quos quæſtum ex officio facere ſciunt, pluriſque lucellum, quam legum obſeruantiam ducere. Nam de parochis Eccleſiaſticiſque præfectis magna quoque querela exiſtit, quòd paſtores non ſolum mercenarios ſe præbeãt, verum etiam lupos interdum agant. *Non parcentes gregi*, vt dixit Apoſtolus. *Et erit ſicut populus, ſic & ſacerdos: peccata populi mei comedent: & ad iniquitatem eorum ſubleuabunt animas eorum.* Verè multi præfecti peccatis & iniquitate veſcuntur, dum licẽtiam vitijs tribuunt, vt opes augeant, aut quod eodem redit, vitia obiurgare prętermittunt, ne vitæ commoditatibus excidant. Eorum enim verborum Oſeæ, etſi plerique Cyrilli & Theodoreti ſententiam ſequuti, aliam afferunt interpretationem, tamen mihi probatur Gregorij expoſitio, quæ ſic habet: *Cur ſacerdotes peccata populi comedere dicuntur, niſi quia peccata delinquentium fouent, ne temporalia ſtipendia amittant? Sed & nos qui ex oblationibus fidelium viuimus, quas illi pro peccatis ſuis obtulerunt, ſi comedimus & tacemus, eorum proculdubio peccata manducamus.* Neque ab ijs diuerſa Bernardus. *Peccata*, inquit, *populi mei comedent, quaſi dicat, peccatorum pretia exigunt, & peccantibus debitam ſolicitudinem non impendunt. Quem dabis mihi de numero præpoſitorum, qui non plus inuigilet ſubditorum vacuandis marſupijs, quam vitijs expurgandis?* Vtinam non verius quam audacius hæc Bernardus. Vnde igitur tanta pernicies? certè miniſtri

Eſai. 1.

Actor. 20.

Oſe. 4.

Greg hom. 17. in Euang.

Bern. ſerm. 77 in Cant.

ſtri eliguntur non boni, qui cogniti exploratique non ſunt: quibus non eſt tempeſtiuè dictum, Tu quis es? Sed dicet quiſpiam, omnia de ſe præclara prædicaturos, ſi interrogentur, quid opus eſt quærere, Tu quis es? cum ſint de ſe teſtimonium dicturi ampliſſimum? Enimuero fratres, ſi vitam moreſque interrogemus cuiuſque, non facilè decipiemur. *Oſtendat*, inquit, Apoſtolus Iacobus, *ex bona conuerſatione operationem ſuam*. Quod ſi teſtimonium operum idoneum ſuppetat, non fruſtra fides dictis habebitur. Mentiri neſcit vita integra. Seipſum etiam interroget vnuſquiſque, Tu quis es? An Chriſtianus voce, moribus paganus? an profeſſione & veſte regularis, vitæ conſuetudine ſecularis? an ſpecie matrona honeſtiſſima, actu & ſtudijs leuiſſima pellex? Quanta perturbatio rerum? quam ſæpe homines falluntur amore ſui, & alios facile fallunt?

Iac. 3.

2 Veritatis ſtudium & laus.

Confeſſus eſt, ait, *& non negauit*. Magna veritatis laus in Ioanne, qui in re tanta fidem meruit dictis. *Ille*, inquit Chriſtus, *teſtimonium perhibuit veritati*. Oblato tanto principatu Ioannes, nihil de veritate detrahendum putauit: nos ob leuiſſimas res facile ad mendacia dilabimur. Omninò eſt turpe vitium, viroque ingenuo indignum, mentiri. Sed qui grauiſſimè ferunt, appellari mendaces, ijdem non flocci habent eſſe mendaces, quæ quidem eſt res vehementer abſurda. Spiritus ſancti præceptum eſt, *Noli velle mentiri omne mendacium*. Eiuſdem Sapientis ſententia eſt, malle ſe cum furibus communicare quam cum mendacibus, & verè. Inter fures enim periclitatur marſupium, omniſque iactura ad pecuniam tandem redit: ac mendaces honori, exiſtimationique inſidiantur, capitis quoque, ſi his fidas, ſæpe periculum adeas. Verba ipſa Sapientis pono, quæ ſunt ſcitu digniſſima. *Opprobrium nequam in homine mendatium: & in ore indiſciplinatorum aſſiduè erit. Potius fur, quam aſſiduitas*

Ioan. 5.

Eccleſ. 7.

Eccleſ. 20.

duitas viri mendacis: perditionem autem ambo hereditabunt. Mores hominum mendacium ſine honore: & confuſio illorum cum ipſis ſine intermiſſione. Pulchrè admodum quam vile & ſordidum vitium ſit hominum, mendacium, expreſſit, quin periculoſa etiam conſuetudo, quanta turpitudo, quoquo ſe vertant. Pueri autem præcipuè caſtigandi ſunt, ſi mentiri conſueſcant. Vix enim viri exuere eam turpitudinem poſſunt, quam à teneris imbuerunt. Plutarchi præclariſſimum præceptum eſt: *Præter hæc omnia, id quod ſanctiſſimum eſt, pueri vera proferre conſueſcant. Mentiri enim ſeruile vitium eſt, & à cunctis mortalibus odio inſectandum, nec quod apud mediocres etiam ſeruos veniam promereatur.* Herodotus Græcus autor antiquus ſcribit apud Perſas turpiſſimum duci mentiri: & æs alienum debere, propterea quod neceſſe ſit eundem qui debet, mẽdacio quoque obnoxium eſſe. Illud vero vſu venire ſæpenumerò ſolet, vt viri veraces, quanuis prima fronte, cum ea dicunt, quæ minus placent, diſpliceant, poſtea tamen ob integritatem cognitam, & in pretio ſint, & amẽtur. Cōtrà, qui malis artibus fallendo animũ potentiũ demulcent, ſimulatq; illorũ tecnæ & mẽdacia patefiunt, odio eſſe incipiunt graui ijs ipſis, quibus obſequi videbãtur. Eam rem mirificè conſecutus mihi Plato videtur, cuius de veritate teſtimoniũ ipſius verbis recitabo. Sic igitur ſcribit in ſuis de Legibus libris: *Veritas profecto cum Dijs, tum hominibus dux omnium eſt bonorum. Cuius, qui felix, beatusq; futurus eſt, ſtatim ab initio particeps eſſe debet, vt in veritate plurimum tempus vitam agat. Fidus hic certè eſt, infidus autem, qui ſponte mentitur: qui vero non ſpōte, amens quorum neutrum optabile eſt. Nam & infidus & amẽs ab amicitia admodum alienus: ac procedente tẽpore cognitus in tantã in odioſa ſenecta vitæq; termino ſolitudinem incidit, vt ſiue viuant, ſeu deceſſerint filij & amici, ſimiliter orbam vitam agant.* Magna planè veriſsimaq; ſententia.

Plutarch. de educatione liberorum.

Herodot. lib. 1. Clio.

Idem docet Plutarchus in lib. quod non ſit fœnerandum.

Plato lib. 34. de legibus, ſiue dialogo 5. de legum latione.

ſententia, nihil quippè hominibus odioſius, quam decipi ab ijs præſertim, quorum fidem maximè flagitant. Quare quo chariores, eo grauiorem mendacio offenſam contrahunt.

3 Diuini præconis officium. *Eſai. 40.*

Ego vox clamantis in deſerto. Officium ſibi humile præconis Ioannes tribuit. Simul veteris vaticinij Eſaiæ admonet, ne baptiſmi inſtitutum nullo iure vſurpaſſe ſibi videretur, quem ipſum baptiſmum eſſe prædicat, non adeo magni pretij, cum in aqua ſit, non tam S. Spiritu continens & conferens, quam prænuntians, eo genere baptiſmi dandum, quo Chriſtus Dei filius vteretur. Vtriuſque baptiſmatis differentiam ponit egregiè S. Titus autor perantiquus ſic: *Baptiſma Chriſti ex vi propria perfectam remiſſionem peccatorum habet: At Ioannis baptiſma licet remiſſionem peccatorum adiunctā habeat, non tamen eam ex ſe habebat, ſed ex pœnitentia. Erat enim imperfectum, quanuis cæteris baptiſmatis Iudæorum perfectius: præparabat enim homines ad pænitentiam, & baptiſmum Chriſti.* Eadem eſt Cyrilli hoc loco, veterumque omnium ſententia: qua dogma Catholicum mirificè confirmatur, quod Sacramenta Chriſti vi ſua ac virtute iuſtificent, & quod Theologi aiunt, ex opere operato gratiam ea ſuſcipientibus conferant. Quod vero ſe Ioannes appellat vocem clamantis, quod ſe nihil aliud quam Chriſti præconem profitetur, quanquam eſt ab humilitate & modeſtia profecta confeſſio, tamen habet id veritatis, ita dignitatis non parum. B. Franciſcus, vt Bonauentura literis tradidit, cum in latrones incidiſſet, rogatus quis eſſet, ſe per ſummum gaudium magni Regis præconem profeſſus eſt. Etenim diuini verbi miniſtri, veriſſimi ſunt Dei præcones. *Præconis quippe,* ait Gergorius, *officium ſuſcipit, quiſquis ad ſacerdotium accedit: vt ante aduentum iudicij, qui terribiliter ſequitur ipſe ſcilicet clamando gradiatur.* Nam vt præco neque de ſuo quicquam pronuntiat, neque ea poteſt

Titus in Lucam cap. 3.

Bonauen. in vita S. Franciſci c. 2.

Greg. in paſtor. p. 2. c. 4.

poteſt vel tacere vel immutare, quæ edicuntur à iudice, ita Prophetæ & miniſtri Chriſti nihil de ſuo cerebro dicere debent, nihil etiam non dicere, quod diuinitus dicere iubentur. Ea lege ſe Ezechielem Deus ſpeculatorem legiſſe affirmat, vt quæ viderit, dicat, quæ audierit, denuntiet: non quæ illi iucundiora melioraque videbuntur, *Fili hominis ſpeculatorem domui Iſrael dedi te: & audies ex me ſermonem, & annuntiabis eis.* Quam ſuam conditionem agnoſcens alius Propheta, hoc eſt Micheas, cum obnixè rogaretur ea referre, quæ cum aliorum vaticinio conuenirent, quæque regibus eam vocantibus forent grata & iucunda, iureiurando confirmauit, ſe nihil poſſe aliud renuntiare, quam quod ei eſſet diuinitus inditum. Hac fide ſi Dei miniſtri fuerint, ſi fideles verbi diuini ſe nuntios præbuerint, magnum Chriſtianus populus ex eorum concionibus fructum ſine dubio capiet. Sin quod olim falſi prophetæ agitabant, nugas ſuas & ſomnia pro Dei verbo venditarint, & ipſi graues violati officij pœnas luent; & infelix ac ſtulta plebecula talibus deliramẽtis aures libenter præbens, duplo ſtultior deteriorque recedet. Neque vero præconi indignamur, quanuis acerba & grauia clamitet, cum dictata à Magiſtratu eum pronuntiare animaduertimus. Itaque ineptiſſimi illi ſunt, qui aduerſus concionatores inſaniunt, cum in vitia aſperius inuehuntur, quibus ipſi tenentur. Quin potius peccatis iraſcantur ſuis, prædicatoribus verò, quod iuſſu Dei vitia ac peccata reprehendant, quo peccatores correcti ſanentur, plurimam gratiam habeant.

Ezech.3.

3.Reg.22.

Medius autem veſtrum ſtetit quem vos neſcitis cuius ego non ſum dignus, vt ſoluam corrigiam eius calceamenti. Summam Dei maieſtatem decet, vbique eſſe præſentem, & nuſquam capi, quem meritò Auguſtinus inuocat præſentiſſimum, & ſecretiſſimum. Origenes

4 Præſens eſt Deus & latet.

Aug. 1. confeſſ. c. 4. inuiſibilem deitatem prædicat hoc loco, cum ſit cuique præſens. Verùm Dei bonitatem non minus quam maieſtatem hinc quoque intelligere poſſumus, quod ſimilis adeo nobis effectus eſt, vt vix diſcernatur inter homines homo. Magnam ergo Dei noſtri familiaritatem cum hominibus prædicat Ioannes, vt inter nos verſetur, mediuſq; incedat vulgari habitu, adeo diſſimulata illa maieſtate ſua, vt minimè cognoſcatur. Reuera incredibilis eſt diuinæ bonitatis dulcedo, eximius eſt quidam amor in homines, id enim amantium oppidò eſt proprium, vt cum iis verſari ex æquo cupiant quos amant, tametſi conditione ac dignitate longè impares ſint. Itaque amicitiam dixit Cicero amicos aut inuenire pares aut facere. *Tullius de amicitia.* Scriptura vero ſacra ſic Deum loquentem inducit. *Prouer. 8.* *Et deliciæ meæ eſſe cum filiis hominum.* Et alia item Scriptura: *Leuit. 26.* *In ambulabo in er eos, & in eis morabor: ipſi populus meus erunt, & ego ero eorum Deus.* *1. Cor. 6.* Id præclariſſimè præſtat Chriſtiano populo, in quo Chriſtus vſque in diem hodiernum verſatur medius, ſed occultus. *Eſai. 45.* *Verè enim tu es Deus abſconditus.* Quid enim poteſt eſſe magis familiare & commune, quam Euchariſtiæ vſus, quam quotidie ſpectamus, quotidie ſumimus, quæ vbique ſe præbet, vbique ſeruatur? At quid poteſt eſſe contra occultius, & tectius, quam Dei præſentia, & ipſius Chriſti ſubſtantia veriſſima, in illo exiguo orbiculo panis; in illa ordinaria populi ſpecie? Medius tamen noſtrum ſtat, quem nos neſcimus. *4. Reg. 6.* Vtinam quod Eliſæus puero ſuo precabatur, nobis detur, vt oculi aperiantur noſtri, atque ita & videamus, & cognoſcamus, & adoremus, & amemus ardentiſſimè amatorem noſtrum Ieſum, tam ſe ſuis familiariter amiceque præbentem. Sed in aliis etiam religionis noſtræ myſteriis vſurpare liceat eãdem cogitationem, eandem mẽtem induere, vt Deum planè occultatum cognoſcamus.

camus. In Scriptura ſacra vt Theophylactus ait, paſſim occurrit Chriſtus, quem neſcimus, dum Scripturas, quas legimus, non intelligimus. Eſt etiam nobis proximus atque in medio poſitus, ſi conſideremus; in ſacerdotio, in obedientia religioſa, in ſanctis & diuinitus inſpiratis deſiderijs, quæ ſæpenumero prętерfugere nos atque elabi ſinimus, quod Dei maieſtatem illic nobis oblatam non admodum conſideramus. *Quem vos neſcitis*, atque ſcire eum perfecta felicitas eſt: vtinam ea frui contingat.

Cuius non ſum dignus, vt ſoluam eius corrigiam calceamenti. Non ex modeſtia ſolum atque eximia humilitate manauit ea ſententia, ſed ex intimo etiam & ardenti quodam Ioannis amore in Chriſtum. Nihil enim ſibi beatius accidere poſſe is exiſtimabat: quam vt Chriſto famularetur, ac quouis etiam abiecto obſequij genere eum demereretur. Talis eſt Sanctorum in Chriſtum affectus, nihil de dignitate, nihil de gloria ſua laborant: toti in Chriſto vno colendo, adorandoque ſunt. Quare videmus cæleſtes poteſtates ante agnum & procumbere, & clamare, & muſicos concentus edere, & coronas capitibus detractas pedibus aduoluere, & odoramenta ſuffituſq; ſuauiſſimos adolere, omni denique officio in eum obſequioque inter ſe certare. Quis illud carmen exaudiat, qui non ſummoperè delectetur? *Dignus eſt agnus qui occiſus eſt, accipere virtutem, & ſapientiam, & fortitudinem, diuinitatem, & honorem, & benedictionem & gloriam.* Quid illud, *Redemiſti nos Domine in ſanguine tuo, & feciſti nos Deo noſtro regnum, & ſacerdotes, & regnabimus ſuper terram*? Dici non poteſt, quam ſit ardens beatorum amor in Chriſtum, quam in illo ſuſpenſi affixique ſint: quemadmodum ſe ſuaque omnia contemnant præ illa ineffabili pulcritudine. De quo Angelorum mirabili amore in Deum, & ſui ipſorum cõtemptu Auguſtinus ſcribit his verbis.

5 Reuerentia & amor in Chriſtũ.

Apoc.5.

Aug.li.9. de ciu.c.22.

Angelis bonis Dei, qua ſanctificantur, charitas chara eſt, præ cuius incommutabili & ineffabili pulchritudine, cuius ſancto amore inardeſcunt, omnia quæ infra ſunt, & quod illud eſt non ſunt, ſeque ipſos inter illa contemnunt: vt ex toto quod boni ſunt, eo bono, ex quo boni ſunt perfruantur. Talis eſt, fratres, Dei cognitio, talis amor ijs, qui ſapiunt, vt quo beatiores ſunt, eo ſe magis abijciant præ vno illo verè pulchro, verè amabili, verè bono. Eo igitur affectu Ioannes Baptiſta tactus, adeò ſe præ Chriſto contempſerat & abiecerat, vt nihil perinde cordi eſſet, nihil ipſi æquè in votis, ac toto mundo ſpectante infimum famulatus genus Chriſto exhibere, quo ſe ſe prorſus neglecto atque contempto, omnes Chriſtum ſuſciperent, omnes ad Chriſtum conuolarent, vni omnes Chriſto inhærerent. Neque interim myſterio vacat, quod corrigiam calceamenti ſibi ſoluendam deprecatur, inſinuans, vt Patres plerique interpretantur, præſertim Gregorius Papa, & Gregorius Nazianzenus diuinam naturam tanquam calceamento quodam humanæ noſtræ naturæ tectam atque celatam, non ſatis ipſius ſcientiam apprehendi; ſed tamen quadam ex parte pro munere ſibi diuinitus dato, hominibus myſterium Chriſti aperiendum, vt tanquam corrigia laxata latentem, iam omnes Chriſti diuinitatem cognoſcant, atque venerentur, cuius veſtigia terra teneat, ac ex humili illo corporis Chriſti paſſibilis veluti tegumento, ad impaſſibilem & omni natura ſuperiorem ſubſtantiam, mentem cogitationemque traducant, illudque Apoſtolicum encomium verum ſit, *Et ſi cognouimus ſecundum carnem Chriſtum ſed nunc iam non nouimus.* Is enim qui aliquando paſſus eſt, & crucifixus & mortuus eſt, qui fuit ſimilis noſtri, paſſibilis ac mortalis, nunc per omnia immortalis, per omnia Deus glorioſus eſt & æternus.

Greg. Papa hom. in Euangel.
Greg. Naz. orat. in ſancta lumina.
2. Cor. 5.

DOMI-

DOMINICA QVARTA ADVENTVS.

CONCIO PRIMA.

Anno quintodecimo imperij Tiberij Cæſaris, procurãte Pontio Pilato Iudæam, & cætera. Lucæ 3.

EORVM qui res geſtas virorum clarorum, hiſtoriaſque conſcribunt, conſuetudo eſt, cum inſigne aliquid narrare aggrediuntur, tempora vt aſſignẽt certiſſima, olympiadas, conſulatus, imperia id temporis obtinentia demonſtrent, quo & dictis fideles maior accedat, & lecturis excitetur amplius cognoſcendi ſtudium, tanquam ædificium nobile penitus adire cupientibus, in ipſo aditu & foribus, maieſtas ſe quædam & ſplendor oſtendat. Idque præſertim faciunt, cum rerum magna commutatio, aut principatus alicuius memorabilis initium indè prætexitur. Sic & Poeta eximius Romanæ gentis gloriam, ab ingreſſu in Italiam Troianorum moliens exorſus eſt:

1 *Deſcriptionem tẽporis, hiſtoriæ fidei conducere.*

Nunc age qui Reges, Erato, quæ tempora rerum,
Quis Latio antiquo fuerit ſtatus, aduena claſſem,
Cum primum Auſonijs exercitus appulit oris.

Virgil. 7. Aeneid.

Simili exordio Thucydides, quem Lucas græcanicæ non expers literaturæ, videtur imitatus, Peloponenſium bellum ſcripturus vtitur ad hunc modum. *Anno quintodecimo ſub Chryſide tunc apud Argos duo*

Thucydides lib. 2. de bello Peloponeſiaco.

de quinquageſimum ſacerdotij annum agente, & AEmeſio apud Spartam Ephoro, & Pythidoro iam alterum menſem Athenienſibus præſidente, ſexto menſe à pugna apud Potidæam commiſſa. & cætera. Idem videre eſt in alijs illuſtribus hiſtoriæ ſcriptoribus. Quod Græci & Latini hiſtorici faciunt, in ſacra hiſtoria Machabæorum id obſeruari cernimus, vt olympiadas Græcorũ, ſimul Pontificatus ſuorum referat. Eo more & inſtituto, à quo non abhorrent etiam propheticorũ ſcriptores, ſacer Lucas Euangelicæ prædicationis exordia ſcripturus, putauit ſibi diſtinctè, diluicideque ponendum: qui principes tunc florerent, qui Pontifices, quotus eſſet imperij Romani annus, cui vniuerſus iam orbis ſubditus eſſet. *Anno*, inquit, *quintodecimo imperij Tiberij Cæſaris, procurante Pontio Pilato Iudæam. Tetrarcha autem Galilææ Herode, Philippo autem fratre eius Tetrarcha Itureæ & Traconitidis regionis, & Liſania Abilinæ Tetrarcha, ſub principibus ſacerdotum Anna & Caipha, factum eſt verbum Domini ſuper Ioannem Zachariæ filium in deſerto.* At quo omnis illa commemoratio imperij Romani, Principum Iudaicorum, Pontificum denique euadit? Nempe vt teneamus quando diuitus eſt Ioannes tactus, vt prædicationis munere fungeretur. Id verò quanti eſt, vt exordio tam ſplendido, tam magnifico opus fuerit? Sed res fuit planè tanta commendatione digniſſima, quod regnum cælorum, id eſt regnum Chriſti, inde iam inchoarit, inde commutatio illa facta ſit maxima & clariſſima, legis in Euangelium, ſeruilis ſtatus in filiorum libertatem, terreni deniq; principatus in cæleſte ac diuinum imperium. Neque mea commentatio hæc eſt, verum Saluatoris ipſius præclara ſententia: *A diebus*, inquit, *Ioannis Baptiſtæ vſque nunc, regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Omnes enim Prophetæ & lex, vſque ad Ioannem prophetauerunt.* Igitur in Ioannis prædicatione

Matth. 11.

catione Chriſtus velut cardinem rerum poſuit, atque ipſa Euangelicæ legis fundamenta collocauit. Meritò proinde ſancti Patres Ioannem Baptiſtam vtriuſque teſtamenti interiectum limitem & tanquam hemiſphærij vtriuſque orizontem vocant, Gregorius Theologus maximè, qui cum alias, tum in diuina illa oratione in ſancta lumina ſic Ioannem alloquitur: *Tu qui Ieſum baptizas, tu ſolitudinis alumne, & nullius cibi homo, tu noue Elia, Prophetis excellentior, vtpote eũ qui Prophetarum vaticinijs prænuntiabatur, vidiſti, tu inter nouum & vetus teſtamentum interiecte.* In Ioanne terminum veteris, initium nouæ legis conſtituit diuina ſapientia. Quæ planè vel vna extitit, vel potiſſima ratio, cur Euangeliſtæ, cum in cæteris fere diuerſi ſint, tamen in exordiendo à Ioanne Euangelio mirificè inter ſe conſentiat. Omnes enim Chriſti prædicationi Ioannem præcurrere narrant. Ac Marcus quidem primis ſtatim verbis, ita exorſus eſt. *Initium Euangelij Ieſu Chriſti filij Dei, ſicut ſcriptum eſt in Eſaia Propheta. Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam ante te. Vox clamantis in deſerto, Parate viam Domini: rectas facite ſemitas eius. Fuit Ioannes in deſerto baptizans & prædicans,* & cætera. Ioannes vero Euangeliſta & Apoſtolus, vbi verbi diuinitatem expoſuit ad humana venturus, à Ioanne hoc, verba facere cœpit. *Fuit homo miſſus à Deo, cui nomen erat Ioannes.* Matthæus in Saluatoris infantia moratus nonnihil duobus primis capitibus, tertium protinus ita inchoat. *In diebus autem illis venit Ioannes Baptiſta prædicans in deſerto Iudeæ.* Matthæum hac parte imitatus Lucas, & duo is capita infantiæ Saluatoris actibus tribuenda arbitratus, vbi iam de prædicatione agendum ſibi eſſe ſtatuit, à Ioanne omninò exordiendum putat, toto illo circuitu & commemoratione Imperatoris Romani, prouincię præſidis, cæterorũ præfectorum,

Greg. Naz. in orat. in ſancta lumina.

Marci 1.

Ioan. 1.

Matth. 3.

Luc. 3.

Pontificum Iudæorum, eo tandem euadens, vt quod felix fauſtumque ſit, Regni Chriſti initia auſpicaretur ac conſecraret.

2 Peſſima fuiſſe tempora *Iudæorum*, cum Chriſtus venit.

Dan.7.

Quo quidem loco tantiſper nobis conſiſtendum eſt, ac diligenter conſiderandum, qualis ille fuerit ſtatus populi Iſraelitici, qualis conditio temporum. Nempè omnium, quæ vnquam fuerint, peſſima & grauiſſima. Primum enim parebat populus Dei externis gentibus, ſub imperio erat ferreo, atque omnium quæ pertulerat aſperrimo, vt eſt à Daniele de quarta illa beſtia innominata prædictum. Deinde Imperator is erat Tiberius, inquam, Cæſar quo neque fœdiorem neque crudeliorem Reſpublica vnquam Romana viderat: cuius flagitia & turpitudines inauditas ſui quoque ſcriptores produnt, Suetonius & Tacitus. De noſtris verò Hegeſippus, etſi paucis tamen abundè exponit ita ſcribens. *Tiberij tempora fœda ludibrijs, caprearumque ſeceſſu, ignauia intolerabilis, nullum tamen efficacis virum operis in necem eius excitauerunt, recentis vt arbitror Romani imperij reuerentia, ſiue terrore ſæuiſsimæ crudelitatis.* Iam vero ſub hoc Imperatore impuriſſimo, ac ſæuiſſimo præfectos habebāt Iudæi tum multos tum inſigniter improbos: Herodem: Philippum, Pilatum, qui externi erant, & animo alieniſſimo in Iudæos, quorum ſceleſtos actus, & mores prauiſſimos Ioſephus, Hegeſippuſque deſcribunt. Ad hæc mala accedebat ſacerdotij ac Pontificatus miſerrima conditio. Cum enim Dei populus à ſacerdotibus & Pontificibus auxilium tantis ſuis incommodis petere deberet, ab iis ipſis tolerabat longè maiora damna, quorum opera atque ope leuari ac recreari oportebat. Erant Pontifices ac ſacrorum principes Annas & Caiphas. Satis eſt nominaſſe homines, vel monſtra potius hominum. Ius vero ipſum Pontificale, & dignitas illa maxima à priſco ſuo decore & gloria adeò deſciuerat, vt vix

Hegeſippus lib.2.c.3.

tenuiſ-

tenuiſſima vmbra extaret. Obſcuratum ſacerdotium & contaminatum mille modis. Etenim ex diuino inſtituto Pontificem tum vnum, tum perpetuum, tum demum legitima ſucceſſione procreatum eſſe oportebat. At temporum colluuie eo erat ventum, vt Pontifices eſſent ſæpenumero plures, atque autoritate & immutata & labefactata, non perpetui, ſed ad tempus, idque nonnunquam annui, ac ſi municipales annui magiſtratus crearentur. Legitimę porrò ſucceſſionis cura, & ratio nulla. Prophanorum Principum arbitratu, ſacerdotia vel conferebantur, vel detrahebantur, venalia plerumque, pecuniaque coempta. Qui plus nummorum offerret, digniſsimus is Pontificatu habebatur. Cuius rei autorem idoneum legat qui volet, eorum ferè temporum teſtem Ioſephum, Flauium Iudęum hiſtoricum. Igitur cum res, cum profanæ tum ſacræ, eo in ſtatu forent, qualem putatis populum Iſraeliticũ extitiſſe? quam depreſſum? quam afflictum? quam omnibus modis peſſundatum? At tunc regni Chriſti initium factum eſt, tũc ſacerdotij noui ac ſempiterni iacta ſunt fundamenta, tunc diu expectatus Rex, idemque Pontifex Chriſtus, populo Dei mundoque apparuit. Qua de re præclarum Iſaiæ vaticinium illud extat: *Et nunc quid mihi eſt hic, dicit Dominus, quoniam ablatus eſt populus meus gratis? Dominatores eius inique agunt, dicit Dominus, & iugiter tota die nomen meum blaſphematur. Propter hoc ſciet populus meus nomen meum in die illa, quia ego ipſe qui loquebar, ecce adſum.* Itaque cum tyrannicè populus Dei opprimeretur, cum lex diuina & ceremoniæ ſacræ externis contemptui penè ac ludibrio eſſent, ſceleribus Iudæorum ſine vllo modo graſſantibus, tunc opitulandum ſuis maximè Deus omnipotens duxit. Neque duces aut iudices, vt olim, mittendos ſubſidio putauit: ſed ipſe, qui per Prophetas antea loqui, & conſulere ſuis ſolebat, per ſe

Ioſeph. lib. 20. de antiquit. c. 18.

Eſai. 52.

ſententia, nihil quippè hominibus odioſius, quam decipi ab ijs præſertim, quorum fidem maximè flagitant. Quare quo chariores, eo grauiorem mendacio offenſam contrahunt.

3 Diuini præconis officium.

Eſai. 40.

Ego vox clamantis in deſerto. Officium ſibi humile præconis Ioannes tribuit. Simul veteris vaticinij Eſaiæ admonet, ne baptiſmi inſtitutum nullo iure vſurpaſſe ſibi videretur, quem ipſum baptiſmum eſſe prædicat, non adeo magni pretij, cum in aqua ſit; non tam S. Spiritu continens & conferens, quam prænuntians, eo genere baptiſmi dandum, quo Chriſtus Dei filius vteretur. Vtriuſque baptiſmatis differentiam ponit egregiè S. Titus autor perantiquus ſic: *Baptiſma Chriſti ex vi propria perfectam remiſſionem peccatorum habet: At Ioannis baptiſma licet remiſſionem peccatorum adiunctã habeat, non tamen eam ex ſe habebat, ſed ex pœnitentia. Erat enim imperfectum, quamuis cæteris baptiſmatis Iudæorum perfectius: præparabat enim homines ad pœnitentiam, & baptiſmum Chriſti.* Eadem eſt Cyrilli hoc loco, veterumque omnium ſententia: qua dogma Catholicum mirificè confirmatur, quod Sacramenta Chriſti vi ſua ac virtute iuſtificent, & quod Theologi aiunt, ex opere operato gratiam ea ſuſcipientibus conferant. Quod vero ſe Ioannes appellat vocem clamantis, quod ſe nihil aliud quam Chriſti præconem profitetur, quanquam eſt ab humilitate & modeſtia profecta confeſſio, tamen habet id veritatis, ita dignitatis non parum. B. Franciſcus, vt Bonauentura literis tradidit, cum in latrones incidiſſet, rogatus quis eſſet, ſe per ſummum gaudium magni Regis præconem profeſſus eſt. Etenim diuini verbi miniſtri, veriſſimi ſunt Dei præcones. *Præconis quippe,* ait Gergorius, *officium ſuſcipit, quiſquis ad ſacerdotium accedit: vt ante aduentum iudicij, qui terribiliter ſequitur ipſe ſcilicet clamando gradiatur.* Nam vt præco neque de ſuo quicquam pronuntiat, neque ea poteſt

Titus in Lucam cap. 3.

Bonauen. in vita S. Franciſci. c. 2.

Greg. in paſtor. p. 2. *c.* 4.

poteſt vel tacere vel immutare, quæ edicuntur à iudice, ita Prophetæ & miniſtri Chriſti nihil de ſuo cerebro dicere debent, nihil etiam non dicere, quod diuinitus dicere iubentur. Ea lege ſe Ezechielem *Ezech.3.* Deus ſpeculatorem legiſſe affirmat, vt quæ viderit, dicat, quæ audierit, denuntiet: non quæ illi iucundiora melioraque videbuntur, *Fili hominis ſpeculatorem domui Iſrael dedi te: & audies ex me ſermonem, & annuntiabis eis.* *3.Reg.22.* Quam ſuam conditionem agnoſcens alius Propheta, hoc eſt Micheas, cum obnixè rogaretur ea referre, quæ cum aliorum vaticinio conuenirent, quæque regibus eam vocantibus forent grata & iucunda, iureiurando confirmauit, ſe nihil poſſe aliud renuntiare, quam quod ei eſſet diuinitus inditum. Hac fide ſi Dei miniſtri fuerint, ſi fideles verbi diuini ſe nuntios præbuerint, magnum Chriſtianus populus ex eorum concionibus fructum ſine dubio capiet. Sin quod olim falſi prophetæ agitabant, nugas ſuas & ſomnia pro Dei verbo venditarint, & ipſi graues violati officij pœnas luent; & infelix ac ſtulta plebecula talibus deliramētis aures libenter præbens, duplo ſtultior deteriorque recedet. Neque vero præconi indignamur, quanuis acerba & grauia clamitet, cum dictata à Magiſtratu eum pronuntiare animaduertimus. Itaque ineptiſſimi illi ſunt, qui aduerſus concionatores inſaniunt, cum in vitia aſperius inuehuntur, quibus ipſi tenentur. Quin potius peccatis iraſcantur ſuis, prædicatoribus vero, quod iuſſu Dei vitia ac peccata reprehendant, quo peccatores correcti ſanentur, plurimam gratiam habeant.

Medius autem veſtrum ſtetit quem vos neſcitis cuius ego non ſum dignus, vt ſoluam corrigiam eius calceamenti. 4 Præſens eſt Deus & latet. Summam Dei maieſtatem decet, vbique eſſe præſentem, & nuſquam capi, quem meritò Auguſtinus inuocat præſentiſſimum, & ſecretiſſimum. Origenes

Aug. 1. conf. c. 4. inuiſibilem deitatem prædicat hoc loco, cum ſit cuique præſens. Verùm Dei bonitatem non minus quam maieſtatem hinc quoque intelligere poſſumus, quod ſimilis adeo nobis effectus eſt, vt vix diſcernatur inter homines homo. Magnam ergo Dei noſtri familiaritatem cum hominibus prædicat Ioannes, vt inter nos verſetur, mediuſq; incedat vulgari habitu, adeo diſſimulata illa maieſtate ſua, vt minimè cognoſcatur. Reuera incredibilis eſt diuinæ bonitatis dulcedo, eximius eſt quidam amor in homines, id enim amantium oppidò eſt proprium, vt cum iis verſari ex æquo cupiant quos amant, tametſi conditione ac dignitate longè impares ſint. Itaque amicitiam dixit Cicero amicos aut inuenire pares aut facere. Scriptura vero ſacra ſic Deum loquentem inducit. *Et deliciæ meæ eſſe cum filijs hominum.* Et alia item Scriptura: *Inambulabo in eis, & in eis morabor: ipſi populus meus erunt, & ego ero eorum Deus.* Id præclariſſimè præſtat Chriſtiano populo, in quo Chriſtus vſque in diem hodiernum verſatur medius, ſed occultus. *Verè enim tu es Deus abſconditus.* Quid enim poteſt eſſe magis familiare & commune, quam Euchariſtiæ vſus, quam quotidie ſpectamus, quotidie ſumimus, quæ vbique ſe præbet, vbique ſeruatur? At quid poteſt eſſe contra occultius, & tectius, quam Dei præſentia, & ipſius Chriſti ſubſtantia veriſſima, in illo exiguo orbiculo panis; in illa ordinaria populi ſpecie? Medius tamen noſtrum ſtat, quem nos neſcimus. Vtinam quod Eliſæus puero ſuo precabatur, nobis detur, vt oculi aperiantur noſtri, atque ita & videamus, & cognoſcamus, & adoremus, & amemus ardentiſſimè amatorem noſtrum Ieſum, tam ſe ſuis familiariter amiceque præbentem. Sed in alijs etiam religionis noſtræ myſterijs vſurpare liceat eãdem cogitationem, eandem mẽtem induere, vt Deum planè occultatum cognoſcamus.

Tullius de amicitia. *Prouer. 8.* *Leuit. 26.* *1. Cor. 6.* *Eſai. 45.* *4. Reg. 6.*

camus. In Scriptura ſacra vt Theophylactus ait, paſſim occurrit Chriſtus, quem neſcimus, dum Scripturas, quas legimus, non intelligimus. Eſt etiam nobis proximus atque in medio poſitus, ſi conſideremus, in ſacerdotio, in obedientia religioſa, in ſanctis & diuinitus inſpiratis deſiderijs, quæ ſæpenumero prę-terfugere nos atque elabi ſinimus, quod Dei maieſtatem illic nobis oblatam non admodum conſideramus. *Quem vos neſcitis*, atque ſcire eum perfecta felicitas eſt: vtinam ea frui contingat.

Cuius non ſum dignus, vt ſoluam eius corrigiam calceamenti. Non ex modeſtia ſolum atque eximia humilitate manauit ea ſententia, ſed ex intimo etiam & ardenti quodam Ioannis amore in Chriſtum. Nihil enim ſibi beatius accidere poſſe is exiſtimabat: quam vt Chriſto famularetur, ac quouis etiam abiecto obſequij genere eum demereretur. Talis eſt Sanctorum in Chriſtum affectus, nihil de dignitate, nihil de gloria ſua laborant: toti in Chriſto vno colendo, adorandoque ſunt. Quare videmus cæleſtes poteſtates ante agnum & procumbere, & clamare, & muſicos concentus edere, & coronas capitibus detractas pedibus aduoluere, & odoramenta ſuffituſq; ſuauiſſimos adolere, omni denique officio in eum obſequioque inter ſe certare. Quis illud carmen exaudiat, qui non ſummoperè delectetur? *Dignus eſt agnus qui occiſus eſt, accipere virtutem, & ſapientiam, & fortitudinem, diuinitatem, & honorem, & benedictionem & gloriam.* Quid illud, *Redemiſti nos Domine in ſanguine tuo, & feciſti nos Deo noſtro regnum, & ſacerdotes, & regnabimus ſuper terram?* Dici non poteſt, quam ſit ardens beatorum amor in Chriſtum, quam in illo ſuſpenſi affixique ſint: quemadmodum ſe ſuaque omnia contemnant præ illa ineffabili pulcritudine. De quo Angelorum mirabili amore in Deum, & ſui ipſorum cōtemptu Auguſtinus ſcribit his verbis.

5 Reuerentia & amor in Chriſtū.

Apoc.5.

Aug.li.9. de ciu.c.22.

Angelis bonis Dei, qua ſanctificantur, charitas chara eſt, præ cuius incommutabili & ineffabili pulchritudine, cuius ſancto amore inardeſcunt, omnia quæ infra ſunt, & quod illud eſt non ſunt, ſeque ipſos inter illa contemnunt: vt ex toto quod boni ſunt, eo bono, ex quo boni ſunt perfruantur. Talis eſt, fratres, Dei cognitio, talis amor ijs, qui ſapiunt, vt quo beatiores ſunt, eo ſe magis abijciant præ vno illo verè pulchro, verè amabili, verè bono. Eo igitur affectu Ioannes Baptiſta tactus, adeò ſe præ Chriſto contempſerat & abiecerat, vt nihil perinde cordi eſſet, nihil ipſi æquè in votis, ac toto mundo ſpectante infimum famulatus genus Chriſto exhibere, quo ſe ſe prorſus neglecto atque contempto, omnes Chriſtum ſuſciperent, omnes ad Chriſtum conuolarent, vni omnes Chriſto inhærerent. Neque interim myſterio vacat, quod corrigiam calceamenti ſibi ſoluendam deprecatur, inſinuans, vt Patres plerique interpretantur, præſertim Gregorius Papa, & Gregorius Nazianzenus diuinam naturam tanquam calceamento quodam humanæ noſtræ naturæ tectam atque celatam, non ſatis ipſius ſcientiam apprehendi; ſed tamen quadam ex parte pro munere ſibi diuinitus dato, hominibus myſterium Chriſti aperiendum, vt tanquam corrigia laxata latentem, iam omnes Chriſti diuinitatem cognoſcant, atque venerentur, cuius veſtigia terra teneat, ac ex humili illo corporis Chriſti paſſibilis veluti tegumento, ad impaſſibilem & omni natura ſuperiorem ſubſtantiam, mentem cogitationemque traducant, illudque Apoſtolicum encomium verum ſit, *Et ſi cognouimus ſecundum carnem Chriſtum ſed nunc iam non nouimus.* Is enim qui aliquando paſſus eſt, & crucifixus & mortuus eſt, qui fuit ſimilis noſtri, paſſibilis ac mortalis, nunc per omnia immortalis, per omnia Deus glorioſus eſt & æternus.

Greg. Papa hom. in Euangel.
Greg. Naz. orat. in ſancta lumina.
2. Cor. 5.

DOMI-

DOMINICA QVARTA ADVENTVS.

CONCIO PRIMA.

Anno quintodecimo imperij Tiberij Cæſaris, procurãte Pontio Pilato Iudæam, & cætera. Lucæ 3.

EORVM qui res geſtas virorum clarorum, hiſtoriaſque conſcribunt, conſuetudo eſt, cum inſigne aliquid narrare aggrediuntur, tempora vt aſſignẽt certiſſima, olympiadas, conſulatus, imperia id temporis obtinentia demonſtrent, quo & dictis fideles maior accedat, & lecturis excitetur amplius cognoſcendi ſtudium, tanquam ædificium nobile penitus adire cupientibus, in ipſo aditu & foribus, maieſtas ſe quædam & ſplendor oſtendat. Idque præſertim faciunt, cum rerum magna commutatio, aut principatus alicuius memorabilis initium indè prætexitur. Sic & Poeta eximius Romanæ gentis gloriam, ab ingreſſu in Italiam Troianorum moliens exorſus eſt:

1 Deſcriptionem tẽporis, hiſtoriæ fidei conducere.

Nunc age qui Reges, Erato, quæ tempora rerum,
Quis Latio antiquo fuerit ſtatus, aduena claſſem,
Cum primum Auſonijs exercitus appulit oris.

Virgil. 7. A Eeid.

Simili exordio Thucydides, quem Lucas græcanicæ non expers literaturæ, videtur imitatus, Peloponenſium bellum ſcripturus vtitur ad hunc modum. *Anno quintodecimo ſub Chryſide tunc apud Argos duo*

Thucydides lib.2. de bello Peloponeſiaco.

de quinquageſimum ſacerdotij annum agente, & Æmeſio apud Spartam Ephoro, & Pythidoro iam alterum menſem Athenienſibus præſidente, ſexto menſe à pugna apud Potidæam commiſſa. & cætera. Idem videre eſt in alijs il-luſtribus hiſtoriæ ſcriptoribus. Quod Græci & Latini hiſtorici faciunt, in ſacra hiſtoria Machabæorum id obſeruari cernimus, vt olympiadas Græcorũ, ſimul Pontificatus ſuorum referat. Eo more & inſtituto, à quo non abhorrent etiam propheticorũ ſcriptores, ſacer Lucas Euangelicæ prædicationis exordia ſcripturus, putauit ſibi diſtinctè, dilucideque ponendum: qui principes tunc florerent, qui Pontifices, quotus eſſet imperij Romani annus, cui vniuerſus iam orbis ſubditus eſſet. *Anno*, inquit, *quintodecimo imperij Tiberij Cæſaris, procurante Pontio Pilato Iudæam. Tetrarcha autem Galilææ Herode, Philippo autem fratre eius Tetrarcha Itureæ & Traconitidis regionis, & Liſania Abilinæ Tetrarcha, ſub principibus ſacerdotum Anna & Caipha, factum eſt verbum Domini ſuper Ioannem Zachariæ filium in deſerto.* At quo omnis illa commemoratio imperij Romani, Principum Iudaicorum, Pontificum denique euadit? Nempe vt teneamus quando diuitus eſt Ioannes tactus, vt prædicationis munere fungeretur. Id verò quanti eſt, vt exordio tam ſplendido, tam magnifico opus fuerit? Sed res fuit planè tanta commendatione digniſſima, quod regnum cælorum, id eſt regnum Chriſti, inde iam inchoarit, inde commutatio illa facta ſit maxima & clariſſima, legis in Euangelium, ſeruilis ſtatus in filiorum libertatem, terreni deniq; principatus in cæleſte ac diuinum imperium. Neque mea commentatio hæc eſt, verum Saluatoris ipſius præclara ſententia: *A diebus*, inquit, *Ioannis Baptiſtæ vſque nunc, regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Omnes enim Prophetæ & lex, vſque ad Ioannem prophetauerunt.* Igitur in Ioannis prædicatione

Matth. 11.

catione Chriſtus velut cardinem rerum poſuit, atque ipſa Euangelicæ legis fundamenta collocauit. Meritò proinde ſancti Patres Ioannem Baptiſtam vtriuſque teſtamenti interiectum limitem & tanquam hemiſphærij vtriuſque orizontem vocant, Gregorius Theologus maximè, qui cum alias, tum in diuina illa oratione in ſancta lumina ſic Ioannem alloquitur: *Tu qui Ieſum baptizas, tu ſolitudinis alumne, & nullius cibi homo, tu noue Elia, Prophetis excellentior, vtpote cũ qui Prophetarum vaticinijs prænuntiabatur, vidiſti, tu inter nouum & vetus teſtamentum interiecte.* In Ioanne terminum veteris, initium nouæ legis conſtituit diuina ſapientia. Quæ planè vel vna extitit, vel potiſſima ratio, cur Euangeliſtæ, cum in cæteris fere diuerſi ſint, tamen in exordiendo à Ioanne Euangelio mirificè inter ſe conſentiat. Omnes enim Chriſti prædicationi Ioannem præcurrere narrant. Ac Marcus quidem primis ſtatim verbis, ita exorſus eſt. *Initium Euangelij Ieſu Chriſti filij Dei, ſicut ſcriptum eſt in Eſaia Propheta. Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam ante te. Vox clamantis in deſerto, Parate viam Domini: rectas facite ſemitas eius. Fuit Ioannes in deſerto baptizans & prædicans*, & cætera. Ioannes vero Euangeliſta & Apoſtolus, vbi verbi diuinitatem expoſuit ad humana venturus, à Ioanne hoc, verba facere cœpit. *Fuit homo miſſus à Deo, cui nomen erat Ioannes.* Matthæus in Saluatoris infantia moratus nonnihil duobus primis capitibus, tertium protinus ita inchoat. *In diebus autem illis venit Ioannes Baptiſta prædicans in deſerto Iudææ.* Matthæum hac parte imitatus Lucas, & duo is capita infantiæ Saluatoris actibus tribuenda arbitratus, vbi iam de prædicatione agendum ſibi eſſe ſtatuit, à Ioanne omninò exordiendum putat, toto illo circuitu & commemoratione Imperatoris Romani, prouinciç præſidis, cæterorũ præfectorum,

Greg. Naz. in Orat. in ſancta lumina.

Marci 1.

Ioan. 1.

Matth. 3.

Luc. 3.

Pontificum Iudæorum, eo tandem euadens, vt quod felix fauſtumque ſit, Regni Chriſti initia auſpicaretur ac conſecraret.

2 Peſſima fuiſſe tempora *Iudæorum*, cum Chriſtus venit.

Dan.7.

Quo quidem loco tantiſper nobis conſiſtendum eſt, ac diligenter conſiderandum, qualis ille fuerit ſtatus populi Iſraelitici, qualis conditio temporum. Nempè omnium, quæ vnquam fuerint, peſſima & grauiſſima. Primum enim parebat populus Dei externis gentibus, ſub imperio erat ferreo, atque omnium quæ pertulerat aſperrimo, vt eſt à Daniele de quarta illa beſtia innominata prædictum. Deinde Imperator is erat Tiberius, inquam, Cæſar quo neque fœdiorem neque crudeliorem Reſpublica vnquam Romana viderat: cuius flagitia & turpitudines inauditas ſui quoque ſcriptores produnt, Suetonius & Tacitus. De noſtris verò Hegeſippus, etſi paucis tamen abundè exponit ita ſcribens. *Tiberij tempora fœda ludibrijs, caprearumque ſeceſſu, ignauia intolerabilis, nullum tamen efficacis virum operis in necem eius excitauerunt, recentis vt arbitror Romani imperij reuerentia, ſiue terrore ſæuiſſimæ crudelitatis.* Iam vero ſub hoc Imperatore impuriſſimo, ac ſæuiſſimo præfectos habebāt Iudæi tum multos tum inſigniter improbos: Herodem: Philippum, Pilatum, qui externi erant, & animo alieniſſimo in Iudæos, quorum ſceleſtos actus, & mores prauiſſimos Ioſephus, Hegeſippuſque deſcribunt. Ad hæc mala accedebat ſacerdotij ac Pontificatus miſerrima conditio. Cum enim Dei populus à ſacerdotibus & Pontificibus auxilium tantis ſuis incommodis petere deberet, ab ijs ipſis tolerabat longè maiora damna, quorum opera atque ope leuari ac recreari oportebat. Erant Pontifices ac ſacrorum principes Annas & Caiphas. Satis eſt nominaſſe homines, vel monſtra potius hominum. Ius vero ipſum Pontificale, & dignitas illa maxima à priſco ſuo decore & gloria adeò deſciuerat, vt vix tenuiſ-

Hegeſippus lib.2.c.3.

tenuiſſima vmbra extaret. Obſcuratum ſacerdotium & contaminatum mille modis. Etenim ex diuino inſtituto Pontificem tum vnum, tum perpetuum, tum demum legitima ſucceſſione procreatum eſſe oportebat. At temporum colluuie eo erat ventum, vt Pontifices eſſent ſæpenumero plures, atque autoritate & immutata & labefactata, non perpetui, ſed ad tempus, idque nonnunquam annui, ac ſi municipales annui magiſtratus crearentur. Legitimę porrò ſucceſſionis cura, & ratio nulla. Prophanorum Principum arbitratu, ſacerdotia vel conferebantur, vel detrahebantur, venalia plerumque, pecuniaque coempta. Qui plus nummorum offerret, digniſsimus is Pontificatu habebatur. Cuius rei autorem idoneum legat qui volet, eorum ferè temporum teſtem Ioſephum, Flauium Iudęum hiſtoricum. Igitur cum res, cum profanæ tum ſacræ, eo in ſtatu forent, qualem putatis populum Iſraeliticũ extitiſſe? quam depreſſum? quam afflictum? quam omnibus modis peſſundatum? At tunc regni Chriſti initium factum eſt, tũc ſacerdotij noui ac ſempiterni iacta ſunt fundamenta, tunc diu expectatus Rex, idemque Pontifex Chriſtus, populo Dei mundoque apparuit. Qua de re præclarum Iſaiæ vaticinium illud extat: *Et nunc quid mihi eſt hic, dicit Dominus, quoniam ablatus eſt populus meus gratis? Dominatores eius iniquè agunt, dicit Dominus, & iugiter tota die nomen meum blaſphematur. Propter hoc ſciet populus meus nomen meum in die illa, quia ego ipſe qui loquebar, ecce adſum.* Itaque cum tyrannicè populus Dei opprimeretur, cum lex diuina & ceremoniæ ſacræ externis contemptui penè ac ludibrio eſſent, ſceleribus Iudæorum ſine vllo modo graſſantibus, tunc opitulandum ſuis maximè Deus omnipotens duxit. Neque duces aut iudices, vt olim, mittendos ſubſidio putauit: ſed ipſe, qui per Prophetas antea loqui, & conſulere ſuis ſolebat, per ſe

Ioſeph. lib. 20. de antiquit. c. 18.

Eſai. 52.

rem gerere aggreſſus eſt, ſibique rempublicam capeſſendam, non alijs committendam arbitratus. *Propter hoc* (ait) *ſciet populus meus nomen meum in die illa, quia ego ipſe qui loquebar, ecce adſum.* Ponderate verba diuini ſpiritus plena. Tunc maximè diuina miſericordia emicuit, cum grauiſſimam iram, hominum facta poſtulabant. *Cum iratus fueris, inquit, miſericordiæ recordaberis.* Alius item Propheta poſt minas, & pœnas propter immania ſcelera de infido populo ſuſceptas, clementiſſimi Domini aduentū pulcherrimis verbis denuntiat: *Quapropter hæc faciam tibi Iſrael: poſtquam autem hæc fecero tibi, præparare in occurſum Dei tui Iſrael* Quęnam autem ſunt illa, quę ſe facturum pronuntiat, quæque facta ſequutus iam ſit Domini aduentus proximè indicarat. *Subuerti vos, ſicut ſubuertit Dominus Sodomam & Gomorrham: & facti eſtis ſicut torris raptus de incendio: & non rediſtis ad me, dicit Dominus.* Qualis fuerit ſtatus populi illius, cùm diuina eum clementia per ſe adire, ac reparare dignata eſt, nullo puto verbo melius exprimi potuiſſe, quam illo huius Prophetæ: *Facti eſtis ſicut torris raptus de incendio.* Contuemini torrem aliquem, cuius ignis maximam partem exuſſerit, reliquam perexiguam ſemiuſtulatam, fauilla opertam, fædeque deformatam reliquerit, quæque ipſo viſceribus igne concepto, paulatim deficiat. Ad eum modum Iſrael externarum gentium viribus oppreſſus, interna quoque peſte ſæuiente collapſus, vix priſtinæ dignitatis veſtigium retinens, omni penè erepta ſpe, quo tempore minime expectabat, Deum eo tempore ad ſe venire propitium accepit: atq; vt venienti occurreret, opportunè admonitus eſt. Sunt qui verbum illud Apoſtoli. *Cum autem venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum*, ob id interpretentur dictum, quod ad ſummum proceſſiſſet peccatorum noſtrorum, ac miſeriæ magnitudo. Sic Theophilactus commen-

Eſai.12.

Amos 4.

Galat.4.

commentatur. *Simul atque euenit præſtitutum tempus Chriſti incarnationis, cum omne ſcelerum genus pergreſſa humana natura, opus haberet curatione*. Tunc enim medico opus eſt maximè, cum morbi vis vehementer ingraueſcit. Qua ex re mirificè ſpes noſtra confirmanda atque erigenda in Deum eſt, præſertim rebus aduerſis, deſperato omni hominum adiumento: neque in priuatis ſolummodo rebus, ſed in publicis quoque tunc impenſius Dei benignitati fidendum, cum humana omnia auxilia deſunt, imo vero infeſta & inimica omnia ſunt: cum ſub Herode & Pilato agimus, cum Annas & Cayphas ſacrarum rerum potiuntur, tum Chriſti plurimum & imploranda, & expectanda clementia eſt: qui non, quid nos mereamur, ſed quid ſe deceat, tandem ſpectat. Scitum illud Philonis Iudæi Philoſophi dictum eſt, bono animo ſocios eſſe iubentis, cum legati pro gente ſua eſſent ab Imperatore peſſimè accepti. Neceſſe enim eſt, inquit, Deum ijs eſſe propitium, quibus eſſet iratus Caius. *Euſeb. Cæſarienſis lib. 2. ca 5. ex Ioſepho lib. 18. Antiquit. c. 15.*

Ergo in illa tanta perturbatione rerum, in illa colluuie temporum, cum imperaret Tiberius, adminiſtrarent Rempublicam Pilatus & Herodes, principatum ſacerdotum tenerent Annas & Cayphas, factum eſt verbum Domini ſuper Ioannem Zachariæ filium in deſerto. Ex malorum extremo, factum initium boni ſummi. Eſt autem Scripturæ phraſis propria illa, *Factum eſt verbum Domini ſuper Ioannem.* Quo quidem ſignificatur ſublimis quædam diuini luminis vis, quæ mētem Prophetæ rapiat, ac tollat in cælum, denique ſermonibus accipiendis idoneam reddat. Hoc idem profitetur Ezechiel de ſe, cum ſæpius dicit, *Facta eſt manus Domini ſuper me.* Nec aliud quod Iſaias ponit, *Spiritus Domini ſuper me*. Nam ſiue manum, ſiue ſpiritum, ſiue verbum Domini audias, vim illam omnipotentē ac diuinā debes intelligere, *3 Quo pacto diuinitus edocentur Prophetæ.* *Ezech. 1. 3. 40. Eſai. 61.*

quæ

Ambr. lib. 2. in Lucam. quæ hominem cæleſtis luminis participem facit. Ideo Ambroſius hoc loco ſcribit: *Bene Lucas compendio vſus eſt, vt Ioannem declararet Prophetam, vt diceret: Factum eſt ſuper eum verbum Domini, alia non adderet. Vnum itaque dicens, omnia declarauit.* Quod vero, ſuper Ioannem, dicitur, verbum illud ſuper, declarat doni magnitudinem, quod noſtrum modum excedat, quodque è ſuperis detur atque influat: denique mentem hominis ita ſibi ſubijciat, atque omni ex parte accommodet, vt ſolet cera ſupernè impreſſo ſigillo, eum habitum formamque induere, quam habet, ipſique indit ſigillum. Aſpicite chartam typis ſuppoſitam, quam vno momento totam perſcriptam, atque ijs characteribus conformatam videtis, quos typus ipſe tenebat. Sic planè ſe habet vis propheticæ illuſtrationis, cum mentem hominis imbuit. Atque hoc intereſſe inter ſcientiam acquiſito humano ſtudio, & diuino infuſam lumine cogitate, quod inter manu ſcriptam, & prælo excuſam pagellam. Nam quæ ſcribimus, paulatim exaramus, interuallis & temporum & locorum diuerſis, neque omnia æqualia conformamus lineamenta: at quæ prælo excuduntur, vno ſimul ictu, & primos & ſupremos characteres accipiunt, totumque opus ipſum momento temporis fit. Ita plane quæ noſtro ſtudio ac diſputatione comparamus, per partes ex his in illa procedunt: at quæ diuinitus infuſo lumine cognoſcuntur, Angelico more, ſimul multa, eaque diſtinctè ac dilucidè admodum comprehendimus, qui modus res humanas vel diuinas cognoſcendi, quoniam natura ſuperior eſt, ſolum diuino munere conſtat. Quo

Galat. 1. in genere Paulus affirmabat de Euangelio ſuo. *Neque enim ego ab hominibus accepi illud, neque didici: ſed per re-*

2. Pet. 1. *uelationem Ieſu Chriſti.* Et Petrus in vniuerſum de Scriptura omni ſacra: *Non enim voluntate humana allata eſt aliquando prophetia: ſed Spiritu ſancto inſpirati, locuti ſunt*

ſancti

ſancti Dei homines. Poindè quantum præſtet diuina Scriptura cuiuis doctiſsimorum hominum autoritati, facilẽ iudicabitis. Vt igitur Ioannis prædicationem Lucas oſtenderet, cæleſti dono comparatam in deſerto dixit, verbum Dei ſuper eum factum. Ne amicitiæ aut neceſsitudini tribuerentur, quæ de Chriſto prædicaturus eſſet, & diuinitus edoctum, & in deſerto edoctum Euangeliſta commemorat. *Sic Theophy. lact. in catena S Thom.*

Iam id mihi prædicatorum mores magnoperè informare videtur, quod de Ioanne accipimus, in deſerto factum eſſe ſuper eum Domini verbum. Nam quæ docere debent in publico, didiciſſe eos oportet in deſerto. Non ſatis tutò loquitur, qui non diu apud ſe ſiluit. Ac cuiuis hominum gradui & ordini certum eſt, ſi velit diuina percipere, humana deſerere, tantoque Deo quemque eſſe propinquiorem, quanto longius ab hominum cõſuetudine colloquioque receſſerit. Quam rem confirmat ſermo Propheticus, *Propter hoc ecce ego lactabo eam, & ducam in ſolitudinem, & loquar ad cor eius.* Quo hæc pertineant, repetita ſuperiora demonſtrant. *Ibat,* inquit, *poſt amatores ſuos, & mei obliuiſcebatur.* Vbi ergo amor inter humana verſatur, nihil diuinæ conſuetudini & familiaritati locĩ relinquitur. Lacte quodam dulci capitur anima, cum res diuinas deguſtare incipit, quibus ſi imbui ſe ſinat, facilè humana oblectamenta contemnit, deſerta potius petit, vbi vacans ſoli Deo, poſsit corde cæleſtia verba percipere. Eleganter Ambroſius cum fugam ſeculi ſuadet, incitamenta malorum perſequitur. *Nam quis,* inquit, *inter tot paſsiones huius corporis, inter tantas illecebras huius ſeculi, tutum atque intemeratum ſeruare poteſt veſtigium? Reſpexit oculus & ſenſum mentis euertit, audiuit auris, & intentionem inflexit, inhalauit odor, & cognitionem impediuit, os libauit, & crimen reddidit, tactus tetigit, & ignem adoleuit. Intrauit mors per feneſtram, dixit Propheta. Feneſtra tua eſt oculus tuus.*

4 In ſolitudine diſcẽdum, quod in publico doceamus.

Oſeæ 2.

Ambroſ. in lib. de fuga ſeculi. c. 1.

tum. Denique qui ſaluus eſſe vult, fugiat hunc mundum; terras relinquat. Ita quidem Ambroſius. Quod ſi in omni genere hominum id verum eſt, erit planè in diuini verbi miniſtris ſummoperè neceſſarium, vt deſerta petant, non tam corpore quam animo, ſed vtroque etiam quoad licebit, vt diuinas formas puras, vigenteſque accipiant, quas alijs in publico tradant, iuxta Domini præceptum: *Quæ in aure audiſtis: prædicate ſuper tecta & quæ in tenebris accepiſtis dicite in lumine.* Sic Moſes liberaturus populum Dei, ex deſerto mittitur: ſic Helias Reges, Prophetaſq; vncturus, in deſerto eruditur: ſic Ioannes noſter, vt idem adnotauit Ambroſius, præcurſurus Domino, & plebem paraturus perfectam, diuturna deſerti habitatione inſtruitur. Apoſtoli ipſi non ante prodire in publicum ſunt permiſſi Chriſtum annuntiaturi, quam apud ſe collecti oratione, & ſiletio & ieiunijs ad Spiritum ſanctum accipiendum, ſe diutius ac diligentius præpararūt. Vos quoque, fratres, ſi venturum Chriſtum fructuosè ſuſcipere vultis, frequentiam hominum quantum licebit, turbaſque vitate, ſilentium amate, orationi incumbite, apud vos ipſos libenter verſamini: *Verba Sapientum audiuntur in ſilentio*, ait Scriptura: Et rurſus Eſaias, *Habitabit in ſolitudine iudicium.* Qua ſolitudine & ſilentio animæ, nihil eſt in hac vita beatius, nihil illi æternæ & cæleſti ſimilius.

Matth.10.
Exod 3.
3.Reg.19.
Ambroſ. in lib. de fuga ſeculi c.6.
Eccleſ 9.
Eſai.32.

IN

IN EADEM DOMINICA

CONCIO SECVNDA.

Parate viam Domini, rectas facite ſemitas eius. Lucæ 3.

IN eo carmine, quod Zacharias huius Ioannis parens cecinit, eundem ipſum alloquens recens natum infantulum, hæc verba edidit: *Et tu puer Propheta Altiſsimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini parare vias eius: Ad dandam ſcientiam ſalutis plebi eius in remiſsionem peccatorum eorum.* Vniuerſum Ioannis Baptiſtæ munus & officium, ijs Propheticis dictis expreſſum eſt, quod præcurſor Chriſti fuerit, quod Euangelicæ vitæ homines, tum prædicatione, tum exemplo ſuo præparauerit, quod Saluatoris, ſalutiſque per eum comparandæ cognitionem populo Iſraelitico impertiuerit, quod denique per baptiſmi expiationem oſtenderit, remiſſionem peccatorum hominibus fide & baptiſmo Chriſti conſequendam. Id re præſtitum, quod Zacharias pater erat vaticinatus, hodierni Euangelij lectio demonſtrat. *Et venit*, inquit, *in omnem regionem Iordanis prædicans baptiſmum pœnitentiæ in remiſsionem peccatorum*. Quod fuiſſe ab Iſaia prædictum è veſtigio oſtendit dicens. *Sicut ſcriptum eſt in libro ſermonum Iſaiæ prophetæ: Vox clamantis in deſerto: Parate viam Domini, rectas facite ſemitas eius, &c.* quo teſtimonio etiam Matthæus & Marcus vtuntur. Apud Ioannem vero Euangeliſtam ipſe Baptiſta interpretatur de ſe præoictum: qui ſunt ſanè ſatis idonei diuinæ prophetiæ interpretes,

1 Ioannis officium parare populũ Chriſto. *Luc.1.*

Eſai.40. Matth.3. Marc.1. Ioan.1.

Iuſt. in collo. Triphonis. *Euſeb. libr. demonſt. 5.* *Proſper de prædict. p. 3. cap. 1.* *Iſai. 35.* vt plures requirere otioſum ſit. Si quis tamen requirat, legat Iuſtinum in colloquio, Euſebium in demonſtrationibus Euangelicis, Proſperum Aquitanicum in diuinis prædictionibus ſuis. Cum hoc Iſaię vaticinio cõſentit & alterum eiuſdem. *Lætabuntur, inquit, deſerta & inuia; & exultabit ſolitudo, & florebit quaſi lilium. Germinans germinabit; & exultabit lætabunda & laudans. Gloriæ Libani data eſt ei; decor Carmeli & Saron. Ipſi viderunt gloriam Domini, & decorem Dei noſtri.* Quo loco prętereundum non eſt, quod nos legimus, *Exultabit lætabunda & laudans*; eſſe apud ſeptuaginta interpretes. *Exultabunt deſerta Iordanis*: Vt initium Euangelicæ annuntiationis in deſerta regione Iordanis factum eſſe intelligamus, quod Lucas hodierna narratione confirmat. *Iuſtin. in Triphon.* *Euſeb lib. 9. c. 6. & lib. 6. c. 21.* Proinde Patres non dubitant Ioannis Baptiſtæ prædicationem, & Chriſti aduentum, in eas primum regiones Iordanis Iſaiæ verbis prædici. Euſebius præſertim ita ſcribens: *Specta, vt inſtar Euangelij hæc prophetia deſertum Iordanis tibi commemoret, quo loco verſabatur Ioannes; & baptizabat, vt teſtatum eſt literis Euangelicis.* *Proſper. pen. 3 c. 11.* Quod etiam beatus Proſper confirmat loco ſupra citato. Iſaię Malachias *Malach. 3.* *Matth. 11.* conſonat: *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam.* Quam prophetiam ab ipſo Chriſto de Ioanne fuiſſe enarratam noſtis. Vbi interim animaduertite, quod in Hebraica noſtraque lectione ſub prima perſona legimus, *Præparabit viam ante faciem meam.* In Euangeliſtis ſub ſecunda perſona legi, *Præparabit viam tuam ante te*, vt planè diſcamus, ſiue Pater Deus intelligatur loqui, ſiue Filius Deus, eandem eſſe ſententiam, quia vtriuſque vna *Ioan 5.* natura eſt, eademque voluntas. *Omnia enim quæ Pater facit, eadem ſimiliter & filius facit*, vt ipſe aſſeruit. Iam quod Iſaias dixit vocem clamantis in deſerto, quod deſerta Iordanis exultaſſe, hoc idem Dauid Prophe- *Pſal. 28.* ta annuntiat, cum canit. *Vox Domini ſuper aquas, Deus maieſta:*

maieſtatis intonuit. Dominus ſuper aquas multas, Vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia, vox Domini confringentis cedros. Quæ eſſe omnia de Ioannis prædicatione valida, & baptiſmo prædicta, eleganter Baſilius oſtendit. Verè enim vox Domini illa potens ac magnifica extitit, qua peccatores ad pœnitentiam vocauit, verè virtutis plena, quæ remiſſionem peccatorum per baptiſmum obtulit: baptiſmum, inquam, non Ioannis, ſed Chriſti, ſignificatum tamen ab Ioanne. Verè denique elatas & proceras cedros, vox illa confregit, quæ ſuperbos & ſublimes gloria & imperio homines, humilitati Euangelicæ ſubdi coegit. *Pſal. 28.* *Baſilius in Pſal. 28.*

Et venit in omnem regionem Iordanis prædicans baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum. Nihil vtilius pœnitentia, nihil peccatoribus magis neceſſarium. Ioannes prædicabat, *Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum.* Chriſti diſcipuli & Apoſtoli ſummi, pœnitentiam prædicarunt. Petrus quidem ijs qui ſalui fieri cupiebant, *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum in nomine Ieſu Chriſti, in remiſſionem peccatorum.* Paulus vero de ſe illud refert apud Mileſios, *Teſtificans Iudæis atque Gentibus in Deum pœnitentiam, & fidem in Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.* Scribit Ezechiel Propheta cum ad prædicandum populo, Dei ſermonem mitteretur, oſtenſum ſibi eſſe librum, in quo intus & foris ſcriptæ eſſent, lamentationes, carmen & væ. Quod Hieronymus interpretatur, pœnitentiam, præmia & ſupplicia. His enim tribus continetur manus prędicatoris Chriſtiani, vt ad pœnitentiam prouocet, præmia virtutis, & pœnas peccati æternas oſtendens. Quæ ſanè forma Propheticæ, Euangelicæ, atque Apoſtolicæ prædicationis tenenda eſt miniſtro verbi diuini, ſi eum concionum ſuarum fructum capere volet, qui eſt maximus imò vero vnicus, ſi

2 Pœnitẽtiam pręcipue prædicandam. *Act. 2.* *Act. 20.* *Ezech. 2.*

Eſai. 27. verè Iſaias dixit: *Iſte eſt omnis fructus, vt auferatur peccatum* Peccata enim quæ Chriſti quidem redemptione expiata ſunt, de qua Propheta loquebatur, tamen ſine pœnitentia tolli non poſſunt, quæ propriè præteritorum malorum dolor veriſſimus eſt, atque in futurum talia non committendi firmiſſima cogitatio. Atque vt is qui fugam inijt, non poteſt eius, à quo eſt auerſus, complexum petere, niſi conuerſo vultu totoque corpore contraria ante veſtigia nouis veſtigijs deleat, ita qui Deum peccator deſeruit, gratiam amicitiamq; perditam recuperare non poteſt, niſi nouo affectu veterem, mutet, vt quod placuerat, oderit, quod probauerat, improbet. Quare cum Deus ad pœnitentiam hortatur, nihil agit aliud, quam vt curſum in præceps; vbi certũ exitiũ eſt, reuocet ad tutũ & ſalutare prçſidium. Itaque ad Hieremiã prophe-

Hier. 8. tam ad hunc modum loquitur: *Et dices ad eos, hæc dicit Dominus; Nunquid qui cadit, non reſurget? & qui auerſus eſt, non reuertetur? Quare ergo auerſus eſt populus iſte in Hieruſalem auerſione contentioſa? apprehenderunt mendacium & noluerunt reuerti? Attendi & auſcultaui: nemo quod bonum eſt loquitur, nullus eſt qui pœnitentiam agat ſuper peccato ſuo, dicens, Quid feci? Omnes conuerſi ſunt ad curſum ſuum, quaſi equus impetu vadens ad prælium:* Qui his propheticis atque Apoſtolicis præceptis parent, vt populo pœnitentiam prædicent, atque ad eam ſeriò capeſſendam omnibus modis cohortentur, inducant, perſuadeant, hos eſſe imitatores Ioannis, hos Chriſti Domini miniſtros fideles, certiſſimum habete, quos vero lenocinijs verborum, multaq; ambage & põpa orationis, laudem & plauſum conciliare auditorum videritis, hos theatro meliores, quã Eccleſię

Hier. de vita clericorum ad Nepotianum. Chriſti nolite dubitare. Pulchre de his Hieronymus: *Nihil tam facilè quam vilem plebeculam & indoctam concionem linguæ volubilitate decipere, quæ quicquid non intelligit plus miratur.* Et idem. *Verba voluere*

&

& celeritate dicendi apud imperitum vulgus admiratio-nem ſui facere indoctorum hominum eſt: Talium neque opera vti, neque laudibus delectari, ſatis Deus declarat, cum dicit, *Si ſtetiſſent in conſilio meo, & nota feciſſent verba mea populo meo, auertiſſem vtique eos à via ſua mala, & à cogitationibus ſuis peſſimis*. Sed rarus eſt hoc tempore Ioannes prædicans pœnitentiam, rarus Elias aliquis, qui Reges & reginas ſi opus ſit, arguat. Vix exiſtit Micheas, qui vera, non iucunda, magis ſalutaria, quam plauſibilia denuntiet. *Hier.23.*

Neque vero temerè & caſu Iordanis regionē, primam Ioannis prædicatione illuſtratā putemus. Nam qui pœnitentiam denuntiabat, rectè omninò à Iordane ſibi exordiendum exiſtimauit, quam periti ſermonis Hebraici, præſertim Hieronymus, fluuium iudicij interpretantur. Omnis autem cogitatio curaque pœnitentiæ agendæ, ex diuini iudicij recordatione ſuſcipitur, quod inſtar fluuij maximi vndas trahit ſuperatu difficiles, & quæ ipſo aſpectu, quanuis eas traiecturum, meritò terreant. Nimirum quod Scriptura narrat, in ipſo Iordanis tranſitu diſquiſitionem factam eſſe eorum, qui erant hoſtes iudicati, atque interrogatum vnumquemque cum ſe alium eſſe mentiretur quam eſſet, ibi deprehenſum, iugulari iuſſum, id planè mortalibus vſu venit, cum aquas illas ſunt tranſituri Iordanis myſtici, & fluuium iudicij ſubituri, qui ſint, diſſimulare non poſſunt, & pœnas meritas capitis, damnati dare coguntur. Illud etiam non vacat ratione, eam Iordanis regionem antea fuiſſe deſertam, mox Ioanne prædicante pœnitentiam, frequentia hominum maximè celebratam, iuxta Iſaiæ prophetiam ſupra iam dictam, quod iter pœnitentiæ olim deſtitutum & inuium, iam Chriſti & ſeruorum Chriſti, prædicatione tritiſſimum ſit. Regioq; illa vniuerſa,

3 Quomodo expectādus Domini aduētus. *Hier. lib. 14. in Ezechiel. c. 47. Origenes tamen in Lucam, & Gregor. 33. moral. c. 8. Iordanem interpretātur deſcenſum, quod poteſt etiam pœnitētiæ accommodari. Iudic. 12. Eſai. 40.*

quæ fluenta iudicij diuini tenet, antea deſerta, nunc culta exiſtat &florens. Quoniam ergo Ioannes Chriſtum antecedit, atque præcurrit, vt venturo Domino idoneum populus apparatum adhibeat, nos quoque ſuſcepturi Chriſti iam propinquantem natalem diem, nos ipſos ad pœnitentiam componamus, & mores induamus honeſtos & integros, peccata confeſſione ſalutari deleamus, eleemoſynis largioribus, precibus aſſiduis, ieiunijs religioſis Dei noſtri aduentum expectare nos declaremus. Ad hæc præſtanda Sanctus Maximus nos adhortatur his verbis: *Igitur fratres ſuſcepturi natalē Domini, ab omni nos deliciorum fæce purgemus, repleamus theſauros eius diuerſorum munerum donis, vt in die ſancta ſit, vnde peregrini accipiant, reficiantur viduæ, pauperes veſtiantur.* Et idem: *Rex noſter Chriſtus non tam nitorem veſtrum, quam animarum requirit affectum: nec inſpicit ornamenta corporum, ſed merita cordium. Atque ideo ante plures dies caſtificemus corda noſtra, mundemus conſcientiam, purificemus ſpiritum, ac nitidi & ſine macula, immaculati Domini ſuſcipiamus aduentum. Quiſquis enim in illa die ſorditus fuerit & pollutus, & natalem Chriſti non curat, interſit licet Dominicæ feſtiuitati corpore, mente tamen longius à Saluatore ſeparatur.* Quæ cum ita ſe habeant, ferri nullo modo debet, quod plerique Chriſtiani ita ſe ad Chriſti natalia celebrāda comparent, ac ſi Adonidis incunabula eſſent veneraturi: magis vt Bacchum & Venerem, apparatus ipſe decere videatur, quam Chriſtum. Veſtitus cultior &elegantior, menſa largior, obſonia delicata, & copioſa, aleæ vſus plurimus, laſciuia effuſior. In noctem illam ſacram, hæc ſunt ornamenta comparata: quæ magis Chriſti ludibria, quam Chriſtiana ornamenta Patres cenſent. Oſeam Prophetam audire mihi videor in iſtos dicentem: *Non libabunt Domino vinum, & non placebunt ei ſacrificia eorum, quaſi panis lugentium: omnes qui comedent eum, contaminabuntur, quia panis ipſorum,*

Max. in hom. vigil. Nat. Domini.

Oſeæ 9.

ipſorum, animæ ipſorum. Non intrabant in domum Domini. Hæc Oſeas in eos quidem dicit, qui prætextu ſacrificiorum diuinorum proprias potius ſequuntur cupiditates, ſibique indulgent, religionē obtendentes, id enim eſt illud: *Panis ipſorū animæ ipſorū. Panis ille,* inquit Hieronymus, *ſuæ gulæ, ſuæque voluptati ſeruiet, mihi non placebit.* Quare ea ſibi eſſe grata, & accepta Deus omninò negat, cum non Domino libent vinum, ſed ebrietati ſuæ, neque panem offerant religioni, ſed palato ſuo. Itaque & huiuſmodi placentas Deum perinde aduerſari, atque mortuorum funebria dona, & eos qui ijs veſcentur, magis prophanos reddi, dum religioſi eſſe videntur. Vtrum hæc ad nos pertineāt, etiam atque etiam conſiderandum, ne dum natalia Saluatoris feſta celebramus, vanitati & edacitati potius ſeruiamus, quàm veræ pietati & religioni.

Quapropter ſedulò incumbendum eſt, vt quæ Ioannes magna voce contendit, accuratè diligēterque præſtemus. *Parate,* ait, *viam Domini, rectas facite ſemitas eius.* Vias Domini præcepta intelligere rectè poſſumus, quæ multitudini patent, & peruia ſunt. Semitas conſilia ſecretiora, quæ perfectioribus dantur, ſunt enim ſemitæ vſu breuiores ac meliores, ſed difficiliores, eóq; paucioribus notæ. Neq; eſt dubiū & nos ad Deum ire, & Deum venire ad nos ijs vijs atque ſemitis, nempe obſeruatione mandatorum Dei. Tunc enim vias Domini ingredimur, cum Dei mandata ſeruamus. Neque habet quicquam repugnans, quod hic Ioannes, non vias, ſed viam Domini parari iubet, quaſi vna ſit, non multæ: Zacharias vero plures commemorat, cum hunc ipſum alloquens dicit, *Præibis ante faciem Domini parare vias eius,* quaſi non vna ſed plures ſint. Sed eſt videlicet via Dei vna, & ſunt multæ viæ, propterea quod vnum charitatis præceptum omnia continet: quæ ſunt in ſe ſicut rami plures, in vno trunco: & radice

4 Quæ ſint viæ, quibus occurrere Chriſto oporteat.

Luc. 1.

Greg. hom. 27. in Euangel.

charitatis coniunguntur, quemadmodum Gregorius Papa præclarè expoſuit. Ergo quod faciunt ij, qui vias muniunt, vt qua parte ſunt euerſæ, reſtituant, qua deflexæ, dirigant, qua difficiles atque arduæ, molliant & leniant, id Chriſtiano nunc præſtãdum: vt virtutẽ reparet, ſtudia pietatis reſtituat, qua abſorduerint, purget, qua deflexerint à vera ratione diligentiſſimè reuocet. Vias autem Domini ſi vultis cognoſcere, videte ingredientem paupertate, humilitate, patientia, obediẽtia, corporis afflictione. Naſcitur in alieno, cum beſtijs collocatur, ab hominibus contemnitur, vitæ huius incommoda omnia in ipſo limine ortus ſui perpetitur. Num alijs vijs ille Deus tantus venit ad nos? Nonne ij ſunt veriſſimi cæleſtis ſapientiæ tramites? Quid ergo? ſuperbia nos, & auaritia, & luxu referti, ad Deum venientẽ progrediamur? Minimè ſanè ſumus illum his itineribus excepturi.

Eſai. 40. *Amos. 4.*

At videte quid dicat: *Beati omnes qui expectant eum.* Et alio in loco, *Præparare in occurſum Dei tui.* Nimirum qui honoris gratia aut amicitiæ venienti amico occurrit, non tantum viæ conficit, quantum ille qui venit, ſed ſpatia aliquot eiuſdem viæ ingreditur, vt poſſit occurrere. Non poſtulat, fratres, Deus, vt quantum ipſe patientiæ, quantum humilitatis, paupertatis, laboris, pro nobis ſubijt, tantum nos perpetiemur.

Pſal. 18.

Ille enim, *Vt gigas exultauit ad currendam viam: & à ſummo cælo egreſſio eius: & occurſus eius vſque ad ſummum eius.* Nos vero humi repentes, pueris ſimiles, tam longum iter ingredi non valemus. Sed prodeamus tamen obuiam, occurramus properanti ad nos, de via illius aliquantulum progrediamur. Humilitatis, inquam, paupertatis, patientiæ, benignitatis, aliquam partem nunc maximè exerceamus. Beatum Auguſtinum, audite de

Aug. ſer. 2. de tempore.

celebrando natali Domini, & illius aduentu dignè ſuſcipiendo ſanctiſſimè præcipientem. *Hoc,* inquit, *admo-*

admonemus fratres, vt quia natalis Domini imminet, tanquam ad nuptiale & cæleſte conuiuium ab omni luxuria alieni, & bonis operibus adornati nos per Chriſti adiutorium præparemus: eleemoſynas pauperibus erogemus: iracundiam vel odium velut venenum de cordibus noſtris reſpuamus. Caſtitatem fideliter conſeruate, ad conuiuia veſtra frequentius pauperes vocate, ad vigilias maturius ſurgite, in Eccleſia ſtantes aut orate, aut pſallite, verba otioſa aut ſecularia, nec ipſi proferte, & eos qui proferre voluerint, caſtigate. Pacem cum omnibus cuſtodite, & quos diſcordes agnoſcitis, ad concordiam reuocate. Hæc ſi fideliter Chriſto adiuuante volueritis implere, & in hoc ſeculo ad altare dominicum ſecura conſcientia poteritis accedere, & in futuro ad æternam beatitudinem feliciter peruenire. Ita quidem Auguſtinus concionatur: quæ ſi præſtemus, ſuſcipiemus ſanè Chriſtum lætum & benignum, & nobis gratiam plurimam offerentem. Sin ad nos veniens, duros, ingratos, & inhumanos offenderit, ſeque auerſantes ac repellentes, dico vobis fratres, quanto eſt ille patientior ac lenior, nunc nihil per vim moliens, aut ab inuitis ſibi vendicans, tanto erit aliquando ſeuerior, & acrior in vindicando dignaſq; tanta indignitate pœnas exiget, cum reuerſus fuerit in poſteriore de cælis ad terram aduentu. Recordamini Gedeonis illius ducis egregij, qui perſequens hoſtes Madianitas laſſus & egens ad caſtellū Socoth peruenit, paneſq; & commeatum ſuis petiuit beneuolè & comiter. Sed repulſus tum ab ijs, tum ab illis qui Phamiel incolebant, reſpondit iratus, *Cum reuerſus fuero victor in pace, conteram carnes veſtras cum ſpinis tribuliſque deſerti, & deſtruam turrim hanc.* Id quod verbis erat minatus, rebus poſtea cumulatè præſtitit. Itaque qui lenem & facilem amicum contempſerunt, experti ſunt durum atque aſperum vindicem. Id ne nobis accidat in Chriſti ſecūdo aduentu, *Iudic.* 8.

nunc prouidere debemus, excipientes clemen iſſimum Dominum, ſi non ſplendidè ac magnific , vt illum decet, at certè beneuolè & gratè, & ben gnè, quoad nobis licet.

IN EADEM DOMINICA CONCIO TERTIA.

Et videbit omnis caro ſalutare Dei. Luc. 3.

1 Aduentũ Domini piè & religioſe expectandum.

HIEREMIAS Propheta myſterium Chriſti naſcentis de fœmina annuntiaturus, monet & adhortatur fidelem Dei plebem, in altum mente conſcendere, præteritorum peccatorum pœnitentiam agere, ſtudia virtutum, quæ vitæ ſolutioris licentia deſeruerat, ſedulò repetere, Sanctorum præſidia quærere, ſeque ijs munire; quibus omnibus nihil eſſe aliud quod obſtet, affirmat, niſi luxum & libidinem vitæ diſſolutionis. Quæ planè admirabilis ac diuina ratio eſt, ſeſe ad natalem Chriſti diem iam appropinquantem, imo vero inſtantem præparandi. Sed verba ipſius Prophetæ potius eſt ponere. *Statue*, inquit, *tibi ſpeculam, pone tibi amaritudines: dirige cor tuum in viam rectam, in qua ambulaſti: reuertere virgo Iſrael, reuertere ad ciuitates tuas iſtas. Vſquequo delicijs diſſolueris filia vaga*: Quo omnis ea oratio pertineat,

Hier.31.

ſtatim demonſtrat: *Quia creauit Dominus nouum ſuper terram, fœmina circundabit virum.* Inſigne prorſus diuinæ ſapientiæ facinus, vt quæ toto mundo non capitur, neque ipſis cælorum ſpatijs includi poteſt, ea forma humana ſuſcepta intra exiguũ vteri virginei

ſeptum

ſeptum concluderetur. Venuſtè Bernardus hoc loco alludit, & hoc modo loquitur: *Ibi agnoſcitur longitudo breuis, latitudo anguſta, altitudo ſubdita, profunditas plana. Ibi agnoſcitur lux non lucens, verbum infans, aqua ſitiens, panis eſuriens. Videas, ſi attendas potentiam regi, ſapientiam inſtrui, virtutem ſuſtentari: Deum denique lactentem, ſed angelos reficientem, vagientem, ſed miſeros conſolantem.* Ergo *Fœmina circundabit vtrum* Virum, inquam, illum gigantem, virum illum tantum, cui *cælum ſedes eſt, terra autem ſcabellum pedum eius.* Circundare hunc fœmina, illa omnium fortunatiſſima prædicatur, quæ Deum genuit, quæ Deum peperit, quæ Deum aluit, quæ Deum viſceribus cœpit, ſinu effudit, gremio complexa eſt, lacte pauit, brachijs geſtauit, manu pannis inuoluit. Meritò rem tantam ſpectaturi, in ſpeculam mentis celſam contemplatione ſubire iubemur, ne malis irruentibus, vt Gregorius Papa vult, incauti opprimamur. Quod ſi ſordes vitæ turpiter actæ obſtant, vt Theodoreto placet, ſumere de ijs ſupplicium (ſic ille legit) eas, inquam, lachrymis abſtergere, nouos mores induere, cæleſtis ciuitatis mœnia adire, vt nos eſſe meminerimus domeſticos Dei, ciues Sanctorum, quibus hæc tam præclara ſpectacula promiſſa atque adita ſunt. Huc reſpiciens pia mater Eccleſia omnibus quidem hiſce diebus aduentum Domini antecedentibus commonere, excitareque non ceſſat, ſed nunc cum ſumus iam in proximo, atque in ipſo penè limine, crebrius, impenſiuſque vrget, vt Regis noſtri conſpectum parati ornatique præſtolemur. Bene nos beatus Auguſtinus admonet, dicens: *Licet nos omni tempore bonis operibus ornatos, ac ſplendidos eſſe conueniat, præcipue tamen in die natalis Domini, lucere debet hominibus opera noſtra. Quã felix eſt illa anima quæ Deum hoſpitem mereatur accipere:* Id ſcilicet voces illæ ab Iſaia dictatæ, à Ioanne inclamatæ nos docēt: *Parate viam Domini, rectas facite ſemitas eius.*

Bernard. ſuper miſſus eſt homil. 2.

Eſai. 66.

Greg. 31. moral. cap. 31.
Theodor. in 31. Hierem.

Aug. ſerm. 1. de tempore.

Eſai. 40.

2 Humilitate præcipuè ſuſcipiendum. Chriſti aduentum. Theodoret.

Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur. Et erunt praua in directa, & aſpera in vias planas. Horum verborum multiplex eſt intelligentia Patrum, quidam quod Theodoreto placet, ſignificari facilem & expeditum curſum Euangelij ſentiunt: alij, vt Cyrillus, gratiæ Chriſti efficaciam intelligunt, quæ cuncta reddat facilia & expedita & plana, Theophylactus, Tertullianus, difficultates legis in Euangelij facilitatem conuertēdas exponunt: Origenes & Nyſſenus extrema vitioſa per exceſſum aut defectum ad medium redigenda: alij montes intelligunt, Iudaicum populum deprimendum, valles, gentilicum attollendum. Ita ferè Gregorius & Beda. Sed cum hæc ſint omnia præclarè allata, tamen illa magis arridet explicatio, quam Auguſtinus, Gregoriuſque ſequuntur. Sentit nimirum Propheta de horum Patrum ac Chryſoſtomi etiam ſententia, aduentu Domini ſuperbiam proſternendam, humilitatem erigendam & attollendam. Nihil enim perinde Deus homo factus odit auerſaturque ac ſuperbos & arrogantes, qui ſibi placent: nihil æquè amat & amplectitur, ac modeſtos & humiles, qui miſerijs ſuis bene cognitis, in Chriſto totum præſidium, ſpemque collocant ſuam. *Omnis vallis implebitur, & omnis mōs, & collis humiliabitur. Hoc eſt*, inquit Auguſtinus, *quod alijs verbis dicit, omnis qui ſe exaltat, humiliabitur*? Quid hoc aliud quam illud: *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam*. Si vis impleri diuinitus, vallis eſto, ſi non vis deprimi & euerti, ne fias mons elatus & tumens. Bene idem Auguſtinus: *Aqua confluit in valles, denatat de tumoribus montium*. Quid enim ait Pſalmus? *Valles abundabunt frumento*. Nonne id cecinit virgo noſtra ſanctiſſima? *Eſurientes impleuit bonis, & diuites dimiſit inanes*: Et illa etiam diuino ſpiritu fœmina. *Repleti prius pro panibus ſe locauerunt, & famelici ſaturati ſunt*:

Theophyl. *Tertulian.* *Origenes.* *Greg. Nyſſ.* *Greg. Papa.* *Beda.* *Auguſt.* *Chryſoſt.*

Cyrilli verba ſunt: in Chriſto nobis etiā ea quæ ardua & accliuia ſunt, plana ſunt: & peruium, quod aſperum: facileque ac pronum quod acceſſu difficillimū erat.

Iac. 4. *Pſal. 103.* *Luc. 1.*

ſunt: Nam, *quis ſicut Deus noſter qui in altis habitat, & humilia reſpicit in cælo & in terra*? Itaq; vallis implenda Dei muneribus illa intelligenda eſt, quæ profundè ſe & Deo & cæteris propter Deum ſummittit: *Subiecti eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum.* *1. Reg. 2.* *Pſal. 112.* *1. Pet. 2.*

Neque illud alienum eſt à præceptis Ioannis, ſimplicitatem ac veritatem eſſe colendam ei, qui Deum venientem velit ſuſcipere. Eſſe enim odio corda duplicia, diſplicere mores verſutos & callidos. Vt enim via plana & æqualis, facilè & iucundè ab ingredientibus teritur, quæ inæqualis eſt atque impedita prærupis iam collibus edita, iam profundis voraginibus hians, laborem ac tædium affert, ita mentes puræ ac ſynceræ æquabili ſemper habitu, Deo gratiſſimæ ſunt, contra variæ, inconſtantes, prætumidæ, moleſtiam afferunt. *Sentite*, ait Sapiens, *de Deo in bonitate, & in ſimplicitate cordis quærite illum: quia inuenitur ab iis qui non tentant eum, apparet autem eis, qui fidem habent in illum.* Ea nimirum cauſa exiſtit, quod natalitium ſuum Chriſtus paſtoribus voluit innoteſcere: quippe qui agnus cum eſſet, ſimplicitatem paſtorum gratam habuit: vulpinam Herodis verſutiam fugit atque auerſatus eſt. Natanael in quo dolus non erat, mirificè placuit: piſcatores rudes elegit: aſtutos & vafros Phariſæos potius caligine ac tenebris iacere permiſſit. *Qui apprehendit ſapientes in aſtutia eorum, & conſilium prauorum diſſipat, & abominatio eſt Domino omnis illuſor, & cum ſimplicibus ſermocinatio eius.* Itaque, fratres, mores puros & candidos potius amate, *& nolite mentiri inuicem, ſed deponentes mendacium loquimini veritatem vnuſquiſque cum proximo ſuo*, ſicut Apoſtolus iubet. Vias Domini rectas facite, diſtortas & longis anfractibus difficiles emendate. Ita fient praua, indirecta, & aſpera in vias planas. 3 Veritatē & ſimplicitatem placere Chriſto. *Sap. 1.* *Ioan. 1.* *Iob. 5.* *Prouer. 3.* *Coloſſ. 3.* *Epheſ. 4.*

Vultis adhuc ſcire, quo apcto valles implendæ ſint,

4 Copioſos egenis oportere ſua communicare.

ſint, colles & tumuli deprimendi, & viæ Chriſto aduenienti exæquandæ? Dicam equidem. Qui opibus, potentia, copijs præſtant, eos tanquam montes quoſdam eminentes poteſtis accipere: eos vero, qui egent, qui ſubſidijs vitæ neceſſarijs nudati ſunt, valles hiantes ac depreſſas recte appellabitis. Igitur de ijs quæ abundant atque ſuperfluunt, ea quæ deſunt alijs ſuppleantur, & quod huic nimium eſt, illi opportunum erit, fietque modo quodam præclaro Deo gratiſſima æqualitas. Paulum Apoſtolum diſertè hoc pacto philoſophantem audite. Cum enim de eleemoſynis in pauperes ſanctos conferendis ſermo eſſet, ſic ſcribit. *Non vt alijs ſit remiſſio, vobis autem tribulatio: ſed ex æqualitate. In præſenti tempore veſtra abundantia illorum inopiam ſuppleat: vt & illorum abundantia, veſtræ inopiæ ſit ſupplementum. Vt fiat æqualitas.* Videtis quod genus æqualitatis probet Apoſtolus, quod ex charitate maximè proficiſcitur? Quam vero id ſit Deo gratum ac iucundum, Eſaias docet Dei verbis: *Reficite*, inquit, *laſſum: hæc eſt requies mea, & hoc eſt meum refrigerium.* Neque enim pauperi, ſed ſibi collata ea beneficia Dominus miſericordiſſimus interpretatur. Itaque libentiſſimè eo pacto vias ſibi inſtrui ordinarique demonſtrat. Quæ fuit ſanè oratio huius ipſius Ioannis Baptiſtæ, cum regnum cælorũ, atque aduentum Domini prædicaret, atque homines ad occurrendum Deo venienti cohortaretur. Nam eodem Luca tradente didicimus, eleemoſynam maxime, turbæ deſideranti ſalutem ſibi annunciatam capeſſere, conſuluiſſe. *Interrogabant eum turbæ dicentes: Quid ergo faciemus? Reſpondens autem dicebat illis. Qui habet duas tunicas det non habenti, & qui habet eſcas, ſimiliter faciat.* Nam quid ea de re Sanctus Maximus dicat audite: *Quale* inquit, *erit, ſi in via eademque domo inter ſeruulos vnius Domini, alter exultet in holoſericis, alter conſumatur in pannis: alius æſtuet cibo, alius famem frigusque*

1. Cor. 8.

Eſai. 58.
Matth. 25.

Luc. 3.

Maxim. in hom. vigil. Natiuit.

guſque ſuſtineat: ille eructet heſternam crapulam, hic heſternam ieiunij inediam non reſoluat? aut qui erit noſtræ orationis effectus, cum petimus vt liberemur ab inimico, qui non ſumus liberales in fratres? Habetis ergo optimum genus exæquandi viam Dei, implendi depreſſa, deprimendi tumentia. Polliceor vobis natalitium Chriſti lætiſſimum, ſi pauperibus Chriſti copias veſtras largiri, quibus famelicos paſcetis: nudum & brumæ rigore algētem Chriſtum veſtire, & calefacere ſcitote eum, qui indigenti, ac frigore laboranti veſtem dederit. Nonne pudet parietes ſerico & purpura tegere, Chriſti pauperes nudos frigore enectos iacere? Canibus atque accipitribus alendis tantum operæ inſumi? hominibus imaginem Dei gerentibus nihil ſubſidij ad extremam famem leuandam tribui? Ac Nabal *1. Reg. 25.* quidem ex lautiſſimo conuiuio, cibo meroque opletus heſternam crapulam eructat, Dauid vero cum ſuis humaniſſimè agens, contemnitur, & fame quatriduana conficitur. Quàm abſurda, quam fœda diuitijs auari ingluuies? Ipſi parietes dicent aliquando teſtimonium aduerſus duros, & inhumanos dominos, eritque verum quod quidam Propheta in auaros cecinit. *Quia lapis de pariete clamabit, & lignum* *Habacuc. 2.* *quod inter iuncturas ædificiorum eſt, reſpondebit.* Verum vt ij qui fortunis abūdāt opitulari iubentur inopia laborantibus, ita ijs qui veris diuitijs præſtant, id eſt, ſpiritualibus donis, danda eſt opera vt egentibus talia libenter impertiant. Nam id Paulus etiam dixit, *Vt & illorum abundantia, ſpiritualis nimirùm Sanctorum, veſtræ inopiæ ſit ſupplementum.* *Corinth. 8.* Quare qui doctrina pollent, qui ſcientia, qui litteris, debent ignaros docere, erudire, inſtituere, qui Dei colloquijs & familiaritate perfruuntur, preces pro populo, pro miſeris, pro peccatoribus deuotas offerre. Sic planè mutuis pietatis officijs gens Chriſtiana ſe Deum ſuum ſuſcipere colereque teſtabitur.

Et

5 Verbum Dei carnē factum omnibus ſe præbere.

Et videbit omnis caro ſalutare Dei. Quo ſpectet, ea omnis viarum inſtructio ac preparatio, declarat tandem his verbis: Vt intelligant vniuerſi, Deum ſe omnibus conſpiciendum iam præbiturum. Neque illud prætereundum, Lucam iuxta ſeptuaginta interpretum editionem teſtimonium Eſaiæ recitaſſe: quod in Hebraica ac vulgari editione ita habet: *Et reuelabitur gloria Domini, & videbit omnis caro pariter quod os Domini locutum eſt.* Vbi certò diſcimus vtramque interpretationem eſſe à Spiritu ſancto perfectam, vtramque autoritate canonica corroboratam. Vt enim rectè Hieronymus ex quibuſdam teſtimonijs in teſtamento nouo citatis, non iuxta Septuaginta, ſed iuxta veritatem Hebraicam, ſuæ tranſlationis autoritatem defendit ac tuetur, ſic planè non eſſe reijciendam ac repudiandam Septuaginta interpretum editionem, manifeſtè confirmant non pauca teſtimonia à Luca, & Paulo iuxta illorum interpretationem prolata. Sed quia de his & alias copiosè egimus, & ad ſcholæ magis exercitationem pertinent, illud modo oſtendamus, reliquis prætermiſſis, diuerſis interpretationibus Spiritum ſanctum egiſſe, vt eiuſdem ſententiæ cognitio eſſet vberior & luculentior. Nam quod Lucas & ſeptuaginta nominant, ſalutare Dei, id Eſaias dixit, quod os Domini locutum eſt. Et reuera illud ipſum Dei verbum, diuino ore ex omni æternitate prolatum eſt, ſalutare hoc quod mundus longo tempore expectat. Etenim diuina illa ſapientia de ſe loquitur, *Ego ex ore altiſſimi prodiui.* Eadem mox teſtatur. *In me gratia omnis vitæ & veritatis: in me omnis ſpes vitæ & virtutis.* Vt eadem & ſe apud Deum primogenitam, & apud homines vnicam ſalutis ſpem eſſe demonſtret. *Erat enim verbum apud Deum, & Deus erat verbum.* at idem verbum eſt caro factum, & habitauit in nobis. Quod paſtores diuinitus edocti loquebantur,

In lib. 2. cap. 18. de Chriſto reuelato.

Eccli. 24.

Ioan. 1,

tur, *Videamus hoc verbum, quod fecit Deus, & oſtendit nobis Verè quaſi vigilantes,* ait Beda, *non dixerunt, videamus puerum, ſed verbum quod factum eſt, id eſt, verbum quod ſemper erat, videamus quomodo pro nobis caro factum eſt.* Neque alio modo fit verbum, quam loquendo: neque Deus aliter verbum ſuum produxit, quam de ſe pronunciando, ſempiterna illa atque omni intelligentia ſuperiore prolatione, qua expreſſit quicquid Deus eſt. Hoc igitur verbum quod Deus locutus ab æterno eſt, videre iam licebit omni carni, quod ſit tanquam voce aut ſcriptura in humana carne extra prolatum. Namque vt dixit Ambroſius, *Cum caro Domini videtur, videtur verbum quod eſt filius.* Propterea quod iam fulgore illo infinito velut compreſſo atq; occluſo, oculis mortalium patere potuerit. itaque non Angelis iam ſed hominibus ſpectabilem tractabilemq; ſe præbet, neq; iuſtis tantū & ſanctis viris, ſed miſeris etiam peccatoribus ſe offert palam videndū, qui poſuerat tenebras latibulū ſuum, qui dixerat, *Non videbit me homo, & viuet.* Nunc iam longè aliter. *Videbit enim omnis caro ſalutare Dei.* & videbit & viuet, imo niſi viderit, non viuet. Omnis caro prorſus id eſt etiam peccatores, vt Titus optimè interpretatur ad hoc tam ſublime, tam cœleſte ſpectaculum inuitantur. Quanuis miſer & infirmus homo, quāuis peccatorum ſuorum contagione fœdus, accedat, ſalutem ſibi oblatam oculis, ſenſu, animo, omnibus partibus accipiat. Neque enim afferre de ſuo iubetur ſalutem, ſed Dei potius ſibi benigniſſimè impenſum ſalutare cognoſcere.

Luc. 2. *Beda ſuper Lucam.* *Ambroſ. in Lucam.* *Pſalm. 37.* *S. Titus in expo. Euang.*

6 Quod ſi quantū ſit munus quod vobis offertur diuinitus, non ſatis pro humanæ veſtræ ignorātiæ anguſtijs perſpicitis, attendite quo deſiderio ab ipſis cœleſtibus virtutib. hic ipſe dies expectatus ſit, vt meritò illud prædicauerit ſermo diuinus. *Deſideriū collium æternorum.* Atque vt primum ſe Rex ille ſpectandum orbi

Quo affectu deſiderauerint Patres Chriſti aduentum.

orbi oſtenderit, vniuerſa agens ſuperum, ad contuendum adorandumque oſtenſum ſibi in terris numen occurrerit. Neque ſine idoneo autore vobis
Heb. 1. tradimus, quod Paulus Apoſtolus affirmat: *Et cum iterum*, inquit, *introducit primogenitum in orbem terræ, ad Angelos quidem dicit, Et adorent eum omnes Angeli eius.* Iam priſcos Patres fidei noſtræ clariſſima lumina ſi conſulatis, & quo animo quam vehementi quam inflammato ſtudio hunc ſibi diuinitus promiſſum diem expectauerint, rogetis, omnino ſic reſponſuri ſunt, vt præ gaudio penè inſanire eos exiſtimetis. Quo affectu, qua mente erat magnus Patriarcha Ia-
Gen. 49. cob, cum moribundus illis ſe verbis ſuſtentabat, *Sa-*
Gen. 50. *lutare tuū expectabo Domine?* Quid huius filius Ioſeph? qui tantoperè de oſſibus ſuis in Palæſtina transferendis mandata vltima dedit, propterea quod in ea terra naſciturum, vitamque ducturum mundi Saluatorem certiſſimè nouerat? Moyſes vero etiam Dei imperio obſiſtere videri potuit, præ deſiderio ſummi legislatoris ac veriſſimi liberatoris intuendi, qui cum mandata Dei deferre in Aegyptum iuberetur,
Exod. 4. clamitabat: *Obſecro Domine, mitte quem miſſurus es.* His ſuperior ætate & gentis origine nobilis Abraham Patriarcha exultaſſe refertur, ac præ gaudio geſtiſſe mirificè, cum eſt ei diuinitus oſtenſus Saluatoris in mundum aduentus, qui ex ipſo ſuo genere fuiſſet
Ioan. 8. propagatus. Quid de Dei parente Dauide, vt illum Sancti Patres appellant, dicam? vbique quidem magnus, atque homines cæteros antecellens, hic vero cum Chriſti aduentum & natales celebrat, etiam ſeipſum ſuperans, quam gratulabundus, quam effuſus
Pſal. 97. lætitia canit? *Viderunt*, inquit, *omnes termini terræ ſalutare Dei noſtri. Iubilate Deo omnis terra: cantate, & exultate, & pſallite. Pſallite Domino in cithara & voce pſalmi: in tubis ductilibus, & voce tubæ corneæ. Iubilate in conſpectu Regis Domini: moueatur mare & plenitudo eius, orbis terrarum*

terrarum & qui habitant in eo. Flumina plaudent manu, ſimul montes exultabunt à conſpectu Domini, quoniam venit iudicare terram. Iam Iſaias huius videndi Dei deſiderio & ardore impatiens quam vociferatur fortiter? *Facti ſumus quaſi in principio, cum non dominareris noſtri, neque inuocaretur nomen tuum ſuper nos. Vtinam dirumperes cælos, & deſcenderes, à facie tua montes defluerent, ſicut exuſtio ignis tabeſcerent, aquæ arderent igni.* Longum erit, ſi Prophetas ſingulos percurramus. Verum Abacuch præterire non poſſumus, qui more ſpeculatoris attētiſſimis oculis aduentantis exoptatique ſubſidij prima ſigna conſpicantis, ſe Dei ad homines aduentum ſuſpensè expectare ſignificat. *Super cuſtodiam,* inquit, *meam ſtabo, & figam gradum ſuper munitionem, & contemplabor, vt videam quid dicatur mihi.* Et poſt aliquot verba: *Adhuc viſus procul, & apparebit in finem, & non mentietur.* De quo item Hieremias ſiue Baruch quod eſt idem, *Poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt.* Aggæus vero, ne Habacuch voce differentis tanti boni conſpectum, homines retardentur, clamitat rem optatiſſimam appropinquare iamque inſtare: *Adhuc modicum,* inquit, *& ego commouebo cælum & terram, & mare & aridā, & mouebo omnes gentes: & veniet deſideratus cunctis gentibus.* Quæ cum ita habeant, cumque omnes Patrum ſpes, omnia vota, in vno Chriſti Saluatoris aduentu ſita eſſe videamus, quis non excitetur animo, ac præ gaudio geſtiat, ſibi ob oculos poni ea bona, in quæ tantoperè Patres optimi exarſerint? *Quibus reuelatum eſt,* ait Petrus, *quia non ſibimet ipſis, nobis autem miniſtrabant ea, quæ nunc nunciata ſunt nobis.* Ad quæ conſideranda, & fruenda tam magna, tam cæleſtia dona, prouidendum eſt, fratres, ac ſummoperè laborandum, ne ingratos, ne frigidos, ne indignos denique nos præbeamus. Quin fide pleni, ardore ſpiritus inflammati occurramus Deo noſtro, ac lachrymas ſuauiſſimè

Eſai.63.64.

Habac.2.

Bar.3.

Aug.2.

1.Pet.1.

Eſai.26. fundentes dicamus: *Domine Deus noſter poſſederunt nos Domini a ꝗque te: tantum in te recordemur nominis tui.* Amen.

IN NATIVITATE DOMINI,

CONCIO PRIMA.

Rex pacificus magnificatus eſt, cuius vultum deſiderat vniuerſa terra.

1 Scripturæ verba ab Eccleſia accommodari feſtis diebus.

SI cui nouus & inuſitatus is ſermo videatur, quem nullo prolato autore, vt tenet conſuetudo, exorſus ſum, mirari nō debet, quod in nouo atque admirabili die natali Regis æterni, nouo etiam exordio ipſe vtar. Sed ne me alienum aliquid minimeq; ſacrum afferre putet, ad feſtum condecorandum omnium & ſanctiſſimum, & feliciſſimum, ſciat à ſacroſancta Chriſti Eccleſia id decantari ſub initium ipſum ſolēnitatis hodiernæ. Quæ quidem verba in ſacris etiam literis extant: quanquam ſunt nōnulla ex parte ſecus in ſuo loco poſita, quam ab Eccleſia recitantur. Sic enim habet tertius regum

3.Reg.10. liber: *Magnificatus eſt ergo Rex Salomon ſuper omnes Reges terræ diuitijs & ſapientia. Et vniuerſa terra deſiderabat, vultum Salomonis, vt audiret ſapientiam eius, quam dederat Deus in corde eius* Eam orationem fidelis ac prudens diuini verbi diſpenſatrix Eccleſia, Chriſto Domino accommodat, cuius typus & imago quædam fuit Salomon, nomine ipſo pacificum præ ſe referēs. Atque vt Chriſto illa conueniant, quę in Salomonem ſunt, dicta, nonnihil demit aut mutat. Quam rem ne quiſpiam

piam vel miretur, vel temerè reprehendat, intelligere oportet, eam Eccleſiæ ſanctæ autoritatem, vt ei ad concinnandas preces, officiaque feſtorum dierum, quos celebrat, fas ſit prorſus ex diuina Scriptura quæ videntur opportuna, ſumere, atque vt res poſtulat accommodare, detractis additis, aut mutatis quibuſdam, quo melius propoſito congruant. Etenim idem eſt ſpiritus Dei, quo autore Scriptura ſacra edita, quo etiam magiſtro Eccleſia catholica vtitur: neque poteſt Eccleſiæ ſententia à Scripturæ diuinæ ſententia diſcrepare. Quamobrem Bernardus audacter quidem ſed non falsò illud pronuntiat: *Cum Eccleſia in Scripturis diuinis verba vel alterat, vel alternat, fortior eſt illa compoſitio, quam poſitio prima verborum.* Fortiorem ac potiorem eam verborum ſtructuram quam Eccleſia adhibet, propterea Bernardus cenſet, quòd ad præcipuum Spiritus ſancti inſtitutum, quod non tam litera continetur quam ſpiritu magis accedit. Solent videri mihi diuinarum literarum volumina tanquam variorum pretioſorumque pannorum textrinæ quædam opulentæ, ex quibus, quod faciunt primarij viri, ad ſe ſuoſque exornandos, id accipiant, quod opus eſt. Eccleſia Chriſti ſponſa mutuatur, quæ vſui eſſe ſentit, atque ea pro ſuo modo concinnat, quo illuſtrius & pulchrius fiat ornamentum. Quo ſuo iure optime potuit, quæ de Salomone erant ſcripta ad verum Salomonem Chriſtum, vt eum maximè decebat transferre. Qua de re quoniam in libris, quos de Chriſto reuelato conſcripſimus vberius diſputauimus, nihil erit hoc loco neceſſe amplius immorari.

Bernard. in ſer 3. de vig. Natiui.

Libro 3. de Chriſto reuelato. c. 6. 7. & 8.

2 At dicet fortaſſis aliquis in hodiernum tempus minimè eam Salomonis gloriam, & amplitudinem conuenire: neque puerum recens natum eumq; pauperculum illã regiam tã prolixã, tam ſplendidam veſtem decere. Quid enim Rex prædicatur is, quem tri-

Inter omnia opera Dei magnificentiſſi-

mum fuiſſe incarnationem Verbi. *Orig. hom. 11. in Lucam.* *Paulus Oroſius lib. 6. ca. 20. & lib. 7. cap. 1.* *Phil. 1.* *Ioan. 1.*

butum pendere audimus? Nam ipſum etiam recens ortum infantulum cenſum eſſe ex Cæſaris edicto Origenes ſentit, & Paulus Oroſius affirmat, imo hiſtoria Euangelica inſinuat. Quomodo ergo Rex, qui Regi & paret, & ſeruit? Magnificatum vero quis audiat, qui non illudi putet infantulo exiguo, & vilibus pannis inuoluto? Quin potius ſi quando imminutum, ſi quando deiectum, & in anguſtias redactum Deum cogitare liceat, hodie certè perſpicere poſſis in tugurio illo Bethleemico tam anguſtè iacentem. Paulus quidem exinaniſſe illum ſeſe dicit, formam ſerui indutum. Et tu ô Eccleſia ſancta, magnificatum hodie nobis prædicas? Iam vero cui conuenit, vt vultum eius vniuerſa terra deſiderare narretur, quem ne ſui quidem accipere hoſpitio volunt? quem auertunt ac repellunt, quem ne lare quidem communi dignantur, cum tu confirmas vniuerſis eſſe deſideratum? Atqui in diuerſorium vile & abiectum concedit, quo nemo niſi egens & inops ſeſe reciperet, magis beſtiarum ſtabulum, quam hominum domicilium. Eo enim neceſſitate oppreſſos, & vrbe cætera excluſos ſe recepiſſe Ioſeph & Mariam grauiſſimi autores ſcribunt, cum vile diuerſorium fuiſſe declarent. *In propria venit: & ſui eum non receperunt.* Quid igitur nobis beata mater Eccleſia narras, cum Chriſtum cum Salomone componis? Imo qui duo poſſunt plus inter ſe diſſidere homines? Salomon magnis opibus: Chriſtus paupertate extrema: Salomon in throno eburneo procerum comitatu vallatus: Chriſtus in præſepi viliſſimo, abiectis animantibus ſocijs. Salomonis ſapientia & reſponſa præclariſſima: Chriſtus puerulus minimè cognitus. Si quis eum interim adit, non reges ac principes orbis, ſed paſtores ruſticanoſque videns. Quid ergo habet ſimile. vt hodie nobis hoc carmen inſonet: *Rex pacificus magnificatus eſt.* Quid, oro te ſacra mater Eccleſia,

cleſia, quid inquam tibi venit in mentem in tanta penuria, & his anguſtijs, illas ſuperbas Salomonis opes, illam toto orbe celebratam gloriam commemorare? Res planè videtur abſurda. Verum ſponſa Chriſti Eccleſia nihil his rationibus mouetur, nihil contrarijs vocibus terretur, quin læta & iucunda ſponſi ſui feſto natalitio carmen illud cantet: *Rex pacificus magnificatus eſt, cuius vultum deſiderat vniuerſa terra.* Neque contenta cecinisſe ſemel, repetit idem: *Magnificatus eſt rex pacificus ſuper omnes Reges terræ.* Hoc ipſo die, hoc ipſo tempore, quo videtur puer extremam pati penuriam, atque obſcuritate ſumma delitéſcere, hoc inquam die Regis æterni maieſtas ampliſſimè oſtenditur, ac præ cæteris Dei factis, facinus eius hodiernum altiſſimè eminet. *Quis loquetur potentias Domini? auditas faciet laudes eius?* Quænam vel ad diſcendum lingua ſufficiat, vel mens ad cogitandum recondita hæc diuinæ ſapientiæ arcana? ſed ſermo diuinus præcipit, *Notas facite in populis adinuentiones Dei.* Sunt enim charitatis illius ſummæ inuenta hæc præclariſſima, ſunt magnificentiæ incredibilis dona pulcherrima, quæ celebrare iubemur, atque vtcunque poſſumus & muti & elingues proferre. Ac primum, cum Deus cælum terramque condidit, potentiæ ſuæ magnitudinem quidem demonſtrauit, quæ ſolo dicto ex nihilo corpora amplitudine prope infinita produxit, ornata & inſtructa ſideribus, ſtirpibus, animantibus. Quæ profecto reſpiciens canebat Dauid, *Domine Deus meus magnificatus es vehementer,* Cur ita? *Extendens,* inquit, *cælum ſicut pellem, qui tegis aquis ſuperiora eius. Qui ponis nubem aſcenſum tuum, qui facit Angelos ſuos ſpiritus, qui fundaſti terram ſuper ſtabilitatem eius.* Magna certè hæc omnia Dei opera, quæque magnificum autorem vehementer oſtendant. Ad hanc ſuam magnificentiam Deus alteram non minorem adiunxit, vniuerſi huius operis tantarumque

Pſal. 105.

Eſai. 12.

Pſal. 103.

rerum dominatum vni homini tribuit. Regem eum eorum omnium quæ in terra ſunt, vt Gregorius Nazianzenus dixit, conſtituens. Qua liberalitate & munificentia quid poteſt amplius cogitari? Etenim ingens & præclarum aliquod regnum, ſi rex aut imperator militi cuipiam donandum arbitraretur, propterea quod vel incitati equi curſu, vel præclarè vibrata haſta militis eſſet ſtudio delectatus, quis eius Regis munificentiam non miraretur ac prædicaret? Atque omnia ſanè ſubdidit Deus homini, & illius imperio ſubegit, nullo hactenus hominis obſequio deuinctus: ſed vt iure quodam dignius poſſideret, breui faciliqueque præcepto quod ſeruaret, propoſito, proprium fixum ſempiternumque fore ſanxit: ſi vnius arboris pomum videlicet non guſtaret, cui erat infinita alia poma pulcherrima decerpendi facta copia. Proinde hoc Dei aduerſus hominem magnificentiæ genus Pſalmidicus Propheta ad hunc modum celebrat *Domine Dominus noſter, quam admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra. Quia eleuata eſt magnificentia tua ſuper cælos, quoniam videbo cælos tuos opera digitorum tuorum, lunam & ſtellas quæ tu fundaſti.* Sed quorſum iſthæc omnis narratio? Quid potiſſimum admiretur attendite: *Quid eſt homo quod memor es eius? aut filium hominis, quia viſitas eum? Minuiſti eum paulo minus ab Ange.is, gloria & honore coronaſti eum, & conſtituiſti eum ſuper opera manum tuarum, omnia ſubieciſti ſub pedibus eius.* Id ſcilicet admiratur, id prædicat. Omnia hæc tanta ac talia opera ſua Deum ſubieciſſe homini mortali, terreſtri, exiguo. Eſt nimirum ea Deo digniſſima magnificentia, quæ ſe dantem (quod Alexander Magnus laudatur) quid deceat, non is cui datur, quo ſit dignus, aſpiciat. Verum quanuis duplici magnificentiæ genere à nobis expoſito Dei maieſtas maximè eluceat, tamē laus ea omnis alia quadā laude latè & obſcuratur, & vincitur,

Greg. Naz. orat. in Chriſti Nati.

Pſalm. 8.

citur, quippe cum non ſatis eſſe putans cętera omnia dediſſe homini, ſe quoque ipſum dandum tribuendumque eidem homini exiſtimauerit, idque excelſa adeo ac diuina ratione, vt homo appellaretur eſſetq; reuera Deus, natura omnia humana ad deitatem ita euecta, vt eſſet humanæ diuinæque naturæ vna perſona. Hoc tantum facinus, hoc omnium quæ excogitari poſſunt diuiniſſimum opus, ſimul atque Dei ſapientia & contemplata eſt apud ſe, & mentibus à ſe conditis conſpiciendum oſtendit, celſitudine & gloria illa incomparabili delectata, ſibique mirificè placens, tunc ſe magnificam verè haberi prædicariq; voluit. Tunc cætera omnia opera, quanuis præclara, huius ſplendore obſcurari cernens, ſe Deus longè lateque glorioſum effectum declarauit. Magnificatus igitur eſt Rex, verè magnificatus eſt hodie. Itaq; cum reliqua commemoraſſet à ſe edita opera, magna illa certè ac præclara, tamen ludicra quædam, & per iocum à ſe facta refert prę hoc vno, quod ſerium, quod Deo ipſi magnum eſt viſum. Nã in libro Salomonis ſic videmus loqui ſapientiam: *Quando præparabat cælos aderam, quando certa lege & gyro vallabat abyſſos, quando æthera firmabat ſurſum, & librabat fontes aquarum, quando circundabat mari terminum ſuum, & legem ponebat aquis, ne tranſirent fines ſuos, quando appendebat fundamentum terræ.* Quot & quanta hæc? quam magna quam ardua factu opera. At vide quam ſe in ijs parum laboraſſe diuina ſapientia ſentiat, quam hæc denique exigua, ac penè puerilia ducat. *Cum eo eram cuncta componens, & delectabar per ſingulos dies ludens cum eo omni tempore, ludens in orbe terrarum.* Quæcunque, inquit, ſex diebus illis primis producta ſunt, quæ ſunt certè omnia creata, per ludum à me patrata ſunt: totus ipſe terrarum orbis luſus & iocus mihi fuit. Ac quanuis ea me delectent, tamen deliciæ meæ eſſe cum filijs hominũ, id eſt, illa me vnicè

Prou. 8.

 cogi-

cogitatione oblecto, quod me filijs hominum aliquando iungere paro vſque eo, vt qui facit hominum Deus idem fiat veriſſimus homo. Quod admirabile myſterium Gregorius Theologus hodierna oratione celebrat his verbis: *Ille inuiſibilis, ille incomprehenſibilis, ille incorporeus, illud ex principio principium, ille fons vitæ, Patris per omnia imago, ad imaginem ſuam ſe confert, carnemque carnis cauſa gerit, O nouam & inauditam mixturam. Qui eſt fit: qui creationis expers eſt, creatur, ſecundum conſortium nobiſcum init, & quidem priori longe mirabilius. Tunc enim ad quod præſtantius erat, nobis impertijt: at nunc eius quod deterius eſt, particeps ipſe fit. Hoc priori illo diuinius: hoc apud cordatos multo ſublimius.* Huc demum intuens Paulus dicebat, *Mihi omnium Sanctorum minimo data eſt gratia hæc, euangelizare in gentibus inueſtigabiles diuitias Chriſti, & illuminare omnes, quæ ſit diſpenſatio ſacramenti abſconditi à ſeculis in Deo, qui omnia creauit.* Meritò diuitias inueſtigabiles atque opes inexplicabiles, myſterium Chriſti vocat, quod ſentit præ omnibus alijs abſconditum ac repoſitum altè in mente Conditoris ex omni æternitate. Quod cum foras productum, iam atque oculis omnium patefactum expoſitumque conſiderat, non poteſt rei tantæ conſcia Eccleſia ſe tenere, quin in illam vocem admirabunda ac lætiſſima erumpat: *Magnificatus eſt Rex pacificus.*

Greg. Naz. in orat. in Chriſti natiuitate

3 In eo diuini amoris magnitudinem declarari, quod miſerias hominis libens ſuſceperit.

Sap. 11.

Satis quidem opinor de re tanta diſputatum vobis videbitur, at mihi ad ea quæ dixi, aliquid videtur reſtare quod addam, idque præcipuum. Nam cum Deus omnia agat voluntate & conſilio, non neceſſitate, coactione ve aliqua, eo neceſſe eſt opificem in opere à ſe effecto amplius innoteſcere & perſpici, quo plus eius voluntas & amor ex opere perfecto demonſtratur. Sapientis illa ad Deum vox eſt: *Diligis omnia quæ ſunt, & nihil odiſti eorum quæ feciſti: neq; enim odiens aliquid conſtituiſti aut feciſti. Quomodo enim poſſet*

aliquid

aliquid permanere, niſi tu voluiſſes? Quæ ſi vera ſunt, liquido intelligi poteſt, nihil Deo hodierno opere charius fuiſſe, nihil proinde illuſtrius, nihil magnificentius extitiſſe, propterea quod in cæteris nihil niſi res effectæ, in hoc ipſemet in opere ſuo exiſtit, ita enim eſt opus Dei vt etiam Deus ſit opus ſuum. Quæ vis & magnitudo amoris eo peruaſit, vt qui reliqua omnia fecerat propter hominem, ipſe præterea eiuſdem hominis gratia, fieret homo. Qua tanta re quid poteſt cogitari maius atque diuinius? Atque vt eius amoris infiniti vis, & potentia amplius pateſieret, non ſatis habuit Deus fieri homo, ſed voluit inſuper homo fieri, homini perdito & miſero, quem amabat ſimillimus. Itaque effectus eſt pauper, imbecillis, inops, abiectus, miſerijs mortalium addictus: quam rem magnificè commendat Apoſtolus cum dicit, *Debuit per omnia fratribus ſimilari, vt miſericors fieret.* Hebr. 2. Notum nimirum eſt amantis ingenium cupere eius quem emat, eſſe quam ſimillimum: rebus mutuo communicatis, & illius in hunc, & huius in illum propria impertiri iuuat. Itaque Salomon noſter pacificus Rex amore hominum ardens, cum ſe habitum omnique apparatu reliquo hominis indutum cernit, mirificè exultat, triumphatque, ac ciues illos ſuos glorioſos, Angelos inquam cæleſteſque omnes virtutes, ad ſpectaculum admirabile inuitat, ſibique nunc maximè gratulantes libentiſſimè accipit, neque illo ſuauius carmine quicquam putat: *Rex pacificus magnificatus eſt.* Amantium planè eſt, rem habere charam atque pretioſam, ſi quam nacti ſunt eius fœminæ propriam, quam depereunt, ſiue imago aliqua ſit, ſiue veſtis, ſiue vile alioqui velum, tanquam pignus amoris pro magno ducunt, & laudibus ad cælum tollunt. Quin etiam ſi quas ciborum reliquias, quas attigerunt amatæ, nacti ſunt, iucundiſſimè ijs veſcuntur, atque ijſdem ſummoperè oble-

lectantur, videaſque principes viros præ amore in eiuſmodi nugis inſanire. Magna eſt amoris nempe vis: ſed amoris tui ô Chriſte Deus quanta fuerit magnitudo, quis explicet? quis intelligat? Nuditatem noſtram, paupertatem, iniurias corporis omnes, frigus, famen, laborem ſuſcepiſti, quia noſtra erant: quę tametſi nobis odio eſſent, ornamenta tamen tibi ea fore putaſti, præ coniunctionis humanæ eximio & incredibili amore. *Copulatus eſt*, ait Scriptura, *mulieribus Salomon ardentiſſimo amore.* O diuini ardor incendij, quo pectus illud noſtri pacifici, pueri inquam Ieſu, totum æſtuabat, atque in dulceſſimas lachrymas ſoluebatur, tanquam eo igne liquefactum. O flammam illam excellentiſſimæ charitatis, quæ tanquam tenerum Chriſti corpuſculum accenderet, frigori brumæ perhorridæ à tegumentis nudum expoſuit. Diuini hanc amoris magnitudinem eleganter celebrantem beatum Zenonem Epiſcopum Veronenſem antiquiſſimæ ætatis autorem oro vos tantiſper audite. *O noua*, inquit, *ratio. Amore imaginis ſuæ coactus in infantem: vagit Deus: patiturque ſe pannis alligari, qui mundi debita venerat ſoluturus. In ſtabili præſepe deponitur: populorum paſtorem, pabulumque ſe eſſe conteſtans. Subijcit ſe gradibus ætatis, cuius æternitas in ſe non admittit ætatem, vt homo infirmus patitur, vt homini mortis lege conſumpto, immortalitas tribuatur.* Quæ ab hoc Patre pluribus dicta ſunt, ea breui Paulus ſermone complexus eſt omnia. *Scitis gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti, quia cum diues eſſet, egenus pro vobis factus eſt, vt vos inopia ipſius diuites eſſetis.* Quo ingenio perfecit diuinus amor, vt rebus commutatis quæ erant noſtra, Deus ſumeret, & quæ Dei è contrario erant, noſtra fierent. Præclarè magnus Dionyſius amoris vim exprimere volens dixit alienationem mentis inducere. *Eſt* inquit, *mentis ſeceſſum extaſimque faciens diuinus amor, amatores ſui iuris eſſe non*

3. Reg. 11.

S. Zeno ſer. 4. in feſto Natiuit.

2. Cor. 8.

Dion. Areopag. c. 4. de diuin. nom.

non ſinens, ſed in ea quæ amant, penitus transferens. Ac mox: *Audebimus & id pro veritate loqui, quod ipſe quoque autor omnium, pro amatoriæ bonitatis magnitudine extra ſe fit.* Quam ſapienter Deum hominem factum extra ſe eſſe quodammodo Dionyſius cenſet. Nonne retinetis animo, quod ſacra hiſtoria narrat, Ionathan principem tanto in Dauidem paſtorem Beetlemitam exarſiſſe amore, vt ſe nudaret regijs ornamētis, detractaque ſibi tunica & cætera veſte, armis quoque, gladio, arcu, & ipſo balteo amicum donandum exiſtimaret? id verius contigiſſe ſupremo principi gloriæ hodie videmus, qui præ amoris in hominem magnitudine, traditis nobis diuinis ornamentis, ipſe ſpoliatus, inops, ac penè nudus exultat, magnumque eum potentiæ ac gloriæ ſuæ fructum arbitratur, vt iure ſibi cantari velit *Magnificatus eſt Rex pacificus.* 3. Reg. 18.

Ex qua diuinæ illius ſapiētiæ ratione manat quicquid humano iudicio contrarium, in hodierno natali intuemur. Cum enim Rex ſit Regum ac dominus dominantium, homini hodie tributum pendet, ſubdituſque cenſetur legum omnium Conditor. Octauiani Auguſti edicto paret, atque obedientia ductus. Nazareth relicta Bethleem petit, ante obedientiæ veſtigia ponens, quam ſit in hanc lucem editus. Is qui rebus omnibus loca opportuna præbet, qui animantibus cubilia, paſſerculis nidulos ſuos, vulpibus foramina impertit, ipſe tecto caret & lare, excluſus ab hominum domicilijs, quibus cæleſtia ipſe domicilia tribuit. Quo facto illud interim docet eſſe peregrinos domo excipiēdos, quod Deus apud mortales peregrinetur. Iā quod puellus pānis inuoluitur, quod vagit, & iniurias hyemis ſentit, is qui eſt tam magnus, vt cælum pro ſede, terram pro ſcabello pedum habeat, qui luce radijſque fulgentibus veſtit Solem, lunam, aſtra omnia, volens nimirum hominem ita

4 Quid pro amore ſuo rependi à nobis Chriſtus cupiat.

ita erudire, in puerum debere conuerti, humilitatis ac manſuetudinis habitu, ſi cupiat in cælum ire, & inter magnos illic proceres numerari. In præſepi denique poſitus ſe cibum beſtijs offert, tanquam fœnum opportunum ſint reperturæ, quando eſt quidem: *Omnis caro fænum* teſte Eſaia, & verbum eſſe carnem factum, Ioannes teſtatur. In Bethleem ſanè quam domum panis interpretantur, iure optimo videtis verbum, æternum, cæleſtemque panem humanæ fami propoſitum, pro eo quod iumentis ſimilis homo euaſerat. *In funiculis,* inquit, *Adam traham eos, in vinculis charitatis. Et ero eis quaſi exaltans iugum ſuper maxillas eorum: & declinaui ad eum, vt veſceretur.* Huc tandem vſque ſeſe cœleſtis illa demiſit maieſtas, vt iumentorum eſca fieret, atque idcirco ſe recens natum in præſepi collocari voluit. Ea ſunt videlicet vincula Adæ, ea retia charitatis, qui enim Deus eſſe cupijt, Deus fieri poteſt, Dei carne veſcendo, atque iugum illud duriſſimum peccati, ceruicibus excuſſum, diuina ope, non iam retardat atque impedit, quo minus diuinis pabulis perfruatur: libet hæc eadē Nyſſeni Gregorij verbis referre, qui in hodierni feſti oratione ad hunc modum loquitur: *Quid ſibi vult Domini in antro ſedes? hæc in præſepi declinatio? cur tempore deſcriptionis tributorum in vitam ingreditur. An perſpicuum eſt eum, quemadmodum à legis execratione nos eripit, factus ipſe pro nobis execratio, & liuores noſtros in ſe transfert, vt eius liuore curemur, ſic etiam vectigalem fieri, vt nos à grauiſſimo vectigali, quod ab homine mors exigit: liberaret? Quod vero ſpeluncam vides, in qua naſcitur Dominus, cæcam hominum vitam, & in terra demerſam cogita, in qua ſe oſtendit: ſedentibus in vmbra mortis. Pannis vero obuoluitur, & faſcijs conſtringitur, qui peccatorum noſtrorum catenas ſubit & vincula. Præſepe vero, in quo verbum gignitur, beſtiarum eſt domus, vt cognoſcat bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe domini ſui. E cælo delapſus panis in præſepi*

Eſai. 40.

Oſea 11.

Greg. Nyſſ. in orat. in natalem Domini.

præſepi ponitur, vt animalia expertia rationis, rationis cibo nutriantur. Medium ſe Deus inter bouem & aſinum in præſepi locat, vt duos populos condat in ſemetipſo. Hæc Nyſſenus. Ac thronum quidem Scriptura ſacra Salomonis celebrat eburneum auro multo fulgentem, leonum aureorum effigie radiantium, hinc inde, terribilem. Nos vero ad thronum gratiæ Dei, vt Paulus loquitur, adeamus atque Bethlemiticum præſepe omnibus Regum ſolijs anteponamus: neque enim territos nos fugere vult, ſed allectos ſimplicitate illa mirabili cupide accedere, atque amabilem Domini, eundem hominum amatorem, atque hominibus amabilem recognoſcere: ac pro noſtra virili mutuam ſummo noſtro amatori amoris, vicem rependere. Id ſi fiet, magnos ſe eximiæ in nos charitatis fructus percepiſse non immeritò exiſtimabit.

3 *Reg.* 10.
Heb. 4.

IN EODEM NATALI
DOMINI CONCIO SECVNDA.

Verbum caro factum eſt: & habitauit in nobis. Ioan. 1.

DAVIDEM Regem commemorat Scriptura diuina aliquando ſiti inflammatum patriæ vrbis aquas deſideraſſe. Itaque dixiſſe. *O ſi quis mihi daret potum aquæ de ciſterna, quæ eſt in Bethleem iuxta portum.* Quæ res quanquam hiſtoricè illius viri labores temperantiamque

1 Dei verbũ incarnatum eſſe aquas Beethlemiticas, quas Dauid concupiuit

2.Reg.23. rantiamque commendat, tamen altiore intelligentia, qua Propheta præſtantiſſimus præditus fuit, inſinuat planè nobilioris cuiuſdam aquæ vehemens deſiderium, quo teneri ſe demonſtrabat, cum diceret, *Sitiuit in te anima mea. Et ſitiuit anima mea ad* Pſal. 62. Pſal. 41. *Deum.* Quem quidem Deum ex ipſa ſua vrbe Bethleem proditurum aliquando, non ignorabat, Pſal. 131. quippe cuius ſit carmen illud, *Ecce audiuimus eam in Ephrata: inuenimus eam in campis ſyluæ. Introibimus in tabernaculum eius: adorabimus in loco vbi ſteterunt pedes eius.* Nam Ephrata fuiſſe Bethleem, rem eandem duplici vocabulo dictam, & ſancti Patres in eo loco docent, & ſacræ literæ apertè tradunt. Ruth. 1. 1 Reg. 17. Mich. 5. Meritò igitur Dauidis id ſapiens ſanctumque deſiderium laudatur, rectè ſitis diuinitus accenſa proponitur, quæ non turbidas aquas Aegypti, non ciſternis diſſipatis, perruptiſque contentas optaret, quales eſſe neceſſe eſt vitæ corruptibilis voluptates, cæno oppletas, impuras, graue olentes, quippe cum *omnis caro corruperit viam ſuam*, ſed concupiſceret potius cæleſtis aquæ fluenta, ad quæ ipſe ſapientiæ fons inuitat mortales, cum loquitur, *Si quis ſitit, veniat ad me.* Atque erat ſane ille fons ſecretus, abditus, inacceſſuſque mortalibus, cum ex patre manaret, atque apud patrem tantũmodo exiſteret. *Fons vitæ.* ait Scriptura, *verbum Dei in excelſis.* Quod quidem verbum Ioannes prædicat, *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum.* Gen. 6. Ioan. 7. Eccleſ. 1. Sed quod fieri ſolet, vt fons in edito monte manans deriuetur ſuis canalibus, & perducatur in oppidum, vbi copia fiat omnibus aquæ, vſuſque facilè pateat iis, qui ad longè remota arduaque aquæ primordia adire requirent, id nunc in hac cæleſti aqua intuemini, cuius origo in celſiſſimo montis vertice, hoc eſt, ex æterni Patris intimo ſinu, nullis naturæ conditæ viribus parari obtineriq; poterat: ſed deriuata deductaque

ctaq; ad nos diuino conſilio, diuino opere, in ciſternam Beethlemiticā incluſa eadē aqua, atq; inde producta mortaliū vſui patet. Ex pura inquam Dauidicæ virginis aluo aqua ſapiētię prodit, & Beethlemiticos primo agros irrigat, deinde omnes ad ſe concupiſcēdam, fruendam hauriendā, potandam, longe lateque prouocat. Qua de re præſtat audire ſanctum Hieroſolymitanum Patriarcham Sophronium ſic loquentem, *Etenim Dauid in Regem à Deo aſſumptus cum Philiſthæorum acie vndique coerceretur ſpirituali ſiti ardens, ardenſque ſalutarem aquam ex ciſterna, quæ erat in Beethleem, bibere deſiderabat. Aqua autem quam myſticè ille expetebat, & viua erat & omnes qui ex ea bibebant, diuina virtute viuos efficiebat. Ciſterna autem hæc ſacra ſanctiſſimam virginem deſignabat, quæ Deum paritura erat. Propheta enim erat & figura de Chriſto, qui eſt aqua viua, omnibus vitam infundens, deque myſtica & ſpirituali ciſterna, quæ aquam illam, quæ nunquam deficit, vtero comprehenſam, in lucem dedit.* Nonne pulchrè ſermonem noſtrum confirmauit Sophronius? Itaque vt ante dicebam, quod erat apud Deum verbum, idem eſt verbum caro factum, & habitauit in nobis. Habitauit, inquam, in nobis: vt eius adeundi, communicandi, percipiendi copiam nobis factam, & cognoſcamus & vehementer gratulemur. Huc nimirum reſpiciens vates diuinus cum magna lætitiæ ſignificatione canebat, *Ecce Deus Saluator meus fiducialiter agam, & nō timebo, quia factus eſt mihi in ſalutē* Quibus è veſtigio adiūgit Propheta: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris.* Eam ſcilicet ſalutē qua tātopere delectabatur, atq; eas aquas non ſibi tantum, ſed nobis omnib. propoſitas declarat, quas ex ipſis Saluatoris fontibus nobis cōmunicatis haurire debeamus.

Sophron. in orat. in Natalitia Chriſti

Eſai. 12.

Quoniam vero quæ ſit aqua Beethlemitica, quam beatus Dauid ſitiebat, oſtendimus, deinceps quo pacto eā ſibi comparauit, dicamus. Ac fuiſſe non facile neque

2 Verbum Dei ex Deo æterna productio-

ne genitū, incarnati: one nobis factum.

neque cuiuis tentandum negotium ſacræ literæ produnt, quæ Beethlemiticam ciſternam Philiſtæorum caſtris circundatam, munitamque docent: quo proinde perrumpere, ac peruadere auſos fuiſſe tres fortiſſimos viros, cum magna eorum laude commemorant. Nimirum fortitudine opus eſt eximia, atque ardenti quadam virtute, quo diuinam aquam ſalutarem liceat haurire. Qua enim fidei magnitudine opus ſit. vt Deus cognoſcatur caro factus? Quem ſpei fiduciæque requirat ardorem, ab infantulo inope, paupere, nudo, ſi bona omnia expectare iubearis? Quibus charitatis viribus perfici queat, vt in præſepi iacentem, vilium iumentorum comitatu ſtipatum adames, venereris, adores? *Non permanebit ſpiritus meus in homine, quia caro eſt.* Olim dixiſſe Deum meminiſtis: qua ergo ratione nunc Deum carnem factum homo credat? quo pacto Deum carnem auerſantem caro amet? Non dubium eſt, fratres, quin humano ſenſui, humanæ rationi myſterium incarnati Verbi multas, graueſque difficultates obijciat, tanquam hoſtiles armataſque phalanges. Sed virtus in arduo ſpectatur, habetque laudem. Tres eo præſtantiſſimæ virtutes, tanquam Dauidis milites fortiſſimi, ſuperatis Philiſthæorum omnibus caſtris perueniant, ac ſitienti regi, hauſtum vaſis ſuis diuinitus, aquam reportent. Nam fides quidem prima, omnia ea humana argumenta perfringens ac ſuperans, glorioſè infert, *Quod ſtultum eſt Dei, ſapientius eſt hominibus.* Sentit quippe illa, & confitetur planè, eum puerum, quem recēs natum adorat in Bethleem, eſſe ex omni æternitate à Deo Patre productum, cuius & verbum eſt, & coæternnm verbum. *Eſt enim hoc verbum*, vt Fulgentius Ruſpenſis ait, *non quod deſinit prolatum, ſed quod permanet natum, non factum à Deo Patre ſed genitum, nec ſolum genitum: ſed etiam vnigenitum. Vnum quippe verbum Deus Pater genuit de ſe ipſo, per quod omnia creauit*

Geneſ. 6.

Fulgen. ſer. 1. in feſto Natiu.

creauit ex nihilo. Quo verbo quidquid Deus eſt, quidquid intelligit, expreſſum eſt atque dictum, ac proinde ita apud Deum reconditum verbum, vt à nullo valeat intellectu cognoſci, neque humano neque Angelico, niſi ipſum ſe prodat. *Aſcendit enim ſuper pennas ventorum, & poſuit tenebras latibulum ſuum.* At verbum, quod intus manens à ſola ea mente intelligi poteſt, in qua verſatur, idem foras productum audiri, & legi, atque intelligi poteſt ab ijs qui vel audire poſſunt, vel legere ſciunt. Quid hæc ſibi velint, requiritis. Nempè qui apud Patrem latebat, nunc apud matrem apparet. *Manifeſta eſt*, inquit Auguſtinus: *ipſa vita in carne, vt res quæ ſolo corde videri poteſt, videretur & oculis, vt corda ſanaret. Solo enim corde videtur verbum: caro autem & oculis corporalibus: factum eſt verbum caro, quam videre poſſemus, vt ſanaretur in nobis, vnde verbum videremus.* Bene omnino Auguſtinus. Nec minus benè quod alio in loco ſic habet. *Miramur quomodo Chriſtus carnem accepit de virgine. Natus eſt, & à Patre non receſſit. Ecce ego qui vobiſcum loquar, cogitaui quod vobis dicerem. Iam in corde meo verbum erat: quæro illi verbo ſonum, quæro quaſi vehiculum, ſicut verbum meum aſſumpſit ſonum per quem audiretur, ſic verbum Dei aſſumpſit hominem per quẽ videretur.* Quemadmodum etiam ſententia mentis, attramento chartæ indita, atque expreſſa, efficitur, vt ita dicam, viſibilis, atque ita manifeſta, vt percipi facile queat, ſic diuinum illud verbum beatæ Virginis ſanguine carneque indutum, teſte Damaſceno, oculis humanis & ſenſibus conformatum eſt. Itaque iam licet dicere amatoribus verbi. *Quod audiuimus, quod vidimus, & manus noſtræ contrectauerunt de verbo vitæ, quæ erat apud Patrem & apparuit nobis.* Neq; enim aliud eſt verbum, aut alia ſententia mentis, ab ea diuerſa quæ voce proditur, aut de ſcripto traditur: ſed vna eademque ſententia nullo modo commutata, diuerſo tamen

Pſalm. 17.

Aug. tract. 1. in epiſt. Io.

Aug. ſer. 53. de tempore, qui eſt 22. de Natiuit.

Damaſc. in ſermone de aſſumptione Deiparæ.

1. Ioan. 1.

modo informata, de intima & ſecreta, fit extrema & manifeſta. Quamobrē, qui dixerat, *Verbum erat apud Deum & Deus erat verbum.* Idem etiam dicit: *Et verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis.* Idem per omnia verbum in mente patris occultum, idem in gremio matris ſpectabile ac manifeſtum: vt eſt idem verbum cogitatione latens, charta inſcriptum patens:

Abac.2. Idcirco Abacuch Prophetæ præcipitur diuinitus: *Scribe viſum & explana eum ſuper tabulas, vt percurrat qui legerit eum.* Quid rei ſit illicò enunciat *Quia adhuc viſus procul, & apparebit in finem, & non mentietur. Si moram fecerit exſpecta eum, quia veniens veniet, & non tardabit. Ecce qui incredulus eſt, non erit recta anima eius in ſemetipſo. Iuſtus autem in fide ſua viuet.* Fide nimirum vita iuſtorum conſtat, qui Dei verbo freti, quæ iubentur facere, faciunt, fiduciam interim ſuam in promiſſo ſibi diuinituſque oſtēſo Saluatore ponentes. Sed explanari in tabulis viſio prophetica iubetur, vt poſſit celeriter à legente percipi,

Rom.9. *Verbum enim abbreuiatum & conſummans fecit Deus ſuper terram;* quod paſtores Bethleemitæ quemadmodum bea-

Ambroſ. in Luc. c. 2. tus dicit Ambroſius, & oſtenſum ſibi gratulabantur, & videre oculis amplius feſtinabant. Et verè: *Verbum enim caro factum eſt, & habitauit in nobis.*

2 Verbum Dei carnē factū eſſe lucem incorporatā vt poſſit ab hominibus videri.

Quod de verbo diſputantem non ſine voluptate audiſtis, de luce dicentem non iniucundè credo accipietis. De eodem quidem verbo Ioannes dixit, *In ipſo vita erat, & vita erat lux hominum & lux in tenebris lucet: & tenebræ eam non comprehenderunt.* Itaque lux illa puriſſima, & ſplendidiſſima præ magnitudine fulgoris ſui, naturæ omnis conditæ aciem perſtringebat, neque ſe humanis obtutibus capi patiebatur.

1.Tim.6. *Lucem* inquit Paulus, *inhabitabat inacceſſibilem, quem nullus hominum vidit, ſed nec videre poteſt.* Quod

Exod 32. Moyſi quondam ipſe confirmarat: *Non videbit me homo,*

homo, & viuet. Igitur vt ſpectari mortalium oculis poſſet, lux illa ſumma, temperandum fulgorem illum ſuum exiſtimauit, atque adumbrandum; obſcurandumque quodammodo. Auguſtinnm audi. *Illud quod in principio erat verbum, lumen illud verum: vt vmbraculum meridianum fieret nobis, verbum caro factum eſt: Deo ſcilicet homo, tanquam lumini corpus acceſſit, & in eum credentes, vmbra protectionis operuit.* Itaque qui ad Solis fulgores tanquam noctuæ, aut veſpertiliones caligabamus, atque obruebamur, hunc lucernæ lumen libenter intuemur. *Et lucerna eius eſt agnus*, qui erat natura ſol, clementia effectus eſt nobis lucerna: Nam vti Auguſtinus dixit, *Propter participationem inquantum eſt homo ipſe mediator, lucerna in Apocalypſi nuncupatur. Sed ſingularis eſt iſta ſuſceptio. De nullo enim Sanctorum dici diuinitus potuit, aut dici vllo modo fas eſt, verbum caro factum eſt, niſi de vno mediatore Dei & hominum.* Qua quidem ratione non ineptè & illud intelligi dictum poteſt. *Lucerna pedibus meis verbum tuum.* Tametſi verius atque ſyncerius verbum Chriſti, non Chriſtus verbum, vti idem Auguſt. cenſet. Sed redeo ad rem. Verbum carnem factum cōſiderare tanquā lucē lucernæ inditā. Atq; cereā eā cogitare debetis candelā, quā Eccleſia atq; Eccleſiaſtici patres tantoperè celebrāt, & laudibus in cælū tollunt. In qua imago quædā pulcherrima Chriſti ſit. Cerā enim purā & candidā apis virgo produxit, corpus illud ſanctiſſimū omnis labis expers. In cera autē linum inflammatum, animā diuinis donis radiantē accipite: ipſum lumē, quo fulget, deitatis naturam exiſtimate, non quod hæc tria tribus illis per omnia congruant, ſed quod modo quodam diſtinguere atque intelligere liceat. *Accedite iam ad eum, & illuminamini.* In nocte lucerna nobis accenſa eſt, vt tenebras noſtras depellat & diſſipet. Quod ſi eo ſimili delectamini, ceram fluentem

Aug. ſuper Pſal. 67.

Apoc. 22.

Auguſt. in Pſal. 118. conc. 23.

Pſal. 118.

Greg. Papa in officio maioris hebdomadæ.

Hieron. in epiſtola ad Præſidium Diaconum, ſi tamen eius eſt.

Pſalm. 33.

atque vſu ipſo paulatim abſumptam in ea immortali lucerna, reſpicite, carnem inquam Chriſti moleſtijs pro nobis ſuſceptis laboribuſque conſumptã, ipſo internæ charitatis incendio velut liquefactum in teneras lachrymas ſolui, quibus puellus pulcherrimus charam ſibi ſalutem hominum oſtendere non ceſſat. Iam quis flammam diuini amoris in illo pectore accenſi, nõ dicam oratione explicet, ſed cogitatione conſequi poſſit, cum Apoſtolus dicat: *Super eminentem ſcientiæ charitatem Chriſti*? Quæ autem lux ea ſit, quæ lucet in medijs tenebris, ipſe dicat: *Ego ſum lux mundi: & qui ſequitur me non ambulat in tenebris.*

Epheſ.3.

Ioan.8.

4 Spe & charitate Deum hominem factum complectendum, quem fides oſtendit.

Quæ ſi vera ſunt, atque ea certo nobis tenenda fides inuicto ſuo robore tradit, non eſt cur cæteræ comites ſpes, inquam, & charitas hoc Bethleemiticum antrum perhorreſcant: quin potius alacres & lætæ, quæ oblata eſt, gloriæ & ſalutis viam arripiant, atque vt ad primam redeamus hiſtoriam, ipſæ quoque aquam Dauidi ſitienti, ex ciſterna Bethleemitica hauriant. Nam quid ſpei difficile, quid non procliue ſit, cum Deus factus ſit homo? *Qui proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit eum, quomodo non cum eo omnia nobis donauit*? In hæc intuens Eccleſia loquitur confidentia ſingulari: *Vt in illius inueniamur forma, in quo tecum eſt noſtra ſubſtantia.* Quibus enim datum eſt Dei filium in gremio matris videre vagientem, quomodo negandum eſt, vt in ſinu Patris videant regnantem? Pro quibus ille Bethleemiticam ſpecum, ac vilium iumentorum comitatum non recuſauit, an ſe in palatio ſempiterno adorandum laudandumque non præbebit? Ergo ſpe pleni atque gaudentes, iam præcipuas partes charitatis minimè prætermittamus. Amabilis planè natura, tenera ac ſimplex pueri ætas. Quid hoc puero pulchrius? quid amabilius? quid dulcius illo ore atq; illis ocellis, quibus demittens lachrymulas ſuas,

Rom.8.

In oratione ſecreta primæ Miſſæ in nocte Natiuit. Domini.

amare

amare ſe demonſtrat, magiſque amoris vi quam hyemis iniuria flere? Canit quidem ſponſi amore ſaucia ſponſa. *Guttur illius ſuauiſſimum, & totus deſiderabilis, talis eſt dilectus meus, & ipſe eſt amicus meus filiæ Hieruſalem.* Ergo curramus in odorem vnguentorum ſponſi dulciſſimi, quem adoleſcentulæ vehementer diligunt, quæ amplexus expertæ cæleſtes impotenter amant. *Et delectabitur*, inquit, *infans ab vbere ſuper foramine aſpidis, & in cauerna reguli qui ablactatus fuerit, manum ſuam mittet.* Quem locum Eſaiæ de puero Chriſto præclarè interpretatur Ambroſius, quod venenatam naturam noſtram non refugerit. Quod propterea dictum intelligere poteſtis, vt non ſolum iuſti & ſancti, ſed peccatores etiam & miſeri, pueri huius natalem ſibi celebrandum putent, neque vereantur accedere, ac ſe faciles tractabileſque præbere: delectari pueros animalculis ſæpe non admodum nobilibus ſcitis. Ludere diuinum noſtrum infantem cum aſpide & regulo vates dicit. Vt depoſita feritate, omnique illo tetro peccati veneno diſcant homines Ieſum adire, Ieſum amplecti, Ieſum vita moribuſq; referre. Omnibus ergo natalis hic dies vitæ ſalutaris eſt, omnibus iucundus eſſe debet atq; feſtiuus. *Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hœdo accubabit: vitulus & leo & ouis ſimul morabuntur, & puer paruulus minabit eos.* *Non ſolum benignos & manſuetos homines*, ait Chryſoſtomus, *ſed feros & immanes, qui inter ſe ipſos lupi erant, & tauri & leones & vrſi in vnam eſſe Eccleſiam colligendos.* Id Poeta dixit vno verſu. *Nec magnos metuent armenta leones.* Quid faciat res vſque eo diſſimiles vna conuenire, naturas tantopere inter ſe diſſidentes eodem domicilio vti, eodem cibo veſci, tunc expoſuit cum initium dedit vaticinio. *Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet. Et puer paruulus*, inquit, *minabit eos.* Eum ego puerum, eum libenter paruulum accipio, vt etiam placet Eu-

Cant. 5. *Eſai. 11.* *Ambroſ. in Pſal. 37.* *Eſai. 11.* *Chryſoſt. in demonſtratione quod Chriſtus eſt Deus, & homil. 10. in Matth.* *Virgilius eclog. 4.* *Euſeb. li. demonſtr. Euang. lib. 2.*

c. 41. & lib. 3. c. 2. & lib. 7. c. 9. Leo ſerm. 1. de Natiui. Domini.

ſebio Cæſarienſi, de quo idem Propheta loquitur, *Paruulus natus eſt nobis.* Itaque videmus huius pueri vel infantuli potius cunas non ſolum paſtorum ſimplicitatem celebrare, ſed etiam Magorum ſapientiam opeſque venerari, & numen procumbentes ſolo adorare. Bene beatus Leo: *Nemo ab huius alacritatis participatione ſecernitur: vna cunctis lætitiæ communis eſt ratio. Exultet ſanctus quia propinquat ad palmam. Gaudeat peccator, quia inuitatur ad veniam. Animetur Gentilis quia vocatur ad vitam.* Sed quanto eſt Dei gratia profuſior, tanto accuratius nobis eſt prouidendum, ne ſimus ingrati, neue ad nos venientem, & ſe habitatorem domicilij noſtri præbentem, ſordidis atque impijs moribus extrudamus, ſicut in eodem ſermone idem Pater admonuit. *Noli tantum habitatorem prauus de te actibus effugare, & diaboli te iterum ſubijcere ſeruituti: quia pretium tuum ſanguis eſt Chriſti: quia in veritate te iudicabit, qui in miſericordia te redemit.*

IN EADEM SOLEMNITATE,

CONCIO TERTIA.

Exijt edictum à Cæſare Auguſto, vt deſcriberetur vniuerſus orbis. Luc. 2.

1 Regnum Chriſti Romano Imperio præcellere.

ROMANI imperij, in toto terrarum orbe potentiam, atque Cæſaris Auguſti, qui Reipublicæ Romanæ clauum tenebat, in vniuerſos mortales denominatum ob eam rem ſacer Euangeliſta, Chriſti natiuitatē ſcripturus, enarrat, vt dum tē-

pus

pus virginei partus oſtenditur, is eſſe natus intelligatur, qui regnaturus in omni eſſet orbe terrarũ, cuiq; ſecundũ antiquiſſima ſacrorũ vatum oracula omnes mortales ſubditi parere deberent. Nam vt alia modo mittamus, inſignem certè Danielis illã prophetiam præterire nullo modo debemus, quæ ſtatuæ eius quã Rex Babylonius viderat, partes membraque demonſtrans, quatuor regna indicauit ſucceſſura ex ordine potentiſſima, quibus orbis ſubiectus eſſet futurus: quorum regnorum extremum idemque præſtantiſſimum cum maximè floreret, tunc regnum aliud cæleſte mundo eſſet exoriturum, cui cætera omnia concederent. *In diebus*, inquit, *regnorum illorum, ſuſcitabit Deus cæli regnum, quod in æternum non diſsipabitur, & regnum eius alteri populo non tradetur: conſumet autem & comminuet vniuerſa regna hæc, & ipſum ſtabit in æternum.* Quænam regna illa quatuor extiterint, quæ commemorat, nemo eſt veſtrum, credo, qui neſciat, & ipſe ſermo propheticus apertè ſatis indicat. Primum Aſſyrium, ſecundum Perſicum, tertium Græcum, quartum idemque maximum Romanum Imperium. Eadem imperia quatuor alia viſione, quatuor beſtiarum ſignificata ab eodem Daniele conſtat: qui de vltimo imperio illorum quatuor ita loquitur: *Et ecce beſtia quarta terribilis, atque mirabilis, & fortis nimis, dentes ferreos habebat magnos comedens atque comminuens, & reliqua pedibus ſuis conculcans, diſsimilis autem erat cæteris beſtijs, quas videram ante eam.* Romanam monarchiam ſuperioribus validiorem hic tradi, conſenſum Eccleſiaſticorum Patrum eſſe, ſcribit Cyrillus Hieroſolymitanus. Atque eſt illud mirabile, de horum quatuor regnorum ſingulis teſtificari Scripturam diuinam quod totum terrarum orbem obtinuerint. Etenim Aſſyrios in omnia denominatos declarat Daniel Regem Nabuchodonoſorem alloquens his verbis: *Tu rex regum es,*

Dan. 2. *Dan. 7.* *Dan. 2.* *Cyrill. Hieroſol. catecheſ. 15.*

& Deus cæli regnum & fortitudinem, & gloriam dedit tibi, & ſub ditione vniuerſa conſtituit. Iam Perſicus principatus quam latè patuerit indicant literæ Cyri ipſius primi ac nobiliſſimi autoris, quas liber ſacer Eſdræ commemorat in hanc ſententiam, *Omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus cæli.* Sequitur Græcorum imperium, cuius princeps & caput Alexander magnus. Hunc mundo vniuerſo dominatum Scriptura diuina teſtatur, ita pronuntians: *Conſtituit prælia multa, & obtinuit omnium munitiones, & interfecit Reges terræ, & pertranſijt vſque ad fines terræ, & accepit ſpolia multitudinis gentium, & ſiluit terra in conſpectu eius.* Quoniam trium regnorum potentia erat oſtenſa, reſtabat quartum, cui regnum æternum Chriſti inſerendum foret. Itaque Spiritu ſancto impulſore Lucas dum exordia Chriſti aggreditur, Romani imperij maieſtatem ad ſummum perueniſſe demonſtrat, quod ea verba præclarè docent, *Exijt edictum à Cæſare Auguſto, vt deſcriberetur vniuerſus orbis.* Vt non per exaggerationem dicta, ſed re ipſa probaretur magnitudo imperij. Ergo Regno Chriſti omnia regna cætera cedere habēt, ideo ad ſummum progreſſa, vt ſuperioris regni, à quo obſcurata extinctaque ſunt dignitas demonſtretur amplior. De eo quippe ſcriptum erat. *Et dominabitur à mari vſque ad mare, & à flumine vſque ad terminos orbis terrarum.* Flumen Iordanem intelligit Auguſtinus, à quo cœpit Euangelici regni prædicatio. De eodem quoque: *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.* Nec non illud: *Adorabunt in conſpectu eius vniuerſæ familiæ gentium.* Sed quid attinet teſtimonia Regni Chriſti quæ ſunt innumera, recenſere? illud commemoratu dignum eſt, quòd idoneus autor Paulus Oroſius memoriæ prodidit, quo tempore natus eſt Chriſtus, eodem tempore mandaſſe Auguſtum, ne quis Dominum ſe vocaret, ſiue occulta vi aliqua, verum orbis Dominum adeſſe

1\. Eſdr. 1.

1\. Malach. 1.

Pſal. 71.

Aug. lib. 2. contra literas Petiliani. cap. 58.

Pſalm 2.

Pſalm. 21.

Paulus Oroſius l. 6. c. 20

adeſſe iam ſentiret, ſiue (quod Caiphæ pontifici contigit) neſciens vaticinaretur.

Quod ſi magnitudine imperij Romani, Chriſti aduentum, & regnum appropinquare declarabatur, cum orbis vniuerſus vni principi ſubiectus eſſet; profecto ipſa conditio temporum, & amplitudo pacis vbique gentium obtinentis (quæ cauſa fuit edicti Cæſaris deſcriptioniſque illius,) adeſſe iam ſummi Regis exoptatā in terris præſentiam apertè demonſtrabat, iuxta eadem Prophetarum Sanctorum oracula. Scribit ſanè idem Paulus Oroſius, quo tempore profeſſio illa eſt imperata ab Auguſto, ac Saluator mundi in Bethleem oppido editus in hanc lucem, fuiſſe eo tempore adeo pacatum imperiū Romanum vniuerſum, vt portæ Iani templi quoquo verſus clauſæ cernerentur: qua re ſignificabatur ex nulla orbis parte bellum impendere Romanis. *Eo anno*, ait ille, *quo firmiſſimam veriſſimamque pacem ordinatione Dei Cæſar compoſuit, natus eſt Chriſtus, cuius aduenti pax iſta famulata eſt, in cuius ortu audientibus hominibus Angeli cecinerunt: Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Neque id inſignis Poeta tacuit ſybillinum referens carmen, quanuis alio adulandi conſilio, vel myſterij cæleſtis ignorantia temporis felicitatem deflexerit: Itaque cecinit.

2 Pacem Octauiani Chriſti Euāgelicam portēdiſſe.

Paulus Oroſius ilbro 6. cap. 20.

Vltima Cumæi venit iam carminis ætas.
Magnus ab integro ſeclorum naſcitur ordo.
Iam redit & virgo, redeunt Saturnia regna.
Iam noua progenies cælo dimittitur alto.

Virgil. egloga 4.

Eam vero pacis aureæ felicitatem à Sybillis decātatam, ab hiſtoricis ſeculo Octauiani Auguſti datam: proprium fore Chriſti naſcentis inſigne atque ornamentum diuinæ literæ non obſcurè prædicarunt. Iſaias quidem ſic habet. *Iudicabit gentes, & arguet populos multos: & conflabunt gladios ſuos in vomeres, & lanceas ſuas in falces. Non leuabit gens contra gentem*

Eſai. 2.

ne genitũ, incarnati-one nobis factum.

neque cuiuis tentandum negotium ſacræ literæ produnt, quæ Beethlemiticam ciſternam Philiſthæorum caſtris circundatam, munitamque docent: quo proinde perrumpere, ac peruadere auſos fuiſſe tres fortiſſimos viros, cum magna eorum laude commemorant. Nimirùm fortitudine opus eſt eximia, atque ardenti quadam virtute, quo diuinam aquam ſalutarem liceat haurire. Qua enim fidei magnitudine opus ſit. vt Deus cognoſcatur caro factus? Quem ſpei fiduciæque requirat ardorem, ab infantulo inope, paupere, nudo, ſi bona omnia expectare iubearis? Quibus charitatis viribus perfici queat, vt in præſepi iacentem, vilium iumentorum comitatu ſtipatum adames, venereris, adores? *Non permanebit ſpiritus meus in homine, quia caro eſt.* Olim dixiſſe Deum meminiſtis: qua ergo ratione nunc Deum carnem factum homo credat? quo pacto Deum carnem auerſantem caro amet? Non dubium eſt, fratres, quin humano ſenſui, humanæ rationi myſterium incarnati Verbi multas, graueſque difficultates obijciat, tanquam hoſtiles armataſque phalanges. Sed virtus in arduo ſpectatur, habetque laudem. Tres eo præſtantiſſimæ virtutes, tanquam Dauidis milites fortiſſimi, ſuperatis Philiſthæorum omnibus caſtris perueniant, ac ſitienti regi, hauſtum vaſis ſuis diuinitus, aquam reportent. Nam fides quidem prima, omnia ea humana argumenta perfringens ac ſuperans, glorioſè infert, *Quod ſtultum eſt Dei, ſapientius eſt hominibus.* Sentit quippe illa, & confitetur planè, eum puerum, quem recẽs natum adorat in Bethleem, eſſe ex omni æternitate à Deo Patre productum, cuius & verbum eſt, & coæternnm verbum. *Eſt enim hoc verbum*, vt Fulgentius Ruſpenſis ait, *non quod deſinit prolatum, ſed quod permanet natum, non factum à Deo Patre ſed genitum, nec ſolum genitum: ſed etiam vnigenitum. Vnum quippe verbum Deus Pater genuit de ſe ipſo, per quod omnia creauit*

Geneſ. 6.

Fulgen. ſer. 1. in feſto Natiu.

creauit ex nihilo. Quo verbo quidquid Deus eſt, quidquid intelligit, expreſſum eſt atque dictum, ac proinde ita apud Deum reconditum verbum, vt à nullo valeat intellectu cognoſci, neque humano neque Angelico, niſi ipſum ſe prodat. *Aſcendit enim ſuper pennas ventorum, & poſuit tenebras latibulum ſuum.* At verbum, quod intus manens à ſola ea mente intelligi poteſt, in qua verſatur, idem foras productum audiri, & legi, atque intelligi poteſt ab ijs qui vel audire poſſunt, vel legere ſciunt. Quid hæc ſibi velint, requiritis. Nempè qui apud Patrem latebat, nunc apud matrem apparet. *Manifeſta eſt*, inquit Auguſtinus: *ipſa vita in carne, vt res quæ ſolo corde videri poteſt, videretur & oculis, vt corda ſanaret. Solo enim corde videtur verbum: caro autem & oculis corporalibus: factum eſt verbum caro, quam videre poſſemus, vt ſanaretur in nobis, vnde verbum videremus.* Bene omnino Auguſtinus. Nec minus benè quod alio in loco ſic habet. *Miramur quomodo Chriſtus carnem accepit de virgine. Natus eſt, & à Patre non receßit. Ecce ego qui vobiſcum loquar, cogitaui quod vobis dicerem. Iam in corde meo verbum erat: quæro illi verbo ſonum, quæro quaſi vehiculum, ſicut verbum meum aſſumpſit ſonum per quem audiretur, ſic verbum Dei aſſumpſit hominem per quē videretur.* Quemadmodum etiam ſententia mentis, attramento chartæ indita, atque expreſſa, efficitur, vt ita dicam, viſibilis, atque ita manifeſta, vt percipi facile queat, ſic diuinum illud verbum beatæ Virginis ſanguine carneque indutum, teſte Damaſceno, oculis humanis & ſenſibus conformatum eſt. Itaque iam licet dicere amatoribus verbi. *Quod audiuimus, quod vidimus, & manus noſtræ contrectauerunt de verbo vitæ, quæ erat apud Patrem & apparuit nobis.* Neq; enim aliud eſt verbum, aut alia ſententia mentis, ab ea diuerſa quæ voce proditur, aut de ſcripto traditur: ſed vna eademque ſententia nullo modo commutata, diuerſo tamen

Pſalm. 17.

Aug. tract. 1. *in epiſt.* Io.

Aug. ſer. 55. *de tempore, qui eſt* 22. *de Natiuit.*

Damaſc. in ſermone de aſſumptione Deiparæ.

1. *Ioan.* 1.

homo, & viuet. Igitur vt ſpectari mortalium oculis poſſet, lux illa ſumma, temperandum fulgorem illum ſuum exiſtimauit, atque adumbrandum, obſcurandumque quodammodo. Auguſtinnm audi. *Illud quod in principio erat verbum, lumen illud verum: vt vmbraculum meridianum fieret nobis, verbum caro factum eſt: Deo ſcilicet homo, tanquam lumini corpus acceſsit, & in eum credentes, vmbra protectionis operuit.* Itaque qui ad Solis fulgores tanquam noctuæ, aut veſpertiliones caligabamus, atque obruebamur, nunc lucernæ lumen libenter intuemur. *Et lucerna eius eſt agnus*, qui erat natura ſol, clementia effectus eſt nobis lucerna: Nam vti Auguſtinus dixit, *Propter participationem inquantum eſt homo ipſe mediator, lucerna in Apocalypſi nuncupatur. Sed ſingularis eſt iſta ſuſceptio. De nullo enim Sanctorum dici diuinitus potuit, aut dici vllo modo fas eſt, verbum caro factum eſt, niſi de vno mediatore Dei & hominum* Qua quidem ratione non ineptè & illud intelligi dictum poteſt. *Lucerna pedibus meis verbum tuum.* Tametſi verius atque ſyncerius verbum Chriſti, non Chriſtus verbum, vti idem Auguſt. cenſet. Sed redeo ad rem. Verbum carnem factum cōſiderare tanquā lucē lucernæ inditā. Atq; cereā eā cogitare debetis candelā, quā Eccleſia atq; Eccleſiaſtici patres tantoperè celebrāt, & laudibus in cælū tollunt. In qua imago quædā pulcherrima Chriſti ſit. Cerā enim purā & candidā apis virgo produxit, corpus illud ſanctiſſimū omnis labis expers. In cera autē linum inflammatum, animā diuinis donis radiantē accipite: ipſum lumē, quo fulget, deitatis naturam exiſtimate, non quod hæc tria tribus illis per omnia congruant, ſed quod modo quodam diſtinguere atque intelligere liceat. *Accedite iam ad eum, & illuminamini.* In nocte lucerna nobis accenſa eſt, vt tenebras noſtras depellat & diſſipet. Quod ſi eo ſimili delectamini, ceram fluentem

Aug. ſuper Pſal. 67.

Apoc. 22.

Auguſt. in Pſal. 118. conc. 23.

Pſal. 118.

Greg. Papa in officio maioris hebdomadæ.

Hieron. in epiſtola ad Præſidium Diaconum, ſi tamen eius eſt.

Pſalm. 33.

atque vſu ipſo paulatim abſumptam in ea immortali lucerna, reſpicite, carnem inquam Chriſti moleſtijs pro nobis ſuſceptis laboribuſque conſumptã, ipſo internæ charitatis incendio velut liquefactum in teneras lachrymas ſolui, quibus puellus pulcherrimus charam ſibi ſalutem hominum oſtendere non ceſſat. Iam quis flammam diuini amoris in illo pectore accenſi, nõ dicam oratione explicet, ſed cogitatione conſequi poſſit, cum Apoſtolus dicat: *Super eminentem ſcientiæ charitatem Chriſti*? Quæ autem lux ea ſit, quæ lucet in medijs tenebris, ipſe dicat: *Ego ſum lux mundi: & qui ſequitur me non ambulat in tenebris.*

Epheſ.3.

Ioan.8.

4 Spe & charitate Deum hominem factum complectendum, quem fides oſtendit.

Quæ ſi vera ſunt, atque ea certo nobis tenenda fides inuicto ſuo robore tradit, non eſt cur cæteræ comites ſpes, inquam, & charitas hoc Bethleemiticum antrum perhorreſcant: quin potius alacres & lætæ, quæ oblata eſt, gloriæ & ſalutis viam arripiant, atque vt ad primam redeamus hiſtoriam, ipſæ quoque aquam Dauidi ſitienti, ex ciſterna Bethleemitica hauriant. Nam quid ſpei difficile, quid non procliue ſit, cum Deus factus ſit homo? *Qui proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit eum, quomodo non cum eo omnia nobis donauit*? In hæc intuens Eccleſia loquitur confidentia ſingulari: *Vt in illius inueniamur forma, in quo tecum eſt noſtra ſubſtantia.* Quibus enim datum eſt Dei filium in gremio matris videre vagientem, quomodo negandum eſt, vt in ſinu Patris videant regnantem? Pro quibus ille Bethleemiticam ſpecum, ac vilium iumentorum comitatum non recuſauit, an ſe in palatio ſempiterno adorandum laudandumque non præbebit? Ergo ſpe pleni atque gaudentes, iam præcipuas partes charitatis minimè prætermittamus. Amabilis planè natura, tenera ac ſimplex pueri ætas. Quid hoc puero pulchrius? quid amabilius? quid dulcius illo ore atq; illis ocellis, quibus demittens lachrymulas ſuas,

Rom.8.

In oratione ſecreta primæ Miſſæ in nocte Natiuit. Domini.

amare

amare ſe demonſtrat, magiſque amoris vi quam hyemis iniuria flere? Canit quidem ſponſi amore ſaucia ſponſa. *Guttur illius ſuauiſſimum, & totus deſiderabilis, talis eſt dilectus meus, & ipſe eſt amicus meus filiæ Hieruſalem.* Ergo curramus in odorem vnguentorum ſponſi dulciſſimi, quem adoleſcentulæ vehementer diligunt, quæ amplexus expertæ cæleſtes impotenter amant. *Et delectabitur*, inquit, *infans ab vbere ſuper foramine aſpidis, & in cauerna reguli qui ablactatus fuerit, manum ſuam mittet.* Quem locum Eſaiæ de puero Chriſto præclarè interpretatur Ambroſius, quod venenatam naturam noſtram non refugerit. Quod propterea dictum intelligere poteſtis, vt non ſolum iuſti & ſancti, ſed peccatores etiam & miſeri, pueri huius natalem ſibi celebrandum putent, neque vereantur accedere, ac ſe faciles tractabileſque præbere: delectari pueros animalculis ſæpe non admodum nobilibus ſcitis. Ludere diuinum noſtrum infantem cum aſpide & regulo vates dicit. Vt depoſita feritate, omnique illo tetro peccati veneno diſcant homines Ieſum adire, *Ieſum* amplecti, Ieſum vita moribuſq; referre. Omnibus ergo natalis hic dies vitæ ſalutaris eſt, omnibus iucundus eſſe debet atq; feſtiuus. *Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit: vitulus & leo & ouis ſimul morabuntur, & puer paruulus minabit eos. Non ſolum benignos & manſuetos homines*, ait Chryſoſtomus, *ſed feros & immanes, qui inter ſe ipſos lupi erant, & tauri & leones & vrſi in vnam eſſe Eccleſiam colligendos.* Id Poeta dixit vno verſu. *Nec magnos metuent armenta leones.* Quid faciat res vſque eo diſſimiles vna conuenire, naturas tantopere inter ſe diſſidentes eodem domicilio vti, eodem cibo veſci, tunc expoſuit cum initium dedit vaticinio. *Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet. Et puer paruulus*, inquit, *minabit eos.* Eum ego puerum, eum libenter paruulum accipio, vt etiam placet Euſebio

Cant. 5.

Eſai. 11.

Ambroſ. in Pſal. 37.

Eſai. 11.

Chryſoſt. in demonſtratione quod Chriſtus eſt Deus, & hom. 10. in Matth. Virgilius eclog. 4.

Euſeb. li. demonſtr. Euang. lib. 2.

¶ 41. & *lib.* 3.*c.*2. & *lib.* 7.*c.*9. *Leo ſerm.* 1. *de Natiui. Domini.*

ſebio Cæſarienſi, de quo idem Propheta loquitur: *Paruulus natus eſt nobis.* Itaque videmus huius pueri vel infantuli potius cunas non ſolum paſtorum ſimplicitatem celebrare, ſed etiam Magorum ſapientiam opeſque venerari, & numen procumbentes ſolo adorare. Bene beatus Leo: *Nemo ab huius alacritate participatione ſecernitur: vna cunctis lætitiæ communis eſt ratio. Exultet ſanctus quia propinquat ad palmam. Gaudeat peccator, quia inuitatur ad veniam. Animetur Gentilis quia vocatur ad vitam.* Sed quanto eſt Dei gratia profuſior, tanto accuratius nobis eſt prouidendum, ne ſimus ingrati, neue ad nos venientem, & ſe habitatorem domicilij noſtri præbentem, ſordidis atque impijs moribus extrudamus, ſicut in eodem ſermone idem Pater admonuit. *Noli tantum habitatorem prauis de te actibus effugare, & diaboli te iterum ſubijcere ſeruituti: quia pretium tuum ſanguis eſt Chriſti: quia in veritate te iudicabit, qui in miſericordia te redemit.*

IN EADEM SOLEMNITATE,

CONCIO TERTIA.

Exijt edictum à Cæſare Auguſto, vt deſcriberetur vniuerſus orbis. Luc. 2.

1 Regnum Chriſti Romano Imperio præcellere.

ROMANI imperij, in toto terrarum orbe potentiam, atque Cæſaris Auguſti, qui Reipublicæ Romanæ clauum tenebat, in vniuerſos mortales denominatum ob eam rem ſacer Euangeliſta, Chriſti natiuitatē ſcripturus, enarrat, vt dum tē-

pus

pus virginei partus oſtenditur, is eſſe natus intelligatur, qui regnaturus in omni eſſet orbe terrarũ, cuiq; ſecundũ antiquiſſima ſacrorũ vatum oracula omnes mortales ſubditi parere deberent. Nam vt alia modo mittamus, inſignem certè Danielis illã prophetiam præterire nullo modo debemus, quæ ſtatuæ eius quã Rex Babylonius viderat, partes membraque demonſtrans, quatuor regna indicauit ſucceſſura ex ordine potentiſſima, quibus orbis ſubiectus eſſet futurus: quorum regnorum extremum idemque præſtantiſſimum cum maximè floreret, tunc regnum aliud cæleſte mundo eſſet exoriturum, cui cætera omnia concederent. *In diebus*, inquit, *regnorum illorum, ſuſcitabit Deus cæli regnum, quod in æternum non diſsipabitur, & regnum eius alteri populo non tradetur: conſumet autem & comminuet vniuerſa regna hæc, & ipſum ſtabit in æternum.* Quænam regna illa quatuor extiterint, quæ commemorat, nemo eſt veſtrum, credo, qui neſciat, & ipſe ſermo propheticus apertè ſatis indicat. Primum Aſſyrium, ſecundum Perſicum, tertium Græcum, quartum idemque maximum Romanum Imperium. Eadem imperia quatuor alia viſione, quatuor beſtiarum ſignificata ab eodem Daniele conſtat: qui de vltimo imperio illorum quatuor ita loquitur: *Et ecce beſtia quarta terribilis, atque mirabilis, & fortis nimis, dentes ferreos habebat magnos comedens atque comminuens, & reliqua pedibus ſuis conculcans, diſsimilis autem erat cæteris beſtijs, quas videram ante eam.* Romanam monarchiam ſuperioribus validiorem hic tradi, conſenſum Eccleſiaſticorum Patrum eſſe, ſcribit Cyrillus Hieroſolymitanus. Atque eſt illud mirabile, de horum quatuor regnorum ſingulis teſtificari Scripturam diuinam quod totum terrarum orbem obtinuerint. Etenim Aſſyrios in omnia denominatos declarat Daniel Regem Nabuchodonoſorem alloquens his verbis: *Tu rex regum es,*

Dan. 2. *Dan. 7.* *Dan. 2.* *Cyrill. Hieroſol. catecheſ. 15.*

adeſſe iam ſentiret, ſiue (quod Caiphæ pontifici contigit) neſciens vaticinaretur.

Quod ſi magnitudine imperij Romani, Christi aduentum, & regnum appropinquare declarabatur, cùm orbis vniuerſus vni principi ſubiectus eſſet; profectò ipſa conditio temporum, & amplitudo pacis vbique gentium obtinentis (quæ cauſa fuit edicti Cæſaris deſcriptioniſque illius,) adeſſe iam ſummi Regis exoptatã in terris præſentiam apertè demonſtrabat, iuxta eadem Prophetarum Sanctorum oracula. Scribit ſanè idem Paulus Oroſius, quo tempore profeſſio illa eſt imperata ab Auguſto, ac Saluator mundi in Bethleem oppido editus in hanc lucem, fuiſſe eo tempore adeo pacatum imperiũ Romanum vniuerſum, vt portæ Iani templi quoquo verſus clauſæ cernerentur: qua re ſignificabatur ex nulla orbis parte bellum impendere Romanis. *Eo anno*, ait ille, *quo firmiſſimam veriſſimamque pacem ordinatione Dei Cæſar compoſuit, natus eſt Chriſtus, cuius aduenti pax iſta famulata eſt, in cuius ortu audientibus hominibus Angeli cecinerunt: Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Neque id inſignis Poeta tacuit ſybillinum referens carmen, quanuis alio adulandi conſilio, vel myſterij cæleſtis ignorantia temporis felicitatem deflexerit: Itaque cecinit.

2 Pacem Octauiani Chriſti Euãgelicam portẽdiſſe.

Paulus Oroſius ilbro 6. cap. 20.

Vltima Cumæi venit iam carminis ætas.
Magnus ab integro ſeclorum naſcitur ordo.
Iam redit & virgo, redeunt Saturnia regna.
Iam noua progenies cælo dimittitur alto.

Virgil. egloga 4.

Eam vero pacis aureæ felicitatem à Sybillis decãtatam, ab hiſtoricis ſeculo Octauiani Auguſti datam: proprium fore Chriſti naſcentis inſigne atque ornamentum diuinæ literæ non obſcurè prædicarunt. *Iſaias* quidem ſic habet. *Iudicabit gentes, & arguet populos multos: & conflabunt gladios ſuos in vomeres, & lanceas ſuas in falces. Non leuabit gens contra gentem* gla-

Eſai. 2.

gladium, nec exercebuntur vltra ad prælium. Domus Iacob venite, & ambulemus in lumine Domini. Cuius vaticinij quamquam poteſt intelligentia ad pacem Euangelicam vniuerſæ Eccleſiæ referri, quemadmodum plerique referunt. tamen mihi valdè probantur Euſebius, & Chryſoſtomus, & Hieronymus, qui propriè de tempore pacatiſſimo aduentus Christi interpretantur, ſub Auguſti Cæſaris fortunatiſſimo imperio. Idem quoque Propheta alio loco, de paruulo nobis nato eodemque Deo vaticinans inter cætera nomina extremum ponit, *Princeps pacis* adiungitque. *Multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis.* Nec diſſimilia Dauid, vbi ſub nomine Salomonis Chriſti aduentum regnumque prædicit: *Orietur,* inquit, *in diebus eius iuſtitia, & abundantia pacis.* Quamobrem pacificum nominatum conſtat. *Ipſe eſt enim pax noſtra,* vt Paulus loquitur, *qui & pacificauit, ſiue quæ in terris, ſiue quæ in cælis ſunt* Ob eam rem hoc ipſo die Angeli lætiſſimam hominibus pacem denuntiant. Amat Salomon noſter pacatos animos, ſedata pectora: fugit atque auerſatur homines contentioſos, ſæuos, cruentos. *Factus eſt in pace locus eius.* Opportunè ſatis Beda hoc loco: *Naſciturus in carne Dei filius, ſicut de virgine natus, virginitatem ſibi Deus oſtendit eſſe gratiſſimam, ita pacatiſſimo tempore ſeculi procreatur, quia pacem quærere docuit, & pacis ſectatores inuiſere dignatur.* Si quis igitur Deum ad homines venientem excipere domo, habereque cupit, pacata in cæteros mente ſit, ne oderit fratrem ſuum, ne inimicitias exerceat, ſimultatem deponat omnem, redeat in gratiam cum iis, quibus eſt infeſtus. Alioqui Chriſtum ad ſua limina venturum minimè ſperet. *Omnis, qui odit fratrem ſuum,* ait Ioannes, *homicida eſt: & ſcitis quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in ſemetipſo manentem.*

Euſeb de præp. Euang. lib. 1. ca. 1. & demonſt. Euang. lib. 9. c. 17. Chryſoſt. in Matthæum hom 20. Hieron. in Eſai item Origen. cont. Celſum lib. 2. Eſai 9. Pſal. 71. Epheſ. 2. Pſal. 75. Beda lib. 1. in Lucam, cap. 1. 1. Ioan. 3.

Aſcendit

Aſcendit autem & Ioſeph à Galilæa de ciuitate Nazareth in Iudæam, in ciuitatem Dauid, quæ vocatur Bethleem, *eo quod eſſet de domo & familia Dauid: vt profiteretur cum Maria deſponſata ſibi vxore prægnante.* Itineris cauſa ea fuit, vt pareret edicto Cæſaris, vt deſcriberetur in legitima vrbe. Itaque Ioſeph & Maria ſe Cæſari ſubditos confitentur, parentque incommoda & dura imperanti Profitentur ſubiectionem Romano Imperio, cenſum etiam tametſi pauperes, ſoluunt. Quin etiam ipſe Chriſtus ſimul ac natus eſt, cenſetur, tributumque vt cæteri Cæſari ſoluit. Sic enim Paulus Oroſius multiq; alij Patres confirmant. Verba Oroſij ſunt hæc: *Hæc eſt prima illa profeſſio chariſſima, quæ Cæſarem omnium Principem, Romanoſque dominos rerum, ſigillatim cunctorum hominum edita aſcriptione ſignauit, in qua ſe & ipſe, qui cunctos homines fecit, inueniri hominem, & adſcribi inter homines voluit. Nec dubium quin omnium inſpectioni pateat, quod Dominus noſter Ieſus Chriſtus hanc vrbem* (*Romam ſcilicet*) *nutu ſuo in hunc rerum apicem prouexerit, cuius potiſſimè voluit eſſe cum venit, dicendus vtique ciuis Romanus, cenſus profeſſione Romani*. Hæc ille autor. Atqui Chriſtum Regem non vt ſeruiret, ſed vt ſeruitute eriperet ſuos, venturum opinio erat. Quid ergo & ſubiicitur, & obedit, & deſcribitur, & tributum dat, quæ ſunt planè omnia à dignitate eius aliena, qui libertatem, imperium, gloriam genti ſuæ daturus ſperetur? Quid eſt enim, quod vaticinatus Eſaias? *Prope eſt, vt veniat tempus eius, & dies eius non elongabuntur: miſerebitur enim Dominus Iacob, & Iſrael ſaluabitur.* Ac paulò poſt. *Et poſsidebit eos domus Iſrael ſuper terram Domini, in ſeruos & ancillas, & erunt capientes eos qui ſe ceperant, & ſubijcient omnes exactores ſuos.* Gens quidem Iudæorum ægrè Romano Imperio parebat, grauiter moleſteque ferebat imponi ſibi tributa, alienum à ſua digni-

3 Chriſtum ſeruiſſe vt hominem in liberatē aſſereret.

Paulus Oroſius lib. 6. c. 20. & lib. 7. c. 1.

Eſai. 14.

Ioan.8. dignitate iudicabat more aliarum gentium cenſeri. Itaque dicebat: *Semen Abrahæ ſumus, & nemini ſeruiuimus vnquam.* Hoc vero genus profeſſionis tantoperè Iudæi execrati ſunt, vt vel hac ratione atque hoc eodem tempore concitauerit multitudinem Iudas ille

Actor.5. Galilæus, quem Apoſtolicorum actuum liber me-
Ioſeph. li.18. morat, & Ioſephus hiſtoricus etiam ſcribit, rebellans
Antiq. & li. aduerſus Romanos, quod Iudaicam gentem quaſi
2. de bello ſubiectam iuſſerint cenſeri. Namque quod grauiſſi-
Iudaico. mo ſeruitutis iugo à Romanis ſe premi videbant, ex-
Niceph.lib. pectabant oraculo diuino ſibi prædictum iam tandē
1.c.10. inſtare illud. *Et erit, cum requiem tibi dederit Dominus*
Eſai.14. *ex omni labore tuo, & ex concuſſione tua, & ex ſeruitute dura, quam ante ſeruiſti, ſumes parabolam iſtam contra Regem Babylonis, & dices. Quomodo ceſſauit exactor, quieuit tributum? Contriuit Dominus baculum impiorum virgam dominantium, cædentem populos in indignatione ſua plaga inſanabili, ſubijcientem gentes in furore ſuo perſequentem crudeliter.* Quę quidem omnia de libertate per Chriſtum adipiſcenda, & ſalute populo Dei recuperanda, prædicta erant: ac ſunt planè præſtita per Chriſtum cumulatiſſimè, ſed longe alia ratione, quam carnales Iſraeliticæ putarant. Etſi enim erat grauiſſima ſeruitus Romanorum, tamen erat & longe grauior ſeruitus Satanæ, quem Regem Babylonis appellat, & ea ipſa ſeruitus Romana, qua tenebantur oppreſſa ex illa peccatorum miſerrima, quam minimè curabant, efficiebatur. Quare peccati primum tyrannis tollenda, euertendaque fuit, quo priſcæ homines ſaluti, libertati gloriæ redderentur. Id vt præſtaret Chriſtus, ſeruire voluit, atque inter ſubditos ignobileſq; cenſeri tributumque pendere, hac ſua ſeruitute & profeſſione noſtram libertatem certiſſimè comparaturus.

Eſai.28. turus. Præclarè eſt à vate dictum, *Vt faciat opus ſuum,*
Pſalm.110. *peregrinum eſt opus eius ab eo.* Neque minus eleganter ab alio vate, *Magna opera Domini, exquiſita in omnes voluntates*

luntates eius. Quamobrem eam Euangelicam deſcriptionem, qua non patentes modo Chriſti, ſed ipſe etiam Chriſtus deſcriptus cenſuſque eſt, tanquam libertatis noſtræ pleniſſimum argumentum Gregorius Theologus magnificè prædicat: *Venerare*, ait, *deſcriptionem, per quam efficitur, vt ipſe ſcribaris in cælis.* Nam fore, vt ratione quadam occulta, modoque minimè vſitato è miſerrima ſeruitute eriperemur, Iſaias quoque non obſcurè ſignificat, cum Chriſtum alloquitur his verbis: *Iugum enim oneris eius & virgam humeri eius & ſceptrum exactoris eius ſuperaſti ſicut in die Madiam.* Victoriam Gedeoni conſtitiſſe diuino illo ſtratagemate noſtis, quo per medias tenebras ſubito oſtenſis facibus lageniſque diffractis, ipſo ſono tubarum à paucis hominibus infiniti exercitus cædes patrata eſt. Quale hoc principis noſtri Chriſti ſtratagema extiterit, quis poſſit oratione complecti? ab inermibus armati, à paucis innumerabiles, fulgore inopinato, ſono præpotenti ſuperati profligatique ſunt. In medijs illis tenebris diuinum lumen emicat, & vox illa glorioſè perſonat. *Gladius Dei & Gedeonis.* *Greg. Naz. in orat. Natin.* *Eſai. 9.* *Iudic. 7.*

Interea, fratres, quam ſit Deo grata obedientia, cogitemus, & quale veræ obedientiæ ſtudium ſit, cognoſcamus. Etenim quia parere Deo homo recuſauit, Deus homini obſequentem ſe præbet. Nondum erat editus in hanc lucem Ieſus, adhuc materni vteri domicilio tenebatur incluſus, & obedire hominis imperio non grauatur, & qui nondum pedes mouere cœperat, iter obedientiæ libenter aggreditur, edicto Cæſaris commoda ſua cuncta poſtponens. Nam & pauper & prægnans mater, ire cogitur, deſerto ſuo lare, in aliena neq; ſatis fida hoſpitia, idq; eo tempore, quo hyems rigidiſſima vaſtos quoque milites, nedum puellas teneras, ſub tecta compellit. His omnibus rationibus ſuis, illam vnam obediendi 4 Perfecte obediendũ exemplo Chriſti.

rationem

rationem anteponit, antè obediens, quam natus! prius vitam quam obedientiam ponens; ab ipſo matris vtero vſque ad crucis extremum domicilium o-

Hebr.5 bedientiæ perfectiſſimè tenens. *Et quidem cum eſſet filius Dei, didicit ex eis quæ paſſus eſt obedientiam.* Singulare planè atque vnicum obedientiæ exemplar,

Leo ſerm. 5. de Natiuit. Domini. Chriſtus. *Adam enim*, vt ait Leo Papa, *præcepta Dei negligens peccati induxit damnationem: Ieſus factus ſub lege reddit iuſtitiæ libertatem, ille diabolo obtemperans vſque ad præuaricationem meruit vt in ipſo omnes morerentur: hic Patri obediens vſque ad crucem fecit vt in ipſo omnes viuificarentur.* Iam quæ cauſa itineris illius tam incommodi tamque importuni extiterit, cogitate: intelligens profectò, quale oporteat eſſe obedientiæ veriſſimum ſtudium, quæ non quis, quidue, aut quam ob cauſam iubeat, attendit, ſed illud vnum ſibi proponit, eſſe parendum.

Chryſol. ſermone 175. Nam vt Chryſologus dixit, *Edicto Cæſaris & Pagani, Dominus obtemperaturus occurrit.* Edictum enim erat à Cæſare Auguſto profectum, homine impio, ſuperbo, Dei contemptore, mundum is vniuerſum deſcribi imperabat, nullam aliam ob cauſam, quam iactandi immenſum dominatum

2.Reg.24. ſuum. Atqui tenetis credo in Dauide quod vanitate quadam elatus numerari deſcribique populum ſibi ſubiectum voluerit, diuinitus peſte ſæuiſſima eſſe animaduerſum: quid quæſo id facti ad tyranni huius ſuperbiam, qui ſe orbis vniuerſi dominum haberi, nominari, ſuſpici, ac penè adorari iuſſerit? At obedit Chriſtus edicto Cæſaris, quid ita? Nimirum qualis fuerit imperantis mens & cogitatio, qui ſubiectus fuerit, explorare nihil ad eum attinet: ac dūmodo Deo contraria non iubeat, ſine cunctatione obediendum. Nocere obedienti non poteſt peruerſa imperantis mens: ipſi qui imperat, prorſus

1.Reg.18. nocebit. Saul Rex iniquus & prauus, quo Dauidem

in

in perniciem exitiumque deduceret. præputia Philiſtinorum centum imperauit : paruit Regio edicto Dauid, pugnauit, vicit, præputia ducenta numerauit. Is eſt fidelis obedientiæ fructus, vt gloria ex inuidia creſcat. Sapienterque à Sapiente dictum. *Vir obediens loquetur victorias*. Quam rem Chriſtus præclariſſimo hodierno facto ſuo demonſtrat, qui imperatoris impij legi obtemperans, mundi totius ſibi principatum vendicauit impleto diuino oraculo. *Et tu Bethleem terra Iuda paruulus es in millibus Iuda, ex te egredietur, mihi qui ſit dux populi mei, & egreſſus eius à diebus æternitatis*. Hoc à Deo, prædictum homo ignorabat, ſed dum homini obtemperat Deus, diuino in omnes homines eſt potitus imperio.

Prou. 21.

Mich. 5.

IN EADEM SOLEMNITATE,

CONCIO QVARTA.

Et peperit filium ſuum primogenitum, & pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præſepio, quia non erat ei locus in diuerſorio. Luc. 2.

QVI locum nataliũ Chriſti cõſiderat, ordinemq; naſcẽdi, qui in vili inquam hoſpitio natum ea rerum omniũ inopia cernit, vt præſepe prima incunabula dederit, inopinatum ſanè atq; improuiſum filij Dei aduentum in mundum fortaſſe arbitretur : qui ſe permultis antea præclariſq; oraculis Prophetarum denuntiatum cum mortalibus diligentiſſimè, intelligat, vehementer miretur neceſſe eſt, quorſum tot

1 Admiratione dignu aduentum Chriſti tantopere prædictum ſic eſſe celatum.

&

& tanta de eius aduentu, cui occurrere pro dignitate oporteret, denuntiata ſunt, cum ita obſcurè & improuiſò venire haberet, vt à nemine poſſet agnoſci. Neque enim ratio patitur, neque fert vſus, vt cum Reges in vrbem aliquam præſtantem ingredi parant, nuntij præcurrant, qui ciues ad apparatum Regia maieſtate dignum parandum moneant, niſi palàm ac manifeſtò Regius comitatus procedat. Quod ſi regem communi hoſpitio, nullo aut exiguo comitatu vti cernas, profectò celatum voluiſſe ſuum iter intelligas neceſſe eſt. Qui enim conſtent adeò inter ſe diſcrepantia, multis nuntijs præparari occurſum, & eius, clam facto aduentu, nullam fieri copiam? Iure proinde Abacuch Propheta in hodierna myſteria intuens exclamabat: *Domine conſideraui opera tua, & expaui: in medio duorum animalium cognoſceris.* Sic enim habet editio ſeptuaginta interpretum: ſic plerique ſancti patres legunt, ac de nato Chriſto inter duo animalia intelligunt, præſertim Proſper Aquitanicus: qui de Chriſto etiam in præſepi poſito, quemadmodum Gregorius quoque Nazianzenus illud Eſaiæ accepit *Cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui.* Neque diſcrepat ab eo ſenſu Eccleſia, quæ canit, *Magnum myſterium, vt animalia viderent Dominum natum iacentem in præſepio.* Quare quod vſus habet, vt bos & aſellus puero nato pictura conſocientur, non eſt tanquam inane commentum, contemnendum. Nam ad natiuitatem Chriſti reſpexiſſe Abacuch cum dixit ſe expauiſſe opera Dei admiratum, quod in medio duorum animalium eſſet aliquando adorandus, documento ſunt verba ſequentia: *Deus ab Auſtro veniet, & ſanctus de monte vmbroſo ſiue Pharan.* Quæ magno conſenſu Patres Irinæus, Tertullianus, Cyrillus, Euthymius, de oppido Bethleem interpretantur, pro eo quod Bethleem ad Auſtrum ſit Hieroſolymis. Ergo quod dicebam, magna

Abac. 3. *Eſai. 1.* *Proſper. de diui. præd. p. 2. c. 5.* *Greg. Naz. oratio. 1 in Theophania.* *In reſponſorio ſecundi nocturni officij Natiu.* *Abac. 3.* *Irinæus lib. 3. cap. 23. & lib. 4. ca 66. Tertull. lib.*

magna cum ratione ille Propheta ſe admiratum, ex- *cont. Iudæ.*
pauefactum, attonitum narrat huius myſterij conſi- *Cyrillus in*
deratione, quod Deus è cælis ad terram veniens, in *orat. de Hip-*
hoſpitio, in tugurio, in ſtabulo, in præſepi, inter *popanti.*
beſtias primum innoteſcere mundo voluerit. Atqui *Euthym. in*
erant prædicta vaticinia plurima eademque clariſſi- *Abac.*
ma de eius ad nos aduentu. Erant præmoniti mortales ſæpe ſæpius, vt venturo ad ſe Domino occurrerent. Quid enim aliud eſt illud Prophetæ Amos: *Præ-* *Amos 4.*
parare in occurſum Dei tui Iſrael? Quid ſibi vult Aba- *Abac. 2.*
cuch, *Apparebit in finem: ſi moram fecerit. expecta eum, quia veniens veniet, & non tardabit?* Quid Aggæus? *Agg. 2.*
Adhuc vnum modicum eſt, & ego commouebo cælum & terram, & mare, & aridam: & mouebo omnes gentes, & veniet deſideratus cunctis gentibus. Infinitum erit omnia percurrere teſtimonia, quibus de aduentu filij Dei fidelis populus admonetur. Et cum tot prædictiones extiterint, cum adeo illuſtres prænuntij, nihil amplius perfectum eſſe ijs tantis rebus videmus, quam vt filius Dei, ab hominum ſocietate ac domicilijs excluderetur, ad ſtabula, ac præſepia beſtiarum amandaretur. Hic quis diuinæ ſapientiæ arcam non admiretur? quis non illud propheticum vſurpet?
Quam magnificata ſunt opera tua Domine, nimis profundæ *Pſal. 91.*
factæ ſunt cogitationes tuæ. Et *Mirabilis facta eſt ſcientia* *Pſal. 138.*
tua ex me: confortata eſt, & non potero ad eam.

Itaque huc reſpiciens Hieremias Propheta cum magna pietatis intimæ dulcedine rogabat in hunc modum Meſſiam ſuum: *Expectatio Iſrael, Saluator eius in tempore tribulationis, quare vt colonus futurus es in terra, & vt viator declinans ad manendum, & vt vir vagus, & fortis qui non poteſt ſaluare?* Appoſitis ſanè ſimilibus indicat, quam fuerit modico, & neglecto cultu Saluator acceptus, quem coloni inſtar verſaturum in terra prædicit, propterea quod externus habendus ſit, & laboribus exercendus: quod vtrunq; Scriptura docet,

2 Quanta fuerit admiratio in Natiuitate Christi, Prophetarum & Angelorum Sanctorum *Hier. 14.*

Pſal. 68. docet, *Extraneus factus ſum fratribus meis, & peregrinus*
Zachar. 13. *filijs matris meæ*. Tum illud: *Homo agricola ego ſum. Adam exemplum meum ab adoleſcentia mea.* Iam viator, qui diuerſorium ingreditur, tantiſper corpus recreaturus, vt iter arreptum maturet, quam ſit exiguo contentus, quam copioſi prolixique apparatus negligens, facilè eſt intelligere. Et hic noſter non tam viator, quam via ipſa, quam terrena hæc ſpatia feſtinus confecerit, Pſalmus indicat, *Exultauit vt gigas*
Pſal. 18. *ad currendam viam.* Nam quod viro forti, ſed profugo Hieremias poſtremo aſſimilat Chriſtum, illud ſignificat, ſolere milites, cum deſperata victoria acieque profligata, ex prælio abeunt, feſtinare fugam raptumque cibum ac potum vitę tantum tuendæ neceſſarium capere delitias omnes ſaluti poſthabere. Ac ſane ita ſe geſſit ſummus Imperator noſter, ac ſi rerum omnium inops, pugnæ impotens fugere ac latere neceſſe ei fuerit, & vero, ſubitaneo, & obuio quocunque cibo, hoſpitioq; eſſe contētum. Id quod hodiernus dies Chriſti natalitius, quem ſolent homines primarij luculentum, ornatumq; liberis curare, extrema ſua inopia atq; incredibili egeſtate declarat: cū Deus infans nocturnis tenebris, diuerſorio vili, incōmodiſſimo anni tempore, nullo comitatu niſi beſtiarum, pannis vulgaribus inuolutus, præſepi
S. Maximus pro cunabulis vtitur. *Pannis induitur ille, ait Maximus,*
ſerm. 2. de *qui cum crearet omnia, terras luce perfudit, cælum ſideribus*
Natiu. *adornauit, & ignea ſolem claritate veſtiuit.* Nonne iuuat iterum atque iterum repetere vocem illam propheticam? *Conſideraui opera tua & expaui.* Sed alius
Eſai. 12. idem Propheta nos adhortatur: *Notas facite in populis adinuentiones eius*. Sunt enim diuinæ ſapientiæ inuenta hæc præclariſſima, quæ ad docendum hominem ad corrigendum, ad informandam diuinitus comparata ſunt. Primum igitur ad magnam ſapientiæ laudem, ad magnam charitatis ſuæ glo-

illam pertinere Deus exiſtimauit, ſi eo apparatu filium vnicum ſibi parem, in terras induceret, qui quanto videretur ab illa maieſtate plus abhorrere, tanto illius tum bonitatem, tum etiam potentiam amplius commendaret. Cæleſtes illas mentes contẽplor nouo ſpectaculo attonitas, in puerum Deum oculos defixos tenere, illos vagitus dulciſſimè audire, illas lachrymulas libenter aſpicere, pannos pro oſtro & purpura, præſepe pro throno, fœnum pro auro, iumenta pro ſplẽdido comitatu, abiectum ſordidumq; tugurium pro regio palatio, extremam rerum omnium penuriã pro infinita opum copia cõmutatam. Atq; talẽ Deum ſuum ac principem agnoſcentes, & colunt, & venerantur, & procũbentes adorant. Vbi illud Apoſtoli videmus impletum : *Cum introducit primogenitum in orbem terræ, ad Angelos quidem dicit. Et adorent eum omnes Angeli eius.* Neque adorant tantum, verum & obſequia puerperæ præbent Angeli, & modulato concentu vagientem infantulum mulcent. Reginam Saba ſacræ literæ tradunt ad conſpectum Salomonis obſtupuiſſe, domus ornamenta, familiæ apparatum, rerum omnium magnificentiam admiratam. Ego cæleſtem curiam vniuerſam, ad nouam noſtri Salomonis gloriam, ad eximium illum apparatum, ad incredibiles Regis ſui opes longe plus obſtupuiſſe crediderim. *Deus enim, qui diues eſt in miſericordia propter nimiam charitatem qua dilexit nos*, humanam inopiam ſummas ſibi diuitias, humanas miſerias præclariſſimas ſibi opes duxit. Vt liceat homini per ludum, & iocum de Deo dicere, quod ludibrio Deus homini dixit: *Ecce* ait ille, *Adam ſicut vnus ex nobis*, & nos in eum dicere iam poſſimus, Ecce Deus ſicut vnus ex nobis. Quamobrem læti atque admirabundi Angeli hodiernum natalem celebrant, laudeſque Deo canunt immenſo ſtudio, dicentes : *Gloria in altiſſimis Deo.* Quorum ſane

Hebr. 1.

3. Reg. 10.

Epheſ. 2.

Geneſ. 3.

ſenſum & ſpiritum Eccleſia facta tenens identidem canit: *Magnificatus eſt Rex pacificus.* Quin etiam piæ fidelium mentes autori Deo pro tantis beneficijs gratias agentes cum magno ardore loquuntur: *Quam magnificata ſunt opera tua Domine: nimis profundæ factæ ſunt cogitationes tuæ.* Et *omnia oſſa mea dicent. Domine quis ſimilis tui?*

Pſal. 91.
Pſal. 34.

3 Quæ fuerint beatiſſimę virginis gaudia in partu Saluatoris.

Ante omnes autem illa beatiſſima ſanctiſſimæ virginis eiuſdemque Deiparæ mens myſterij tanti minimè ignara, mirabilem præſentiæ Christi fructum cœpit. Quæ cum tempus eſſet impletum vt pareret, ſicut ſine voluptate noxia concepit, ita ſine dolore vindice, cæleſte de ſe lumen effudit. Adam quidem ſomno quodam diuino correptus, de coſta fabricatam ante ſe mulierẽ cum ſubito adſpexiſſet, plenus gaudij in illam vocem erupit. *Hoc nunc os ex oſsibus meis, & caro de carne mea.* Maria porrò nouum ante ſe infantulum Deum intuens, ſine vllo doloris ſenſu de viſceribus ſuis formatum atque effuſum, iucundiſſimo ſpectaculo læta, cantat, *Hoc os ex oſſibus meis: hæc caro de carne mea.* Namque vt Cyprianus eleganter ſcribit. *Vltro maturus ab arbore baiula fructus elapſus eſt: nec oportuit vellicari, quod ſponte prodibat.* Cum vero infantulum ante ſe vagientem aſpiceret, eundemque Deum ſuum non ignoraret, quis dicere queat, quo ſenſu, qua amoris flamma, verbum infans dulciſſima parens alloqueretur? *Quid dilecte mi, quid dilecte vteri mei, quid dilecte votorum meorum?* Nam quales & quantæ illud Mariæ beatiſſimæ pectus ſuauitates diuinitus affluentes implerent, quam magnæ & ſublimes rerum diuinarum commentationes, illam caſtiſſimam mẽtem Dei genitricis oblectarent, neque dici vllo modo, neque vero ſatis cogitari poteſt: quemadmodum idem Cyprianus (vel quiſquis is autor eſt Cypriano ſapientia certè atque eloquentia non impar) his verbis doctiſſimè dixit: *Sed & cor matris,*

Geneſ. 2.

Cyprian. in ſerm. de Natiu. Domini.

matris, quædam dulcedines, quæ humanum ſuperant intellectum, imbuebant: eratque vtrinque mira iucunditas, cum pia ſanctæ matris & deuota humilitas, & Sancti Sanctorum immenſa benignitas confœderatis affectibus mergerentur. *In eodem ſermone de Natiuitate.*

Atque ante hæc verba eiuſdem illa eſt præclariſſima oratio: *Matri plenitudo gratiæ debebatur, & virgini abundantior gloria, quæ carnis & mentis integritate inſignis, ſpirituali & corporali, intus & extra Chriſti præſentia fruebatur. Ornamenta quæ deerant, etiamſi adeſſent, non haberent oculos ſpectatores, quia præſentia paruuli ſic eorum qui aderant Ioſeph, & ſi quis forte alius ibi erat, oculos occuparat, ſic illuminauerat animos, ſic corda illexerat, vt in hoc ſummo bono, omnium bonorum vnita collectio videretur, nec opus eſſet euagari, & mendicare per partes, quod ſimul in ſe vno fidelibus omnipotens infans præſentabat.* Hæc ille, luculentè admodum docens illam Regis naſcentis paupertatem, illam ſempiterni verbi infantiam, ijs opibus cæleſtium bonorum affluxiſſe, atque ea diuinæ ſapientiæ luce claruiſſe, vt nihil opulentius, nihil excelſius, nihil beatius cogitari poſſet. Itaque in tegumento viliſſimo, ruinoſæ & ſemirutæ caſæ incredibiles diuitias celatas Deus voluit, vt eo chariores iucundioreſq; ſint, quo tanquam marſupio viliore, pretioſior theſaurus incluſus reperitur. Iuuat Petri Damiani viri, & antiqui, & celebris iucundiſſimam orationem recitare: *O Bethleem, inquit, ciuitas Dei ſummi, & in te & in ſuburbijs tuis viſa ſunt mirabilia hodie. Deus pendet ab vberibus, ponitur in præſepe, ligatur in cunis, pannis inuoluitur, & laxatis faſciolis fælices manus & ſancta brachiola per cunarum paruitatem expandit. Alludit virgini matri, arridet & blandientes oculos ad Mariam intorquet, ſtat perterrita tantis miraculis Regina cælorum: confert in corde ſuo ſalutationem Archangeli, conceptionem Dei, natiuitatem pueri: & miratur quod ille qui ſic potuit ad nos venire, ſic voluit ſubuenire. Adeſt & Ioſeph, ſed ab vtroque remotus, & in exceſſu mentis miratur, & mirari ſatis non poteſt.* *Petrus Damaſcenus in ſermone de Natiuitate Domini.*

teſt, qualiter ſit ad tantæ dignationis admiſſus arcanum. Hactenus Damianus. Quis igitur iam fidelibus oculis puerum Deum pannis inuolutum, præſepi fœno impoſitum cōtempletur, qui non ſummo animi ardore inclamet, *Verè tu es Deus abſconditus, Deus* Eſai 45. *Iſrael? Nam quia non cognouit mundus per ſapientiam* 1. Cor. 1. *Deum, placuit Deo, per ſtultitiam prædicationis ſaluos facere credentes*: ſicuti magnus ſcripſit Apoſtolus.

4 Præſentium rerū cōtemptū præ deſiderio patriæ cæleſtis, docere Chriſti cunabula.

Sed quoniam ad erudiendos docendoſque mortales venerat Deus, ea omnia quæ egit, præcepta eſſe noſtra voluit, vitæque informandæ, veriſſimas leges. Quare præſepe illud tanquam cathedram præceptoris tui Chriſtiane cogites, oportet, diuerſorij ſtabulum, ſuggeſtum ampliſſimum, ex quo ad te ſapientia ipſa verba faciat. Paupertas Regis tui rerum inanium contemptum monet: tugurij ac præſepis vilitas, humilitatem tuique ipſius abiectionem ſuadet: bouis atque aſelli ruſticus comitatus manſuetudinem commendat: patientiam ac tolerantiam alieniſſima ſuorum excluſio, cum tanta temporis, tanta loci iniuria coniuncta. *In propria venit,* ait E- Ioan. 1. uangelium, *& ſui eum non receperunt.* Cur in ſtabulo commoratur? cur in præſepi locatur Dei filius? *Quia non erat,* inquit, *ei locus in diuerſorio.* Quod non ita accipere debetis, quaſi diuerſorium nullum extiterit, quo ſe reciperent Ioſeph & Maria. Sed potius cum in diuerſorium deueniſſent, quod erat in via egenis viatoribus patens, & beſtijs magis quam hominibus aptum, in hoc ipſo inquam diuerſorio, nullus eſt datus noſtris hoſpitibus locus honeſtior, quam vt in ipſa iumentorum ſtabula concederent. Ita quidem Ambroſius ſentit, articulo græco ductus, qui eum ferè ſenſum facere ſolet, tanquam latinè diceretur. Non erat eis locus in illo diuerſorio. Nam in diuerſorio natum fuiſſe Chriſtum, plerique patres

conſentiunt, non Ambroſius ſolus, Auguſtinus, Fulgentius, Maximus, Gregorius vero, & Chryſologus in via natum ſentiunt, Hieronymus in ſpecu, quod etiã Epiphanius, & Gregorius Nyſſenus, & Sophronius affirmant. Cyprianus & Baſilius, & Chryſoſtomus in tugurio aiunt. Sed omnes denique cenſent quod neceſſe eſt, non in aliquo ornato domicilio, aut æde propria Mariam peperiſſe. Nempè voluit diuina ſapientia docere nos, in hunc mundum veniſſe Deum, tanquam peregrinum & viatorem, non habitandi cauſa vt in domo, ſed commorandi tantiſper, hoſpitio eſſe vſum. Quod Auguſtinus expreſſiit his verbis. *Naſcens ergo Chriſtus non inuenit locum in diuerſorio, per quem omnis creatus eſt locus. Et velut peregrinus naſcitur qui totius orbis eſt Dominus, vt nos cæleſtis patriæ faceret eſſe municipes.* Nihil enim in Chriſtiana diſciplina præclarius, quam vt nos cæleſtis patriæ ciues intelligentes, peregrinos in hac terra verſari, delicias huius ſeculi contemnamus, & tanquam in diuerſorio neceſſaria tantum ſumentes, viç perficiẽdæ inſiſtamus, atque in cæleſtem illam ciuitatem votis omnibus contendamus. Hæc Petri Apoſtoli vox eſt: *Obſecro vos tanquam aduenas, & peregrinos abſtinere vos à carnalibus deſiderijs, quæ militant aduerſus animam.* Hæc Pauli Sanctorum veterum prædicatio: *Confitentur*, inquit, *quia peregrini, & aduenæ ſunt ſuper terram: qui enim hæc dicunt ſignificant ſe patriam inquirere: & ſiquidem ipſius meminiſſent, de qua exierunt, habebant vtique tempus reuertendi, nunc autem meliorem appetũt, id eſt cæleſtem.* Eo Chriſtus nos ducere cupiens, ab omnibus terrenis temperare, exemplo ſuo copioſè docet. Nos vero proh quantus pudor, qui Chriſtiani & haberi volumus, & eo nomine gloriamur, de rerum inaniũ cupiditate, de faſtus & ambitionis magnitudine, de vitæ delitijs atque omni luxuria exigenda à paganis, & fidelibus

Aug ſerm. 20. de Natiuitate.

1. Pet. 2.

Hebr. 11.

nihil diſtamus. Sic huius vitæ nugas amamus, amplectimur, quærimus, tanquam in ea perpetuo acturi. Non viam, non diuerſorium, ſed domum, ciuitatem, patriam cogitamus. O nos cum ſtultos, tum infelices. Nos nos compellat diuinus Propheta horribili voce, *Væ qui opulenti eſtis in Sion, optimates, capita populorum, ingredientes pompaticè domum Iſrael. Tranſite in Chalanne, & in Emach magnam, & in Geth, & ad optima quæque regna horum, ſi latior terminus eorum termino veſtro eſt?* Tanta eſt acquirendi, & domos atque agros ampliandi auiditas, inquit, vt nullo termino, nullis limitibus contenti ſitis. Iam cætera perſequitur poſtquam de ſuperbia & cupiditate nos pupugit: *Qui dormitis in lectis eburneis & laſciuitis in ſtratis veſtris. Qui comeditis agnum de grege, & vitulum de medio armenti. Qui canitis ad vocem Pſalterij: ſicut Dauid putauerunt ſe habere vaſa cantici. Bibentes vinum in phialis, & optimo vnguento delibuti.* Immenſum noſtrum luxum immoderatas delicias, exquiſitas gulæ illecebras omniumque ſenſum oblectamenta carpit acerrimè: vbi illud prætereundum non eſt, quod facit ad rem præſentem maximè, aliorum interpretum, id eſt, Septuaginta lectionem habere: *Quaſi ſtantia putauerunt, & non quaſi fugientia.* Quæ ſententia magno Patrum conſenſu mirificè extollitur, quod Spiritus ſanctus intelligi velit, omnes eas profuſiones & turpitudines & libidines quas vituperat, indè eſſe profectas, quod præſentia bona tanquam fixa ac manentia bona intueamur, ac non vt ſunt, breuia, fugaciaque cogitemus. Et quod omnium peſſimum eſt. *Et nihil*, inquit, *patiebantur contritione Ioſeph.* Nos diuites, nos beati, miſeros atque inopes dedignamur: nihil eorum ad nos gemitus, nihil famem, nuditatem, nihil extremam afflictionem, ærumnaſque pertinere arbitramur. Ergo fratres, cum Chriſtum pauperem, peregrinum, abiectum videamus, demus operam, vt cæleſtis vitæ inſtituta,

Amos 6.

Amos 6.

ſtituta, imitatione diligenti aſſequamur: ſin id minus præſtemus, quod vnum reliquum eſt, pauperibus fortunas communicemus, bonaque impertiamur libenter egentibus, quorum ſe hodie perſonam ſuſcepiſſe profeſſus eſt.

IN EADEM SOLEMNITATE,

CONCIO QVINTA.

Natus eſt vobis hodie Saluator, qui eſt Chriſtus Dominus in ciuitate Dauid. Luc. 2.

CVM primum Noe Patriarcha quondam ex materno vtero in hanc lucem effuſus eſt, eius parens Lamech diuinitus tactus, vaticinium id enunciauit: *Iſte conſolabitur nos ab operibus & laboribus manuum noſtrarum in terra, cui maledixit Dominus.* Quamobrem nomen impoſuit ei rei ſignificandæ idoneum. Noe enim, vt periti linguæ ſacræ tradunt, requiem vel ceſſationem ſignificat. Fuiſſe autem Chriſti Domini typum quendam Noe, in canonica ſua epiſtola priore beatus Petrus inſinuat: & res ipſa fidem abundè facit, quod ex infinito diluuio, quo mundus euerſus deletuſque eſt, ſoli ij ſalui euaſerint, quos arca Noe continuit: *Et vos*, ait Petrus, *ſimilis formæ ſaluos facit baptiſmus*, quia ianua in arcam, id eſt in Eccleſiam Dei, ad ſalutem vnicus aditus patet. Porro Lamech periti ijdem interpretantur, pauperem

1 Chriſtus Saluator prædictus à Prophetis. *Geneſ.* 5.

Hierony. in lib. de q. ſim tradition. Hebraicis in Geneſim.

vel humiliatum. Quale ſane erat genus humanum, Dei gratia boniſque omnibus nudatum, ac dura diaboli ſeruitute oppreſſum. Cui ſi hodie detur noui Regis ortum cognoſcere, illud ſine dubio ſentiet ac dicet: *Iſte conſolabitur nos ab omnibus laboribus noſtris.* Nunc enim antiqua oracula impleta, patefacta ſunt: *Et mittit eis Saluatorem qui liberet eos.* Et illud, *Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Ieſu meo.* Quid illud? *Cum quietum ſilentium contineret omnia, & nox in ſuo curſu medium iter haberet, omnipotens ſermo tuus exiliens de cælo à regalibus ſedibus, durus debellator in mediam exterminij terram proſiliuit.* Et Oſeas. *Et domui Iuda miſerebor: & ſaluabo eos in Domino Deo ſuo: & non ſaluabo eos in gladio & arcu, & in bello, & in equis, & in equitibus.* Nam Dauid vbique præ gaudio geſtiens, cum hunc Saluatoris diem natalem annuntiat, etiam montes & flumina plaudere iubet, atque vniuerſum terrarum orbem ad celebrandam aduentus eius lætitiam excitat. *Cantate* ait, *Domino canticum nouum, quia mirabilia fecit. Saluauit ſibi dextera eius, & brachium ſanctum eius. Notum fecit Dominus ſalutare ſuum.* Et mox *viderunt omnes termini terræ ſalutare Dei noſtri. Iubilate Deo omnis terra, cantate, & exultate: & pſallite.* Itaque hunc Saluatorem, atque hoc ſalutare, hoc brachium Domini, hunc Ieſum, hunc Dominum, hunc denique Deum à tot ante Prophetis prædictum, annuntiant hodie Angeli paſtoribus, & prædicant natum. *Ecce euangelizo vobis gaudium quod erit omni populo, quia natus eſt vobis hodie Saluator, qui eſt Chriſtus Dominus in ciuitate Dauid.*

Eſai. 19. *Abac.* 3. *Sap.* 18. *Oſeæ* 1. *Pſal.* 97.

2. Angelorũ officiũ & beneuolentia in homines.

Atque hoc loco videndum eſt id, quis, quibus annuntiet. Angelus certè paſtoribus. Atqui Angelos infenſos homini redditos culpa ac ſcelere ipſius, vel illa depulſio ſatis indicat, ex paradiſo voluptatis, gladiuſque ille anceps atque terribilis, quo vitæ

aditum

aditum Angelus defendit, ne qui morte mulctatus erat, dignam ſuo ſcelere pœnam euaderet. Itaque videmus ad Angelorum conſpectum homines etiam iuſtos & pios paſſim eſſe perterritos, quod vindices numinis à ſe læſi, diuinæque maieſtatis ſatellites cogitarent. Quo argumento Manuè Samſonis pater, periturum ſe continuo, aſſeruit, quod Angelum Dei intuitus eſſet. Quo veteri more noſtri quoque paſtores ſimul atque Angelum tantoperè præfulgentem conſpicati ſunt, metu exanimati propemodum conciderunt. *Et timuerunt timore magno.* Quid enim non perhorreſcat regios ſatellites maieſtatis reus? quid non miniſtros Dei pertimeſceret humana infirmitas: ſed Angelus & timorem ſedat benignè, & ſe amicum profitetur, nuntiumque afferre dicit gaudij plenum. Antea enim vt Gregorius Papa loquitur: *Quia peccando extranei eramus Deo, extraneos nos à ſuo conſortio deputabant Angeli ciues Dei. Sed quia Rex cæli terram noſtræ carnis aſſumpſit, infirmitatem noſtram illa iam Angelica celſitudo non deſpicit.* Videbant videlicèt Angeli Deum homini factum proprium, officio ipſi non deſunt: hominum ſe ſalutem amare docent, inuidere planè neſciunt; nobiliſſimum genus. Et cum Deum videant, nequaquam Angelos apprehendiſſe, vt Paulus loquitur, ſed ſemen Abrahæ apprehendiſſe. id eſt, humanam ſibi non Angelicam Dei filium naturam copulaſſe, nihil dolent, nihil inuident, nihil indignantur, ſe neglectos, fideles, nobiles, puros: homines ſibi prælatos, ſordidos, ingratos, improbos. Quin potius eorum ſeſe lætitiæ & autores & miniſtros præbent, atque hominibus ex animo gratulantur. Atque vt eſt à Cypriano elegantiſſimè dictum: *A ſupernis legationibus incipit Euangelium, & nuncius primi dictatores Angeli extiterunt.* Quæ cum ita ſint, debet homo Angelorum beneficijs minimè ſe

Geneſ.3. *Iudic.13.* *Greg. hom. 8. in Euang.* *Hebr.2.* *Cyprian. in ſerm. de Natiu. Domini.*

ſe ingratum indignumque præbere: ſed ſalutis ſuæ adminiſtros ſemper & ſuſpicere & colere, & quod caput eſt eorum monitis obedire. Etenim quod Origenes hoc loco ſentit, veriſſimum eſt, vnicuique duos aſſiſtere Angelos, alterum iuſtitiæ, alterum iniquitatis. *Si bonæ*, inquit, *cogitationes in noſtro corde fuerint, haud dubium quin nobis loquatur Angelus Domini.* Angelos ergo diuinæ pacis, non belli cruenti ſatellites, magna animi & reuerentia & deuotione, vbique proſequi eius eſt animæ, quæ patriam cæleſtem non ſolum deſiderat, ſed etiam expectat.

Orig. ho. 12. in Luc.

3 Cur paſtoribus nuntiatus Chriſti ortus.

At qua cauſa miſſus eſt Angelus, vt Chriſti ortum paſtoribus potiſſimum nuntiaret? Non erant ſacerdotes, non Pontifices? non Leuitæ? Hieroſolymis principes, Scribæ, Phariſæi, religioſi, literati non erant? quorum autoritate populus Iſraeliticus potius adduceretur, quibus dignitas maior fidem ampliorem eſſet conciliatura? Soli paſtores, ruſticani, neglecti adeuntur, monentur, exhilarantur lætiſſimo nuncio: cantu præterea Angelico oblectantur? Quid hoc rei eſt? quid conſilij? O altam diuinæ ſapientiæ arcem: conſilij æterni profundum impenetrabilem. Reſpondere tamen placet non meis ſed Cypriani verbis: *Primi fuere paſtores, quorum innocentia & ſimplicitas electa eſt, vt laus Chriſti perficeretur, quia piſcatores & paſtores ſequentibus temporibus confunderent oratores: & à pauperibus & humilibus prædicatio paupertatis haberet initium.* Idemque mox. *Pauperes electi, ſuperbi neglecti, nec faſtus, nec altus circa diſcipulatum Chriſti aliquem obtinent locum: Chriſtus pauper diſcipulos diuites aſpernatur. Pauper mater, pauper filius, inops hoſpitium, hi qui in forma huius Eccleſiæ militant, præbent efficax documentum* His quid addi poſſit ignoro: ad paupertatis Euangelicæ commendationem, ad Chriſtianæ humilitatis & ſimplicitatis laudem, quid accedere poſſit, non video. Satis igitur hæc, ſi ſatis animo condantur

Cyprian. in ſermone de Natiuitate.

dantur atque hæreant, Phariſæos autem & ſacerdotes non eſſe ab Angelo certiores factos tanti boni Chryſoſtomus docet, quod inuidia & auaritia laborarent. Neque illud myſticum diſplicet, quod beatus Ambroſius adnotauit, paſtores delectos eſſe diuino nuncio, eoſdemque vigilantes ſuper greges ſuos, & noctis cuſtodias obſeruantes, vt intelligi poſſit, paſtores animarum, qui ſunt Epiſcopi & præſides Eccleſiæ, debere vigilare, & ſomno parciſſimo contentos, commiſsi ſibi populi ſalutem vigilantiſſimè curare: ſic fieri. vt diuino lumine illuſtrentur, ac lætitia cæleſti perfundantur. *Nimirum ſolus ille*, ait venerabilis Beda, *Conditorem perfectè diligit, qui & proximis curam perfecti amoris impendit.* Nam quos paſtores, non tam oues ſibi creditas, quam ſe ipſos paſcere animaduertit, ijs ſermo Ezechielis propheticus, non lucem cæleſtem, non nuntium ſalutarem, iucundumque promittit, ſed caliginem & tenebras, & triſtem interitum minatur. Neque leuiora Zacharias in eiuſmodi paſtores quærentes quæ ſua ſunt, non quæ Ieſu Chriſti, gregem ſibi commiſſum deſerentes, quo ſuis commodis & voluptatibus vacent. *O paſtor*, inquit, *& idolum, derelinquens gregem, gladius ſuper brachium eius, & ſuper oculum dextrum eius: brachium eius ariditate ſiccabitur, & oculus eius dexter, tenebreſcens obſcurabitur.* Auertat Deus omen infauſtum, ac potius paſtores noſtros cæleſti luce perfundat, confirmetque virtute illa eximia, quo alacres & feſtini verbum ſibi diuinitus oſtenſum, & ipſi ſupplices adorare pergant, & alijs cum ſermone tum factis duces fortiſsimi ſint, quod Bethleemitæ hodiè paſtores præſtiterunt.

Beda in 2. cap. Luc. 2.

Ezech. 34.

Zachar. 11.

Quod vero hodie natum Saluatorem Angelus denuntiat, Dauid etiam hodie genitum dicit eundem Dei filium. *Dominus*, inquit, *dixit ad me, Filius meus es tu: ego hodie genui te.* Sed inter vtramque natiuitatẽ

4 Filius Dei æternus vnius diei infans

multum

Pſalm. 2. multum intereſt, illam, inquam, qua Dei filius ex Patre Deo, Deus natus eſt, & hanc qua idem, ex matre homine, homo etiam eſt natus. Hęc enim temporalis ita eſt hodierna, vt ante hanc diem minimè extiterit. Itaque ab Euangeliſta dilucidè ſcribitur: *Et factum eſt cum eſſent ibi, impletum eſt tempus, vt pareret, & peperit filium ſuum primogenitum.* Illa autem altera natiuitas, ita quod ſit hodierna prædicatur, vt ſempiterna etiam fuiſſe declaretur, quemadmodum alius Pſalmus habet: *Tecum principium in die virtutis tuæ, in ſplendoribus Sanctorum, ex vtero ante luciferum genui te.* Qui verſus hanc habet ſententiam. Non fuiſſe principium quod ortum diuinæ virtutis & potentiæ, filij nimirum Dei, anteceſſerit: quem quidem Deus genuerit ab omni æternitate, antequam luciferum cæterumque cæli ornatum conderet, eumque ex vtero, hoc eſt ipſa ſua ſubſtantia non de nihilo, vt creaturas produxerit: neque tamen productio illa humanæ ſimilis fuerit, quæ corruptionem generationi neceſſario coniungit, ſed pura integraque extiterit, qualis eſt ſplendoris puriſſimi atque ſanctiſſimi. Quanquam autem ea verbi productio & natiuitas æterna eſt, dicitur tamen hodiè genitus Dei filius, propterea quod præterita nunquam eſt: ſemper enim Deus ex Deo naſcitur: itaque & natus eſt, & naſcitur, & naſcetur. Cumque Deo nihil ſit heſternum, nihil craſtinum, meritò hodierna generatio prædicatur. Aeternitati enim præteritum nihil, nihil futurum: quicquid eſt, præſens hodiernumque ſit neceſſe eſt. Quamobrem ſacræ literæ diuinarum perſonarum productiones humano modo cum loquantur (aduertite quæſo animum) modo præteritas, modo præſentes, modo vero etiam futuras pronuntiãt. Nam pręterito vtuntur, vt perfectam productionem intelligamus: quale eſt illud: *Ego ex ore Altiſſimi prodiui primogenita*

Pſalm. 109.

Eccleſ. 24.

mogenita ante omnem creaturam. Et illud iam recitatum. *Ex vtero ante luciferum genui te.* Iam præterito imperfecto, vt illud, *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum, hoc erat in principio apud Deum.* Nimirum ne ita Dei verbum ex Deo productum intelligamus, quaſi produci iam deſtiterit. Præſenti vero interdum vtuntur, vt declarent productionem emanationemq; diuinam, ſemper durare neque vnquam finiri, ſicut de Spiritu ſancto Euangelium loquitur. *Spiritus veritatis qui à Patre procedit.* Ita enim proceſsit vt ſemper procedat, quemadmodum lux à Sole, & figura ſpeculo impreſſa ab obiecto corpore. Denique futuro quoque videmus vti Scripturam, vt cum de eiuſdem Spiritus ſancti proceſsione legimus. *Quæcunque audiet loquetur.* Et rurſum: *Ille de meo accipiet.* Neque dubium eſſe poteſt, quod Auguſtinus docuit, non eſſe aliud audire Spiritum ſanctum à Patre, & accipere à Filio, quam à Patre procedere & Filio. Vt enim æterna proceſſio eſt, ita æterna auditio, atque æterna locutio in illis deitatis altiſsimæ diuinis perſonis. Sed de futuro hæc pronunciantur interdum, vt ſempiterna emanatio intelligatur, quæ non magis tranſierit finitaque ſit, quam quod futurum eſt, quodque nondum eſt. Sed præclariſsimam de æterna proceſſione ſentẽtiam, melius Auguſtini verbis intelligetis quã meis.

Eccleſ.24. *Pſalm. 109.* *Ioan.1.* *Ioan.15.* *Ioan.16.*

Sic igitur ille ſcribit: *Sic debemus accipere quod de Spiritu ſancto dictũ eſt: Non enim loquitur à ſemetipſo, ſed quæcũque audiet loquetur, vt intelligamus eum non eſſe à ſemetipſo. Pater enim ſolus de alio non eſt. Ab illo audiet Spiritus ſanctus à quo procedit. Audire illi, ſcire eſt, ſcire vero eſſe, à quo eſt illi eſſentia, ab illo ſciẽtia. Nec moueat quod verbũ futuri temporis poſitũ eſt, illa quippe audientia ſempiterna eſt, quia ſempiterna eſt ſcientia. In eo autem quod ſempiternum eſt ſine initio, & ſine fine cuiuſlibet temporis verbum*

Aug. tract. 99. in Ioan.

bum ponatur, ſiue præteriti, ſiue præſentis, ſiue futuri, non mendaciter ponitur. Quamuis enim natura illa immutabilis non recipiat fuit & erit, ſed tantum eſt, tamen non mendaciter dicimus & fuit, & erit, & eſt. Fuit, quia nunquam defuit: erit, quia nunquam deerit: eſt, quia ſemper eſt. Ita Auguſtinus, prorſus verè & ſublimiter. Quæ cum ita ſint, miranda eſt Dei, & adoranda clementia, qui æternum filium, temporum legibus ſubdi voluit, vt vnius diei infantulus annũtietur, qui dies omnes, & menſes, & annos, & ſecula, & tempora vniuerſa infinita antiquitate præceſſerit. Itaque quod Salomon de ſe profeſſus eſt, id Chriſtus quadam ex parte loqui

Sapien. 7. videri poſsit: *Sum quidem & ego mortalis homo ſimilis omnibus, & ex genere terreno illius qui prior factus eſt, & in ventre matris figuratus ſum caro, & decem menſium tempore coagulatus, & primam vocem emiſsi plorãs, & in ſimiliter factam decidi terram.* O Deus infans, ô Rex gloriæ, humanæ miſeriæ ſubditus, amore æſtuans in homines, & hyemale frigus incendio charitatis ſuperans: quas flammas ſubijcis nobis, quas faces amoris accendis, modo ſi humani aliquid in nobis

Aug. de catechiz. rudibus. c. 4. eſt, ſi non lapides & trunci ſumus? *Vt ſi amare pigebat,* vt ille dixit, *ſaltem redamare non pigeat.*

5 Puerum Ieſum hodie quoque inuolutum ſacramenti in tegumẽtis inueniri

Poſtremò qui Deum videre velit hominem factum, Bethleem petere debet, ciuitatem Dauid, Angeli annuntiant. Erat quidem Bethleem exiguum oppidum, tenue municipium: hoc ſempiterna ſapientia & maieſtas illa ſibi delegit: eam ſibi eſſe patriam voluit non tam Dauidis natalibus illuſtrem, quam filij Dauidis ortu illuſtrãdam. Bethleem, quod

Greg. hom. 8. in Euang. Gregorius etiam animaduertit, domum panis interpretantur. Quo igitur panis ille cæleſtis, niſi in domum panis veniret? Hic frumento condẽdo diuino,

Gen. 41. horrea fælicisſima inſtructa ſunt. Et Ioſeph quidem olim futuræ fami alimenta repoſuit, quæ toti AEgypto in annos ſeptem ſufficerent: & noſter Ioſeph clario-

clariorem longè præfecturam diuinitus nactus, frumentum cæleſte quod æternitati par eſſet, in horreum Bethleemiticum reponendum exiſtimauit. Eo omnes qui laborant penuria, qui premuntur fame, accurrere neceſſe eſt, ſi velint nullo pretio alimenta copioſa ſibi comparare. *Quare appenditis argentum & non in panibus? laborem & non in ſaturitate?* Iſaias clamitat. Noſter vero panis cæleſtis omnes ad ſe inuitat, omnes allicit: *Venite*, ait. *ad me: & ego reficiam vos.* Quod ſi fide duce accedere vultis, polliceor vobis hodie non minus, quam paſtoribus illis, infantulum ex Maria natum reperiendum, cuius & conſpectu, & amplexu dulciſſimo frui poſſitis. Nonne vobis menſa illa ſacra altaris tanquam præſepe commune omnibus cæleſtem panem continere videtur? Erat Chriſtus pannis inuolutus: & hic Chriſtus vſitati pannis accidentibus tanquam in tegumentis tectus eſt. In fœno iacebat, animantibus brutis conſotiatus: hic autem cum fœno carnis noſtræ, quod tanquam animalibus offert, frumenti lectiſſimi adipem, diuinæ ſuæ ſcilicet ſubſtantiæ copiam facit. Audi Bernardum: *Panis*, inquit, *Angelorum, factus eſt fœnum poſitum in præſepio, appoſitum nobis tanquam iumentis. Verbum quippe caro, factum eſt: & iuxta Prophetam, Omnis caro fœnum.* Omnino repræſtitum cernimus, quod fuit vaticinio præclaro de aduentu Meſſiæ promiſſum. *Et erit firmamentum in terra in ſummis montium, ſuperextolletur ſuper libanum fructus eius.* Quod nos firmamentum legimus, habent nonnulli codices Hebraico minimè repugnantes. *Erit frumentum in terra.* Hoc plane frumentum eſt electorum quod Zacharias prædicat, hoc benedictione præcipua legatum primogenito à ſancto Patriarcha Iſaac: de rore cæli & de pinguedine terræ. Si quis igitur Ieſum videre, Ieſum adorare velit, ſi quis Ieſu frui, adeat Bethleem, paſtores ſanctos viæ duces ſequatur, in ſacro Eccleſię

Eſai.55. *Matth.11.* *Bern.ſerm. 35. in Cant.* *Pſalm.71.* *Zachar.9.* *Geneſ.27.*

præſepi infantem inueniet, inuolutum pannis inuolucris Chriſtum adoret, Chriſtum ſumat, & ſacro cibo refectus, diuinis delicijs perfruatur. Neque prætermittat, inſtar paſtorum, Deum glorificare, & pro tantis in ſe collatis beneficijs immortales gratias agere.

IN FESTO SANCTI STEPHANI protomartyris.

Hieruſalem, Hieruſalem, quæ occidis Prophetas & lapidas eos qui ad te miſſi ſunt. Matth.21.

1 Stephani protomartyris prærogatiua.

POST diem Domini natalem quorundam ſanctorum Eccleſia natalitia celebrat, quo Chriſti aduentus in mundum fructus appareat. *Niſi enim granum frumenti mortuum fuerit, ipſum ſolum manet: ſi autem mortuum fuerit multum fructum afferet.* Nam vt Auguſtinus ait, *Ideo natus eſt Dominus, vt moreretur pro ſeruo, ne ſeruus timeret pro Domino.* Ac quanuis Chriſtum plurima ſanctorum multitudo ſequatur, tamen delectari præcipuè videtur virginibus. *Hi enim ſequuntur agnum, quocunque ierit.* In quorum numero non eſt dubitandum fuiſſe Stephanum, Ioannem, infantes innocentes. De Ioanne conſentiunt omnes, de innocentibus dubium eſſe non poteſt. De Stephano autem beatus Auguſtinus ſic loquitur. *Scriptū de Stephano eſt in actibus Apoſtolorum, quod ad miniſterium viduarum ſit ab Apoſtolis deputatus. In hac etiam re* quod

Ioan.12. *Aug. ſerm. 1. de Sanctis.* *Apoc.14.* *Aug. ſerm. 5. de S. Stephano.*

quod propoſitum eſt fœminis teſtimonium meruit ſinceriſſimæ caſtitatis. Beatus ergo erit fratres chariſſimi, qui hunc ſectatus, qui hunc imitatus fuerit, & pudicitiæ palmam, & martyrij conſequitur coronam. Rectè illibatam caſtitatem ei tribuit Auguſtinus, qui iuuenis cum eſſet in ipſo floreætatis Apoſtolica autoritate fœminarum alendarum curam ſuſcepit. Stephanum ergo præter candidum virginitatis inſigne, etiam exornat martyrij corona purpurea, nomenque illi commodè diuinitus eſt ante inditum, quod gloriam ſibi deſtinatam notaret: à corona quippe nomen ſortitus eſt, cui primus omnium Chriſti militum corona data eſt: non è quercu aut è populo vt apud Romanos priſcos, ſed ne è lauro quidem, quæ erat præcipua triumphantium. Sed data eſt Stephano ex auro corona, plurimo lapide pretioſo diſtincta. Tot enim gemmæ præclariſſimè huius coronam ornant atque illuſtrant, quot eſt propter Chriſtum lapidibus appetitus. *Poſuiſti,* inquit, *ſuper eum coronam de lapide pretioſo.* Nihil pretioſius ſanguine profuſo pro Chriſto: nihil glorioſius ictibus pro Domino vulneribuſque ſuſceptis. Atque olim quidem Dauid, qui primus murum Hieroſolymitanum ſubijſſet, atque hoſtibus victricia ſigna intuliſſet, eo præmio remuneratus eſt, vt primus militiæ dux haberetur. Itaque cum Ioab magnitudine animi atque induſtria fideq; præſtanti, primus in mœnia Iebuſæi euaſiſſet, Regio edicto exercitus vniuerſi renūtiatus eſt dux. Id plane ſic noſtro Stephano, fortiſſimo Chriſti militi contigiſſe, atque in hac longe excellentiore militia primū martyrum omnium atque anteſignanum emicuiſſe dicamus, nihil profecto à ratione alienū aſſeremus. Quam enim à Saluatore pro nobis mortis obitæ gratiam accepimus, eam Stephanus omnium primus retulit Chriſto. Quapropter *Stephanus* (ait bene Chryſologus) *martyrum primus purpuratum ducis*

Pſal. 20.

1. Paral. 11.

exercitum, qui pro Domini ſui adhuc calente ſanguine ſanguinem ſuum auidus bellator effudit. Et quia, cruore proprio tinctam ſibi ipſi purpuram conquiſiuit, merito à Rege ſuo conſecutus eſt poſt coronam. Quę cum ita ſint, iure inter eos quos Eccleſia Natali Chriſto celebrando comites adhibet, primum locum beatiſſimo Stephano tribuit, qui & Bethleemitici ortus gloriam illuſtrauit, & Hieroſolymitanæ crucis trophœum cælo primus inuexit.

2 Gratiæ diuerſæ diuerſis datę. *Ecce ego mitto ad vos Prophetas & ſapientes, & Scribas.* Quanuis fieri poſſit, vt in eundem hæc nomina omnia conueniant, tamen eſt frequentius ac certius quod Hieronymus hic ſentit, vt varia dona ac chariſmata Spiritus ſancti ſignificentur, quemadmodum Apoſtolus tradit. *Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios vero Euangeliſtas, alios autem paſtores & doctores ad conſummationem Sanctorum in opus miniſterij.* (*Epheſ.* 4.) Prophetæ quidem ſunt, qui diuinis reuelationibus illuſtrantur: qualis ille erat, qui aiebat, *Incerta & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi.* (*Pſal.* 50.) Sapientes vero, qui rerum diuinarum contemplatione, & cognitione altiſſima perfruuntur, qualis ille, qui ſe inter perfectos ſapientiam loqui teſtatus eſt. (1. *Cor.* 2.) Iam Scribas eos maximè appellat, qui ſacrarum literarum ſcientia atque intelligentia præditi ſunt: in quo genere Eſdras numeratur in lege doctiſſimus. (2. *Eſdr.* 8.) Apollo quoque vir potens in Scripturis atque eloquens. (*Actor.* 18.) Itaque licet his ſæpe muneribus vnus idemque polleret omnibus, vt Paulus, vt Petrus, vt Apoſtoli cæteri, ex quo his diuerſis nominibus Apoſtolos eſſe ſignificatos aliqui volunt, quod omnibus his gratijs pollerent, tamen erant in vno genere nonnulli præſtantes, in alio alij. (*Hilar. hoc loco, & autor imperf. in Matth. hom.* 64.) Et quod fortaſſe mireris, ijdem magni Apoſtoli ad Euangelicæ functionis fructum, indigebant ſæpe minorum opera, quibus eſſet datum, populo conuenientia proferre.

proferre. Vt enim fontis rapidus ac multus effluxus ſeipſum impedit quominus poſſit in eorum qui ſitiunt os influere, atque ei rei curandæ adhibentur vaſcula idonea, vrcei modici, qui ex vrnis, vrnæ quæ acceptam à fonte aquam domeſtico vſui accommodent, ſic profecto magnorum Apoſtolorum vis & vbertas in dicendo erat tanta, vt vulgares homines capere non poſſent diuina: quare interpretum fidorumque diſcipulorum induſtria opus ſibi eſſe maxime ſentiebant, vt illi ad cæteros deriuarent atque accommodarent, quæ fuiſſent à præceptoribus altius prolata, atq; vberius quam vt capere poſſent ingenia vulgaria. Hoc officium Marci fuit apud Petrum, qui ideo interpres dictus eſt Petri: hoc Titi apud Paulum, qui ſe fatetur non potuiſſe verbum Dei loqui, quod Titus abeſſet. Neque enim interpretandi ratio erat, qualis eorum qui ex vna lingua in aliam vertunt. Siquidem dono linguarum præditi Apoſtoli erant. Et Paulus de ſe fatetur. *Gratias ago Deo meo quod omnium veſtrum lingua loquor.* Sed quod ſolent Hypodidaſcali facere, vt à magiſtro dictata aut præcepta rudioribus diſcipulis repetant, exponant, explicent, id Marcus, id Titus, id cæteri Apoſtolorum comites Euangelii auditoribus præſtabant.

Præclare hoc à Cæſare Baronio explicatum eſt li. 1. ſuorum Analium.

2. Cor. 2.

1. Cor. 14.

Et ex illis occidetis & crucifigetis. Deus quidem, quod de ſe decet facere, non prætermittit, atque vt teſtatur apud Hieremiam *diluculo conſurgens* mittere non ceſſat ad rebellem gentem legatos ſuos Prophetas, pacis & beneuolentiæ offerens idoneas conditiones. At homines peſſimo conſilio in perfidia perſtāt, ſcelera ſceleribus cumulant, legatos Dei iniurijs & cęde mulctant. Paulus quodnam ſit munus Apoſtolicum indicat: *Pro Chriſto legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Obſecramus pro Chriſto, reconciliamini Deo* Dixerat vero proxime his: *Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliauit ſibi per Chriſtum, & dedit nobis miniſterium*

3 Legatos Chriſti indigne acceptos.

Hierem. 7.

2. Cor. 15.

ſterium reconciliationis. Quoniam quidem Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi, non reputans illis delicta illorum, & poſuit in nobis verbum reconciliationis. Ex quibus intelligi poteſt, quæ ſit Dei bonitas & clementia, quæ pacem & amicitiam vltro offert, tum Chriſti ſanguine fœdus percutit, obliterata veterum iniuriarum memoria, deinde quanta ſapientia & benignitas eiuſdē ſit, declarat illud, quod homines ad homines mittit, peccatores quondam, reconciliatos ſibi Chriſti ſanguine, quo ceteri qui peccatis obnoxij ſunt, exemplo prouocentur, facilitate alliciantur, indulgentia excitentur. Ipſi quoque miniſtri Chriſti officij ſui admonentur, ne duriores, inſolentioreſue legationis magnitudine & præſtantia fiant, cum & ſe olim à partibus rebellium fuiſſe ſciant, & alienas opes, non ſuas diſperdere iubeantur. Sed nihil eſt tam bene & prudenter excogitatum, quod non humana malitia conuertat in peius. Legatos Dei, quos venerari amplexarique debuerant, homines, aut occiderunt, aut multis contumelijs affectos a ſe repulerunt. Sic euēniſſe narrat vetus Scriptura legatis ijs, quos Ezechias optimus Rex populo Iſraelitico monēdo, ſanandoq; miſerat. Locum ipſum recito ex ſecundo libro Paralipomenon: *Perrexerunt,* inquit, *curſores cum epiſtolis ex Regis imperio, prædicantes, Filij Iſrael reuertimini ad Dominum Deum: pius enim & clemens eſt Dominus Deus veſter, & non auertet faciem ſuam à vobis, ſi reuerſi fueritis ad eum. Igitur curſores pergebant velociter de ciuitate in ciuitatem, illis ſubſannantibus & irridentibus eos. Attamen quidam viri acquieſcentes conſilio venerunt in Hieruſalem,* Videtis effigiem quandam eius rei, quam Apoſtoli virique Apoſtolici copioſiſſimè experti ſunt quemque Dominus eorum, & de ſe & de ipſis prædixit: *Non eſt diſcipulus ſupra magiſtrum: ſi me perſecuti ſunt, & vos perſequentur: ſi ſermonem meum ſeruauerunt & veſtrum ſeruabunt.*

2. Paral. 30.

Ioan. 15.

Sed

Sed quanto clementia Dei maior, & patiētia diu- 4
turnior, tanto ingrati & impij grauiores pœnas daturi ſunt. *Vt veniat ſuper vos omnis ſanguis iuſtus, qui effuſus eſt à ſanguine Abel iuſti vſque ad ſanguinem Zachariæ filiæ Barachiæ, quem occidiſtis inter templum & altare.* Admonet locus, vt de Zacharia hoc quiſnam fuerit, pauca dicamus. Hieronymus, cuius eſt in Scripturis interpretandis eximia autoritas, eos irridet, qui hunc Zachariam patrem Ioannis Baptiſtæ fuiſſe volunt, apocrypham hiſtoriam, & ſomnio parem appellans. Cenſetque eſſe potius illum quem libri Regnorum Ioiadæ filium referunt à Rege Ioas in templo interfectum. Verum illud non ſatis aptè videtur allatum, quod ex ſanguine Abel facto initio, finiatur in ſanguine Zachariæ illius ante plus quadringentos annos fuſo, cum fuerit poſtea multus iuſtorum ſanguis effuſus. Neque enim emphaſim illius verbi, omnis ſanguis iuſtus, implet, tanto relicto ſanguine impiè poſteà effuſo. Quare multi pij, graueſque autores apochrypham eſſe illam narrationem de Zacharia Patris Ioannis minime cenſent, ſed germanam & fide dignam, antiquiſſimis Patribus in eam ſententiam recitatis, Origine, Petro Alexandrino Martyre, Baſilio Magno, atque huius fratre Gregorio Nyſſeno. Quid quod Ioſephus Iudaicæ hiſtoriæ ſcriptor probatus literis tradidit, ſub ipſa Hieroſolymitanæ vrbis exciſæ initia virum quendam mirabili integritate præditum nomine Zachariam, cuius fuerit pater Barachias, ſiue vt alij codices habent Baruch, inter ipſum templum & aram, id eſt, in medio templo impiè ac nefariè à Iudæis interfectum? Nam quod ea cædes perpetrata non erat, quo tempore Chriſtus tanquam de re præterita loquebatur, reſponderi profecto poteſt, more prophetico futura tanquam iam præterita referri: atque eo modo veriſſimè ſanguinem omnem pium

ctam De., quo tardiorem eo grauiorem venire.

Orig. ho. 26. in Matth.
Baſil. hom. 25. in Natali Domini.
Nyſſen. in orat. de Natiui. Domini.
Theoph. in 23. Matth.
Ioſephus de bello Iuda. lib. 5. c. 1.
Nyſen in orat. de Nati. Domini.
Theoph in 23 Matth. Ioſephus de bello Iudai. lib. 5. c. 1.

Hieroſolymis impiè profuſum, eſſe ſignificatum. Quidquid vero de ijs ſentias, quæ probabiliter dicuntur non eſt erroris periculoſi. Illud conſtat, voluiſſe Dominum ſeueritatem vindictæ diuinæ, eius tanta patientia dignam, ſignificare. *Amen dico vobis venient hæc omnia ſuper generationem iſtam.* Multa quidem Deus tolerat, diuque expectat; at nihil obliuiſcetur, quantoque eſt patientia diuturnior, tanto pæna cumulatior. Quid populo illi acciderit, omnes noſtis, hiſtoria ciuis ipſorum teſtis eſt locuples, quibus malis gens ſuperba, & ingrata, & impia vſque ad vltimam internecionem afflicta, euerſaque ſit. Ne ergo Dei longanimitatem peccator, patientiamque contemnat, ne reſeruet ſibi iræ theſaurum, vt Paulus loquitur, in die iræ & iuſti iudicij Dei. Rectè autor quidam antiquus hoc loco ſic loquitur, *Ciuitas vel gens cum peccauerit, non ſtatim punitur à Deo, qui expectat diu: cum autem placuerit Deo, perdere ciuitatem illam aut gentem, videtur omnium generationum præcedentium peccata reddere illis.* Hieremiam audite nomine eius populi deplorantem: *Vigilauit iugum iniquitatum mearum: in manu eius inuolutæ ſunt, & impoſitæ collo meo: infirmata eſt virtus mea: dedit me Dominus in manu de qua non potero ſurgere.* Verbum illud notate. *In manu eius inuolutæ ſunt, & impoſitæ collo meo.* Tanquam enim ſeriem quandam, ſiue reſtim criminum dicit, quam Deus peccatoris collo benè textam imponit, vt omnia ſimul portet, neque poſſit excuti quicquam. Hoc illud eſt quod Chriſtus minatur, *Venient hæc omnia ſuper generationem iſtam:* Verè *horrendum eſt incidere in manus Dei viuentis.* Placeat ſibi modo peccator, gaudeat, lætetur, bibat, edat, ludat, regnet, triumphet? quod Dei iram innumeris peccatis prouocet, nihili faciat: dies ſibi iucundos numeret multos præteritos, plures in poſterum polliceatur: aderit tandem tempus, cum omnia vſque ad minutũ perſoluat, *Veniens hæc omnia.*

Rom. 2.

Autor imperfecti in Matt. homil. 46.

Thren. 1.

Hebr. 10.

Noſtis

Noſtis Dauidem fuiſſe leniſſimum: cuius tamen legatos Rex Hanon atque eius ciues Ammonitæ quoniam pacificos & amicos & honoris cauſa miſſos contempſerunt, fædeque mulctatos ludibrio habuerunt, vltore Dauide ſibi pernitioſiſſimos ſunt experti, vſque eo vt debellatos Ammonitas, & extrema clade acceptos, ſupplicio horribili Dauid perire coegerit. *Fecit*, inquit, *ſuper eos tranſire ferrata carpenta*. Ita trucidati & in mille partes miſerrimè diſſecti ſunt. *Quieſcite ergo ab homine, cuius ſpiritus in omnibus eius*: quemadmodum antiquum vaticinium habet neque irritemus Deum optimum, neque eius lenitatem in iracundiam nobis conuertamus. 2.Reg.12. Eſai.2.

Hieruſalem Hieruſalem, quæ occides Prophetas & lapidas eos qui ad te miſſi ſunt, quoties volui congregare filios tuos ſicut gallina congregat pullos ſub alas, & noluiſti? Rectè Auguſtinus cenſuit nulla ſimilitudine potuiſſe aptius pleniuſque exponi, qua ſit Chriſtus in nos pietate & indulgentia. Quamuis enim aliæ aues gignant, & pariant, ac maternum officium proli exhibeant, nulla tamen perinde ac gallina maternum affectum per omnia oſtendit, quam ſemper vbique matrē agnoſcas, ne puncto quidem pullorum cura, ſtudioque depoſita. *Denique cum infirmantibus, ait ille, & ipſa infirmatur.* Nam & voce, & plumis, & inceſſu matrem præ ſe fert pullos perpetuo vocitat, ne puncto quidem ab ijs diſcedit: terram ſemper carpit ac fodit, ſi quid pullis cibi eruere queat: pro quouis illorum cum miluo pugnat, diripi ſe potius atque laniari patitur, quam à prole diuelli: vt ſuos omnes cupiat ac recipiat ad ſe pullos, ſeſe ipſa oſtendit, calore fouet continuo, licet macreſcat ipſa exhauſtaque fiat. Quæ ſi ad Chriſtum cogitatione omnia transferatis, videbitis optimam atque ſuorum amantiſſimam matrē. Quis enim dicat, quæ illius cura, quæ ſolicitudo, qui ardor, quæ pugnæ pro nobis, quæ ærumnæ laboreſq;

5 Mirus Chriſti amor in ſuos.

Auguſt. lib. 1. q. Euangel. c. 26. & ſuper Pſalm. 62. & de verbis Domini, ſer. 29.

Pſal. 18. ſuſcepti? Quid vero illud alarum diuinarum perfugium dulciſſimum? *Sub vmbra alarum tuarum protege me* clamabat Propheta. Alius vero: *Et ſanitas in pennis eius.* Alius etiam: *Expandit alias ſuas & portauit eos.* Auguſtinum de gallina hac diuina differentem audite *Nos ſpem noſtram ſub alis Euangelicæ gallinæ ponamus. Non nobis dicatur, quoties volui, & noluiſti. Illa enim gallina diuina ſapientia eſt, ſed aſſumpſit carnem, vt pullis congrueret. Videte gallinam hiſpidam plumis, demiſſis alis, voce fracta: & quaſſa, & laſſa & languida congruere paruulis ſuis. Ouum ergo noſtrum, id eſt, ſpem noſtram ſub alis illius ponamus. Animaduertiſtis forte quomodo gallina concidat ſcorpionem.* Ergo, fratres, ſi vultis Euangelicam gallinam maternum vobis affectum exhibentem intueri, in cruce pendentem aſpicite Chriſtum, brachia illa expanſa atque exporrecta conſpicite: ipſum latus apertum conſiderate, pectoris intima penetralia patefacta: ſalutem hominum ſitientem recordamini, ac pro ijs deprecantem, à quibus eſt illa nece mactatus. Inde diabolum abigi à Chriſto nolite dubitare, tanquam pullis ſuis timente atque eum arcente, qui inſtar milui rapacis quærit quem deuoret. Denique pullis ſui copiam præbentem dulciſſimè, videte; & nolite illius verba de mente atque ore deponere, quæ diuinum ſuffugium experta dicebat: *Sub vmbra illius quem deſiderabam, ſedi.* Alterius quoque in mentem veniat huc aſpectantis atque inclamantis: *Quoniam tu es refugium meum.* Quo Stephanus cum oculos intendiſſet, quem aliquando patientem, morientemque conſpexerat, eundem regnantem, ſibique ſempiterni regni conſortium fœliciſſimum offerentem aſpexit.

Malach. 4.
Deut. 32.
Auguſt. de verb. Domini ſerm. 29.
Cant. 2.
Pſal. 31.

IN

IN FESTO SANCTI IOANNIS APOSTOLI ET EVANgeliſtæ, Concio prima: de laudibus Ioannis.

Conuerſus Petrus vidit illum diſcipulum, quem diligebat Ieſus ſequentem, qui & recubuit in cœna ſuper pectus eius. Ioan. 21.

QVOD magnus ille patriarcha & ſeruator Aegypti Ioſeph in chariſſimum ſibi præ cæteris fratribus germanum fratrem Beniamin amoris præcipui ſignum cum omnes conuiuio accepiſſet, dedit, id mihi videtur ſalutis autor ac mundi ſeruator Chriſtus erga Ioannem Euangeliſtam multo excellentius declaraſſe in vltima illa cæna, quam ſibi tantopere in votis fuiſſe teſtatus eſt, quamq; non regijs epulis, ſed diuino omnino conuiuio corporis ſui pretioſiq; ſanguinis inſtruxit. Nam cũ cæteri Patriarchæ fratres locis ſuis conſediſſent, parteſq; ſuas accepiſſent ſplẽdidè certè adminiſtratas, vt munificentiam principalẽ decebat, tamen ſunt vehemẽter admirati, quod Bẽiamin, qui erat natu infimus, vſq; eo præ cæteris vberius acceptus eſſet, vt quinque partibus ſuperaret. Neque fortuito id caſu accidit, ſed principis inſigni prouidentia, qui eo pacto quã ſibi eſſet charus vterinus is frater teſtarum voluit. Sic plane ille cæteris beatior ab amante principe cohoneſtatus eſt. At Ioannes noſter multo præclariora amoris in ſe Chriſti eximij pignora tulit, qui accũbenti Chriſto in ipſum pectus accubuit,

1 Ioannes plus cæteris amatus à Chriſto.

Luc. 22.

Gen. 43.

Ioan. 13.

accubuit, illo Domini gremio, quo nihil habet cælum glorioſius, pro ſuauiſſimo ceruicali indulgentiſſimè vſus. Quid ad hanc amoris diuini gloriam accedere poſſit ignoro. Rectè enim Auguſtinus: *Quod autem maius dare potuit Ieſus maioris erga Ioannem ſuæ dilectionis indicium, quam homo cum cæteris condiſcipulis ſuis ſocius tantæ ſalutis, ſolus tamen diſcubuerit ſuper pectus ipſius Saluatoris?* Nam Seraphinos ſupremos ſcilicet, in cœleſti illa curia ſpiritus, ad ipſas deitatis valuas aſſidere. magnus harum rerum autor Dionyſius Areopagita ſcripſit: Ioannes autem non ad valuas aſſidet Dei, ſed in ipſo ſinu recumbit, atque illo pectore fruitur, in quo omnes eſſe theſauros ſapientiæ ac ſcientiæ Dei Paulus confirmat. Qua ex re effectum neceſſario eſt, vt ſapientiæ diuinæ excellentiſſimus cognitor ac præſtantiſſimus prædicator euaderet. Nanque vti dixit Hieronymus fluenta Euangelij de ipſo Dominici pectoris fonte potauit. Quem etiam Auguſtinus memorat inſtar aquilæ in ipſos ſolis fulgentiſſimos radios irreuerberatos fixiſſe obtutos, quippe cum ad intima reconditæ deitatis arcana penetrauerit. Nemo itaque de Chriſti æterna generatione, nemo de diuinitate aut clarius eſt locutus, aut altius, vt merito tonitrui filius ab ipſa veritate ſit appellatus. Hunc inter Apoſtolos Petro ſanctitate parem, inter Euangeliſtas præcipuum, inter Prophetas præclariſsimum Eccleſia ſuſpicit ac veneratur, cuius Euangelio eruditur, epiſtolis inſtituitur, Apocalypſi docetur: quem ſapientię flumine manantem omnes paradiſi accolæ circunſtant, & bibunt.

Aug. tract. 124. in Ioan.

Dion c. 7. de cæleſt. hierarch.

Coloſſ. 2.

Hier. de ſcriptor Eccleſ.

Aug tract. 36. in Ioan.

2 Summũ pignus amoris Ieſu Mariam Ioanni matrẽ aſsignaſſe.

Magnum quidem amoris ſignum pectus Ieſu Ioanni in cœna ſuppoſitum: at non minus eidem Ioanni mater de cruce aſsignata. Amauit Iacob Patriarcha præ omnibus filijs Ioſephum: amoris ſui teſtimonium morientis, inſigne legato aliquo præcipuo præbendum exiſtimauit: itaque loquutus eſt

in hæc verba: *En ego morior: & erit Deus vobiſcum, reducetque vos ad terram patrum veſtrorum. Do tibi partem vnam extra fratres tuos, quam tuli de manu Ammorrhæi in gladio & arcu meo.* Sic ſanè optimus ſenex chariſsimum filium, proprio peculiarique dono, cum animam iam pęne ageret, ornandum ſibi decorandumque duxit. Et noſter veriſsimus parens idemque omnium Dominus, Ieſus Chriſtus, in cruce vltimum ſpiritum ducens, Ioãnem quem ſuauiſsimè amabat, præ cęteris fratribus Apoſtolis tanquam teſtamento condito, præclariſsimo legato auctum locupletatumque reliquit. *Cum vidiſſet*, inquit, *Ieſus matrem & diſcipulum ſtantem, quem diligebat, dicit matri ſuæ. Mulier ecce filius tuus. Deinde dicit diſcipulo, Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam diſcipulus in ſua.* Qua in re duplex exiſtit Ioannis ornamentum & laus. Nam & ſibi ſubſtituit eum apud matrem, & ius matris in eundem tranſtulit. Etenim cum abiret Chriſtus in cælum, filium Mariæ Ioannem haberi voluit, & cum à Ieſu abeſſet Ioannes infinitis ſpatijs, tamen pro ea dulcedine amoris, qua eum proſequebatur vnum inter omnes elegit, qui ipſius & officio cenſeretur, & nomine, cum filius Deiparæ virginis haberetur. Quo honore & gloria, quid poſsit altius reperiri, non video. Qua in re libet recitare ſententiam viri & antiqui, & grauis Petri Damiani verbis ipſius, quæ debetis benignè interpretari ſi videbuntur amplitudine offendere Sunt autem huiuſmodi. *Quouſque poſſunt merita humana prouehi, quaſi meta virtutum factus Ioannes indeſinenter excreuit. Neque enim verba illa; quæ Saluator noſter in cruce poſitus protulit. Mulier ecce filius tuus, ad diſcipulum autem, Ecce mater tua, ſic ſimpliciter accipienda ſunt, vt humano tantum videantur more prolata: ſed prorſus efficacia ſunt, & diuinis virtutibus fulta, atque ineuitabili virtutis autoritate ſubnixa. Sicut enim matri dixit. Hic eſt filius tuus, ita dixit diſcipulis, hoc eſt corpus meũ.*

Gen. 48. — *Ioan.* 19. — *Petrus Damianus ſer. 2. de excellentia Ioannis Apoſtoli.*

Et

Et tantus fuit in illis verbis effectus, vt illico panis ille quem dabat, Dominicum fieret corpus. Dixit enim & omnia facta ſunt, mandauit, & creata ſunt. Ex quadam itaque ſimilitudine, ſi dicere audemus, & beatus Ioannes non ſolum filij potitus eſt nomine, ſed propter verba illa Dominica quoddam maius neceſsitudinis ſacramentum apud beatam Virginem meruit obtinere. Conſideremus itaque dilectiſſimi quantæ gloriæ vir iſte credendus eſt, qui per quoddam adoptionis arcanæ myſterium & filius virginis, & frater eſt Saluatoris. Hæc omnia Petrus Damianus Cardinalis & Epiſcopus Hoſtienſis: quæ pio ſenſu vt dixi, accipi debent. Neque vero ſine magna ratione Ioannem potiſſimum ſibi Ieſus ſubſtituendũ putauit: quod & mente eſſet puriſſima, & corpore

Apoc. 14. virginitate integerrima. *Hi enim ſequuntur agnum quocunque ierit: virgines enim ſunt.* Ergo agno ſimillimus agni & nomen & officium hæreditate cepit. Iam illud præcipuum munus, quod Mariam in bonis numerare Ioanni licuit, (ex illa enim hora accepit, inquit, in ſua) illud, inquam, præcipuum munus, neſcio an ipſis cæleſtibus poteſtatibus inuidioſum fuiſſe dicam. Quid enim illi principes beati habent, quo perinde glorientur ac Mariam Dei genetricẽ

Pſal. 44. ſibi eſſe datam Reginam & Dominam, *Etenim vultum eius, vt habet Pſalmus. omnes diuites plebis deprecantur.* Omnes inquam ciues cæleſtes, omnes principes, omnes illius imperij ſempiterni proceres Mariam ſuſcipiunt, Mariam venerantur, Mariam Reginam, Dominam, vnicum patriæ cæleſtis ſalutant lumen & decus. At hanc eandem Mariam tantam, quanta infra Deum res nulla exiſtit, hanc omnino Ioannes de manu Chriſti omnipotentis ſibi datam accepit iure matris, hanc in ſuis ponit, hanc in bonis numerat. Ac Ioſepho quidem fideli omnia Dominus eius cùm permiſiſſet, exceptam voluit dominam ipſius, quod is ſapien-

ter

ter fideliterque commemorabat, cum importuna poſtulata propulſaret, *Ecce Dominus meus omnibus mihi traditis, ignorat quid habeat in domo ſua, nec quicquam eſt quod non in mea ſit poteſtate, vel non tradiderit mihi, præter te quæ vxor eius es.* At Ioanni apud Chriſtum altior gradus amicitiæ fuit, maior omnino fidei teſtificatio, qui quam matrem habebat rerum omniũ chariſſimam, eam propriè eodem iure communicato tribuerit. Quid igitur exceptum ei eſſe poſſit, cui rerum domina non precario, ſed teſtamento ipſa morte ſtabilito legata eſt? Quod ſi ad Ieſum per Mariam aditus patet, quis dubitet ad Mariam nobis eſſe per Ioannem patefactum?

Gen.39.

Duobus à me commemoratis amoris Chriſti in Ioannem documentis, etiam tertium addendum eſt: quod arcana alijſque omnibus celata vni huic communicare ſolitus ſit, vſque eo, vt ſi quid cognoſcere quiſpiam ſecreti de Ieſu cuperet, Ioannem adhiberet internuntium eius rei quam ſibi patefactam vellet. Id quod vellet in eo facto dilucidè apparet, quod hodiernum inſinuat Euangelium. *Cum vidiſſet Petrus illum diſcipulum, quem diligebat Ieſus, qui & recubuit in cæna ſuper pectus eius, & dixit, Domine quis eſt qui tradet te?* Non enim me dicere eſſe amoris ſignum putauit, quod cum ea eſſet fiducia, vt Chriſtum de re omnibus alijs celata rogare ſit auſus, tum eo amicitiæ gradu, vt non impetrari, quod peteret dilectus diſcipulus, amantiſſimus magiſter nulla ratione paſſus ſit. Id quomodo acciderit, ipſe Ioannes his verbis refert. *Erat ergo recumbens vnus ex diſcipulis eius in ſinu Ieſu quem diligebat Ieſus. Innuit ergo huic Simon Petrus & dixit ei, Quis eſt de quo dicit? Itaque cum recubuiſſet ille ſupra pectus Ieſu dicit ei, Domine quis eſt? Reſpondit Ieſus, ille eſt cui ego intinctum panem porrexero. Et cum intinxiſſet panem, dedit Iudæ Simonis Iſcariothæ.* Quæ narratio dulciſſima

3. Secretorũ Ieſu maxime conſcium fuiſſe Ioannẽ.

ciſſima eximiam præſefert ac ſumoperè familiarem Ioannis cum Ieſu conſuetudinem. Primum enim ea erat tanta, vt Petrus Apoſtolorum primus, ſibi quod minus fideret, Ioanni interrogãdi munus imponeret. Deinde Ioannes ipſe nihil dubitauit Chriſtum ſciſcitari, quod celatum cæteros omnes videbat. Poſtremo opinione minimè eſt ſua deceptus, cum aperto facto occultum indicium Chriſtus Ioanni ſoli tribuerit. Nam cætera documenta, vbi Chriſtus non omnibus, ſed quibuſdam ſigillatim lectis quippiam aut rei aut ſermonis impertijt, percenſere modo non attinet. Illud conſtat, nihil alijs fuiſſe ſecreti communicatum, quod non acceperit Ioannes:
Marc. 13. ſiue enim in monte Thabor transfiguratus, ſiue ad Iairi filiam ſuſcitandã ingreſſus, ſiue in horto Gethſemani precaturus ſeceſſerit, inter tres vnus Ioannes: ſiue etiam de extremo iudicij die & aduentu ſuo verba cum faceret, inte quatuor vnus Ioannes: denique in cœna in proditore indicando vnus ſingulariſque Ioannes. Atque id quòd amplius mireris, adijciam: ſi quando diſcipulorum aliquis diſcere quippiam voluit ex Chriſto, quod Ioãni renunciaret, minime rem quã voluit aſſecutus eſt, Chriſto nimirũ minime ferente ſecretum Ioanni non à ſe, ſed ab alio aperiendum exiſtimari: quæ ſumma eſt ſingulariſque eximiæ amicitiæ ſignificatio. Quam rem hodierno facto perſpicere profecto poteſtis. Dixerat Petro Chriſtus, *Paſce oues meas*, adiunxerat, *ſequere me*. Petrus conſilium de ſe Chriſti aſſecutus, de Ioanne quæſiuit, quod & illum amaret, & de ſe non audere interrogare, putaret: quare vicem reddendam condiſcipulo exiſtimauit, à quo in cœna de proditore officium acceperat. Itaque ſe exiſtimans apud Magiſtrum in familiaritatis amplioris gradum admiſſum, pro Ioanne ſciſcitatur, *Hic autem quid?* Rem ſe gratam Ioanni facere, vt præclare argumentatur Chryſoſtomus

ſtomus, arbitratus. Non tulit id ſcilicet Chriſtus: neque Ioannem per Petrum diſcere de ſe dignum iudicauit. Itaque & aſperius, Petrum inrerrogantem accepit, & omnino quod interrogabatur, cælauit. *Quid ad te?* inquit, *tu me ſequere. Oſtendens* ait Chryſoſtomus, *quod quantalibet dilectione Ioannem proſequeretur, ſuam aſſequi non poſſet.* Atqui Ioannem quærentem de proditore, Domine quis eſt? non repulit Ieſus, non dixit. Quid ad te? Et certe magis ad Petrum pertinebat cognoſcere de Ioanne, quam ad Ioannem de Iuda Iſcariota. Sed vt dixi ſingulare id extitit amoris Chriſti in Ioannem documentum. Vt enim Rex parens pro filio principe quenquam vel ſuſcitantem vel deprecantem moleſtè, grauiterque latutus ſit, ac tanquam ruſticanum à ſe repulſurus, quod ſe Regi præ filio magis familiarẽ præ ſe ferat, ita Petrum pro Ioanne rogãtem Chriſtus durius accipiẽdum putauit, quod ad ſummi in Ioannẽ amoris indicium valet. Id quod inſinuate prudenter, ſed modeſte Ioannes volens, illo tam longo circuitu vſus eſt verborũ: *Conuerſus Petrus vidit illũ diſcipulũ quẽ diligebat Ieſus, ſequentẽ: qui & recubuit in cœna ſuper pectus eius & dixit Domine, quis eſt qui tradet te? Hunc ergo cum vidiſſet Petrus, dicit Ieſu, Domine, hic autẽ quid?* Quæ profecto eius diſcipuli per quam honorifica cõmemoratio alieno, vt apparet, loco, ſuperuacanea videri poterat, niſi tacitè inſinuaret Ioãnis erga Chriſtum amicitiæ gradum pręclariſſimum nullo modo obſcurandum Domino viſum. Qui ergo Petro minime indiguit, & quo ipſi Petro opus fuit internũcio ad Domini arcana cognoſcenda, eum iure amicitiæ familiariſſimæ erga Ieſum, omnibus Apoſtolis antelatũ, perſpicuè literæ nos ſacræ docent. Ac quanuis cæteros alloquẽs omnes Chriſtus ſic cohoneſtarit. *Vos autẽ dixit amicos, quoniã omnia qua audiui à Patre meo, nota feci vobis* tamen gradu quodam al-

Chryſoſt. homil. 87. in Ioannem.

tiore, & hic amicus Ieſu habitus eſt, & excellentius diuinorũ ſecretorũ cognitione donatus, vſq; adeo vt Hieronymus de eo ſcribat: *Hæc arcana & hæc myſteria ſancta ſunt Domino, quæ nouerat Euangeliſta Ioãnes, qui auſus eſt dicere, quod Angeli forſitan neſciebant. In principio erat verbũ, & verbũ erat apud Deum, & Deus erat verbũ. Et idcirco amatus à Domino, quia optimũ habebat profundũ, & recubuerat ſuper pectus Ieſu, vnde & hauſerat ſapientiã.* Vt non ineptè quod de quodam cum offi-cia palatij recenſentur, amicũ Regis Salomonis Scriptura commemorat, idem de Ioãne dici queat, proprium ac peculiare munus fuiſſe, amicum eſſe Ieſu.

Hier. li. 3. in Zach. in c. 14

3. Reg. 4.

4 Feliciſſimũ omniũ amari a Ieſu, quod fuit Ioanni proprium.

Sed quanquam eæ quas dixit magnæ profectò laudes Ioannis præclara ſunt ornamenta, tamẽ vincit & ſuperat eas omnes laudes, ratio & origo vnde eæ profectæ ſunt, amor ipſe Ieſu, quo tanquam proprio titulo & nomine inſignitus eſt, diſcipulus quem diligebat Ieſus. Hic enim voce Ioannes appellari ſolet, neque alius vnquam niſi Ioannes, quod tam excelſum ac diuinum eſt nomen, vt cogitari ſupra nihil poſſit. In rebus quidẽ humanis nulli apud Principem locus amplior & illuſtrior, quam ei, quem Princeps amicum habet. Eſt enim amicus alter ipſe. Et quem amicitia vera proſequaris, eum tibi parem facias, neceſſe eſt. Nihil animus habet quod det excellentius, amore: cui cætera tribuat omnia, ſi amorẽ non tribuat, non beneficia ſed exitij argumẽta dediſſe putari debet. Ex amicitia bona omnia manant, neque fieri poteſt, vt ſi amicus ſit potens, non ſit potentia ad vota procliuis. Plato ſane ſcribit. Amorem à nullo hominum eſſe pro dignitate laudatum. Quem idem & Ariſtoteles de Parmenidis ſententia dicunt, antiquiſſimum fuiſſe Deorum. *Cum autem antiquiſsimus ſit*, ait Plato, *maximorum bonorum nobis autor eſt* Quod ſi apud mortales, ita ſapientes cẽſent, nihil amore maius & amplius à quo-

Plato in ſympoſio ſiue de amore.

quam

quam tribui poſſe, & ſunt tamen mortalium res omnes futiles, vanę, inanes, amorque ipſe vmbratilis & imbecillis: quid erit de diuino amore ſentiendũ? quid prædicandum de eo, quem ſingulari ratione Deus amet? Omnino eſt res tanta, vt nequeat maior intelligi. Ipſe Deus charitas eſt. Itaque cui amorem ſuum impertit, eodem gradu modo deitatem communicet neceſſe eſt. Et cui Deus ſe ipſius tribuit, quid reliqui eſſe poteſt, quod non pariter tribuat? Huius dilectionis gloria eſt & magnitudo tanta, vt præ illa quęcunq; vel terra continentur, vel ipſo cęlo, ſint cætera omnia nihili, ſi modo diuinæ literæ non fallant, quæ amoris diuini laudem ad eum modum prædicant: *Si dederit homo vniuerſam ſubſtantiam ſuam pro dilectione, quaſi nihil deſpiciet eam.* En quãti facienda ſit diuina dilectio. Nã eſt illud certum atque perſpicuum, quem Deus diligat, ab hoc etiam diligi Deũ, ſiquidẽ ipſe dixit. *Ego diligẽtes me diligo.* Vt enim Spiritus ſanctus eſt Patris & filij amor, vtriuſque arctiſſimus nexus, ſic mẽtes quas Deus amore ſibi adiungit, mutuo amãtes cõtinuo efficit. Ac Hieronymus plane pro virginitate pugnãs, videtur ſanctitate Ioannẽ pręferre Petro. Chryſoſtomus & Cyrillus propter raras virtutes ac præcipuã puritatẽ tum animi, tum corporis omnibus eſſe Apoſtolis prælatum Ioannem ſentiunt. Auguſtinus Petro ſanctitate Ioannem pręſtitiſſe non audet definire. Stant ſane ſua merita ſanctis, quę Deus qui contulit, nouit. Ac priuilegio dulciſſimi amoris Ioannẽ cæteris fuiſſe pręlatum, dubitare certè non poſſumus. Quæ fuit ratio & cauſa præcipua, cur Ioannes noſter de charitate vbique tam copioſe, tam ardenter verba faceret. Velut enim diuina charitate ſaucius, totuſq; quantus erat, illo amore inflammatus atque ardens, nihil poterat dicere, nihil agere quod non charitatem redoleret, charitatem perſonaret, charitatem

Ariſt. 1. Metaphyſic.

Cant. 8.

Prou. 8.

Hieron. lib. 1. aduerſus Iouin. c. 14.

Cyril. lib. 9. in Ioan. c. 15.

Chryſoſt. ho. 71. in Ioannem.

Aug. tract. 104. in Io.

exprimeret. Felix es amicitia Ieſu ô Ioannes, neq felix ſolummodo ſed etiam potens, cui ſit proci & facile quidquid placuerit, ea tali tantoque ami impetrare.

IN EODEM FESTO

CONCIO SECVNDA, DE LECTIONE Euangelica.

Dixit Ieſus Petro, Sequere me. Ioan. 12.

1 Quid ſit ſequi Chriſtũ: & quæ paſtoribus propria ratio ſit ſequendi.

SI quæ lectionem hodiernam Euangelicam proxime antecedunt reperamus, facile intelligemus, quorſum pertineat, quod modo audiuimus Chriſtum dixiſſe Petro, ſequere me. Cũ enim ouium eum ſuarum Chriſtus paſtorem conſtituiſſet, atque pro ipſo mortem oppetendam aliquando, denuntiaſſet, quæ eſſet vtriuſque rei ratio, quis modus hiſce verbis indicandum putauit. *Sequere me*. Illud ſine dubio oſtendens, exemplo propoſito ſuo, Petro pro ouibus non ſolum eſſe vigilandum, ſed demum etiam moriendum. Etenim Chriſtus paſtorem ſe bonum demonſtrauit, quod & oues diligenter paſceret, & vitam eis ſuam libenter impenderet. *Ego*, inquit, *ſum paſtor bonus: bonus paſtor animam ſuam dat pro ouibus ſuis*. (*Ioan.* 10.) Quod ſane faciendum Petro, quem paſtorem vniuerſi gregis dominici deſignarat, atque eo modo ſe eſſe ſequendum, perſpicuum fecit. Ac primum omnibus quidẽ generatim Chriſtus edicit, vt ſequantur. Turbas enim alloquebatur, cum dixit. *Si quis vult venire poſt me abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam & ſequatur me.* (*Matth.* 16.) Deinde

ijs,

iis, qui diſcipuli fieri Chriſti amant, & perfectionem Euangelicam ambiunt, peculiari ratione Chriſtum ſibi eſſe ſequendum denunciatum eſt, quando illi adoleſcenti qui ſe ſeruaſſe mandata Dei non falſo profitebatur, Dominus dixit: *vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia quæ habes: & da pauperibus, & veni ſequere me.* Sed petro poſtremo omnium iam paſtori creato, ſingulari & præ cæteris proprio modo imperatur à Chriſto, vt ſe ſequatur. Quid ita? Nempe debent fideles omnes ſequi Chriſtū imitatione factorum, quidquid eius eſt præceptis contrarium, poſthabentes vni Chriſto. Id Petrus omnes admonitos vult his verbis: *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt ſequamini veſtigia eius; qui cum malediceretur non maledicebat.* Nam qui non Chriſtum ſed ſuas ſequitur cupiditates, mundique vanitatem, is ſaluus eſſe non poteſt. Hoc igitur ad omnes Chriſtianos dictum pertinet. Sed ſunt inter hos, qui peculiari ratione Chriſti ſectatores cenſentur, viri religioſi, quique perfectioris vitæ normam profitentur. Etenim non præcepta ſolummodo ſed conſilia quoque Euangelica ſibi obſeruanda proponunt: paupertatem Apoſtolicam relictis fortunis omnibus ſeruant: caſtitatem ac cœlibatus ſanctitatem tenent, vt agnum puriſſimum puri aſſequātur: huius ſæculi curas licentioriſque vitæ delicias abijciunt, ſeipſos præfecto regendos ſpirituali tradentes. Quorum perſonam Petrus gerens aiebat Chriſto, *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te: quid ergo erit nobis?* Enimuero paſtores Eccleſiæ propoſiti longe altiori gradu ſequi Chriſtum imitarique iubentur. Neque ſolum bona externa, aut corporis voluptates pro Chriſto relinquere, ſed vitam ipſam & ſanguinem profundere, cum ouibus Chriſti opus eſſe perſpexerunt, pro paſtorali munere debent. Atque id eſſe prorſus liquet, vt Patres tradunt præſer-

Matth. 19.

1. Pet. 2.

Matth. 19.

Beda hom. tim Beda & Eutymius quod Chriſtus ſequi ſe Petrũ
7. hyemal. iubet. Cuius officij non immemor præſtantiſſimus
Eutym. in paſtor Paulus dicebat: *Ego autem libentiſſime impendã,*
comment. *& ſuper impendar ipſe pro animabus veſtris, licet plus vos*
2. Cor. 12. *diligens, minus diligar à vobis.* Audiant hæc & diſcant
Epiſcopi, quorum non intereſt ſolum fortunas co-
piaſque ſubditorum egeſtati dare, ſed etiam caput
ipſum, ſi res poſcat, certiſſimo diſcrimini offer-
re. Idque ſi Paulum imitari volent, libentiſſimè,
ac nullo ouium amore (quod eſt valde difficile)
prouocati agent. Ea eſt charitatis perfectæ ratio.
Ioan. 21. Cum vellet gregi ſuo præficere hominem, *Petre,* in-
quit, *amas me plus his?* Neque enim eſſe incipien-
tium charitas debet, neque vero proficientium me-
diocritatis eſt: omnino perfectorum tertio altio-
reque gradu charitatem prælati teneant, neceſſe eſt,
ſi officio pares eſſe cupiant: qui cum rebus cæteris,
tum maximè patientiæ eximiæ, & amoris erga ſub-
ditos ſummi præclara documenta præbere debent.
1. Pet. 4. Quare idem hic Petrus cum ſcripſiſſet, *Qui patiun-*
tur ſecundum Dei voluntatem, fideli creatori commen-
1. Pet. 5. *dent animas ſuas in benefactis*: è veſtigio adiunxit:
Seniores ergo qui in vobis ſunt, obſecro conſenior & te-
ſtis Chriſti paſſionum, qui & eius quæ in futuro eſt,
gloriæ communicator, paſcite qui in vobis eſt gregem Dei,
prouidentes non coactè: ſed ſpontaneè ſecundum Deum, ne-
que turpis lucri gratia neque vt dominantes in cleris; ſed
forma gregis facti ex animo. Quam epiſcopalis gradus
rationem perpauci tenent, dignitate & honoribus
& opum magnitudine Epiſcopatum definientes,
non patiendi neceſſitate, & cæteris vitæ exemplo
præeundi: quæ eſt profecto veriſſima eius muneris
definitio. Eam Petrus vſque ad vltimum vitæ ſpiri-
tum obnixè tenuit, imo vero corpore depoſito ſibi
2. Pet. 1. deponendam non putauit, qui ſcripſerit: *Dabo au-*
tem operam, & poſt obitum meum frequenter habere vos.

Adeo

Adeo quod Chriſtus iuſſit, accuratè exequutus eſt, vt Chriſtum ſequeretur.

Conuerſus Petrus vidit illum diſcipulum.

Quid hoc rei eſt? Intempeſtiua profectò actio. Cum iubetur Petrus vltra progredi, retrorſum conuertitur: & qui Chriſtum aſpicere & ſequi debebat, in amicum potius Ioannem oculos curamque deflectit. Sic planè vſu venit: atque vtinam non id frequentiſſime fieret. Simul atque creatus eſt quiſpiam Epiſcopus aut Præſes Eccleſiæ, oculos conuertit ad ſuas res. Neque deeſt ferè vel nepos vel conſanguineus aliquis, cuius cura ſtudioque teneatur, illud identidem cogitans. Hic autem quid? Quid inquam dignitatis, & opum in eum conferat, quibus modis diteſcere, quibus poſſit ad familiæ gloriam propagandam in ſummum faſtigium honorum euehi. Rem prorſus miram, ſed certam, quo tempore Petrus paſtor noua præfectura cumulatus de Chriſto aſſectando impenſius cogitare debet, eo tẽpore de Ioannis amicitia & ſocietate retinenda laborat amplius. Atqui nõ ita inſtitutę diuinitus ſunt præfecturæ Eccleſiaſticæ, Epiſcopatus, Abbatiæ, dignitates cæteræ, vt conſanguinei dicentur, vt caro & ſanguis ſibi vſurpet & rapiat, quod Chriſti patrimonium eſt, & pauperum ſalus. Bernardus rem deplorat his verbis: *Pauci admodum ſunt, qui non quæ ſua ſunt quærunt, ex omnibus charis eius (loquitur vero de Eccleſiæ præpoſitis) Eccleſia pauper, & inops & nuda relinquitur, facie miſeranda, inculta, hiſpida, exangui. Propter hoc non eſt hoc tempore ornare ſponſam, ſed ſpoliare, non cuſtodire, ſed perdere, non eſt paſcere gregem, ſed mactare & deuorare.* Plura ille perſequitur: hæc ſint ſatis, longe aliter ſeſe Paulus comparabat ſtatim atque diuinæ vocationis lumen accepit, qui ita ſcribit: *Complacuit ei, qui me ſegregauit ex vtero matris meæ, & vocauit per gratiam ſuam, vt annunciarem*

2 Non eſſe oculos a Chriſto deflectendos in carnem & ſanguinem.

Bernar. ſer. 77. in Cant.

Galat. 1.

filium eius ingentibus, continuo non acquieui carni & ſanguini. Id ſcilicet Deus valde admonet, vt qui ad diuina munera vocantur, carnem & ſanguinem prorſus de mente ac cogitatione deponant. *Qui mittit manum ad aratrum, & reſpicit retro, non eſt aptus regno cælorum.* Aiebat Dominus. Idemque alias, *Memento te vxoris Loth.* Conuertere nimirum oculos atque in poſteriora reſpicere, minime conuenit. Sed eſt res neſcio lugenda ne an ridenda potius, frequens certe & vſitata, hominem cum verſaretur in ſæculo, ſuorum vix memorem, nihil de fortunis, nihil de ſtatu augendo curare: eundem ſacerdotio initiatum, aut monachali habitu indutum non poſſe à conſanguineis ſibi temperare, eorum negotia ſemper gerere, ſe vnum ijs curandis obnoxium obligatumque putare. Baſilium magnum ſapienter de ea diſſerentem audire præſtat, qui inter cætera ſic loquitur: *Diabolus: cum omnes nos de rebus vitæ huius: curas exuiſſe animaduerterit, in hoc laborat, vt cum animum noſtrum in propinquorum recordationem reduxerit, eo ſenſim adducat, vt rationibus illorum curandis, mentem noſtram ad ſuſcipiendas vitæ huius ſolicitudines impellat, vt res propinquorum curæ ſit. Prauas denique omnes de rebus huius vitæ affectiones denuo in animum nobis reducit: quo depreſſo rerum ſecularium cogitatione, internum monachum perimit, Fit hinc vt velut ſtatua, ſit monachus, quæ ſolam monachi figuram circumferat, nimirum quæ nuſquam virtutibus ſit animata. Intellecto igitur intolerabili detrimento, quæ ex animi erga propinquos noſtros affectione nobis naſcitur, ſolicitudinem de illorum rebus, vt diabolicum telum fugiamus.* Quam ſane diuinam ſuam ſententiam Euangelicis teſtimonijs Baſilius confirmat, quæ ſunt à nobis prolata. Ergo qui diuinæ functioni aſcriptus eſt, cæteras omnes abijciat Heliſæus ſane cum puerum Giezi baculo ſuo inſtructum ad excitãdum mortuum

Luc. 9.

Luc. 12.

Baſil. conſti. monaſ. c. 12.

mortuum miſit, diſertè præcepit, ne in via oculos quoquam deflecteret, neve obuium aliquem ſalutaret. Adeò totum corporis iniuncti magnitudine intentum, anxiumque volebat. Reuera cui baculus ille paſtoralis ab Eliſæo, id eſt, ſummo Pontifice traditur, tãtopere commiſſi ſibi officij memorem ſolicitumque oportet præſtare, vt ne deflectendi quidem ſibi alio oculos, neve cum aliquo fabulandi poteſtatem relictam exiſtimare debeat. Nam eodem precepto Chriſtus diſcipulos cum Euangelizatum mitteret informauit. Petrus ſequi iubetur Chriſtum: ne oculos ergo deflectas à Chriſto. *Matth.* 10.

Domine hic autem quid? Amabat Petrus Ioannem, cum perſæpe ſocium ſibi adiunctum meminerat, ſiue cum parandæ inſtruendæque cœnæ nouiſſimæ miſſi ſunt, ſiue cum de Maria Magdalena reſurrexiſſe Chriſtum audierant: ſiue quoties tres myſterio alicui cernendo delecti eſſent à magiſtro diſcipuli, Petrus & Ioannes in tribus duo erant, quod poſt Domini quoque aſcenſum in cœlos etiam ſeruatum eſt, vt Petrus & Ioannes in templum ſimul irent cum paralyticus verbo ſanatus eſt, ſimul à magiſtratu & interrogarentur, & pro Ieſu cæderentur: ab Apoſtolis ipſis ſimul in Samariam Philippi diaconi prædicatione commotam, rei Euangelicæ gerendæ gratia mitterentur ijdem Petrus & Ioannes. Ergo pro eo iure amicitiæ tanto, cum Petrus & officium paſtorale, & mortis genus denuntiatum ſibi à Domino cognouiſſet, putauit non differendũ quin de coniunctiſſimo amico rogaret, quem vt erat expertus fidiſſimum, ſic indiuulſum à ſe cupiebat, atque cum muneris impoſiti tum mortis glorioſæ comitem optabat. Eam fuiſſe Petri mentem, cum animum cum de Ioanne quæſiuit, *Hic autem quid*: Ioannes Chryſoſtomus commendatur, mea quidem ſententia veriſſime. erat igitur ab amicitia *Chryſoſt. in*

5 Petri amorem in Ioannem à Chriſto reformatum.

ptofectum officium: ſed erat amicitia ipſa adhi vulgaris & humana. Ad aliud amicitiæ genus v cabatur à Chriſto, altum ſcilicet, cœleſte, di num, quod non corporalem præſentiam magn pere deſideraret. Deinde cui erat creditum toti Eccleſiæ munus, commune omnium bonum, n ſuum peculiare cogitare debebat. Denique tanta rat res quam gerere iubebatur, in vnum vt Ch ſtum atque iniunctum ſibi ab eo negotium cura ſtudium & opera omnis conferenda eſſet, ſi on par eſſe vellet. Hoc tam robuſtum, & ab omni h manitatis ſenſu nudatum pectus, ſacerdotali o cio requiri Scriptura declarat, cum Leuiticæ t bui, quæ erat ſacerdotalis, Moyſes benedicens,

Deut.33. loqueretur: *Qui dixit Patri ſuo, & matri ſuæ, Neſcio v & fratribus ſuis, Ignoro illos, & neſcierunt filios ſuos. cuſtodierunt eloquium tuum, & pactum tuum ſemina runt, Iudicia tua ò Iacob: & legem tuam ò Iſrael: pon thimiama in furore tuo, & holocauſtum in altari tuo. nedic Domine fortitudini eius, & opera manuum eius cipe.* Ob eas res quas commemoraui omnes, feru tior Petri oratio pro Ioanne repulſa à Domino & tanquam immoderatior conatus reprehenſu caſtigatus his verbis: *Quid ad te? tu me ſequere.*

4 Curioſitas reprehenſa.

Sed liceat mihi modo, Domine Ieſu, pro Pe tantiſper diſputare, atque ex teipſo quærere, cur ciputi pro diſcipulo ſtudium retundendum exi maris. Quid ad te? ais Domine Petro. Ego vero q ram, quiſnam ſit ille præceptor, qui ſuis edixe

Ioan.13. *In hoc cognoſcent omnes quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilec nem ad inuicem habueritis.* Nonne hoc eſſe maxim ſignum ſanxiſti tuorum, ſi mutuo inter ſe ame Et dicis, quid ad te? Num ipſe non es ita pro tuis trem cæleſtem præcatus; *Vt ipſi vnum ſint, ſicut eg*

Ioan.12. *tu vnum ſumus.* Et dicit, Quid ad te? Nonne pr

Matth.22. mum diligendum vnicuique ſicut ſeipsũ præcipi

Et dicis, Quid ad te? Is igitur qui Petro eſt & proximus, & condiſcipulus, & indiuiduus comes, non pertinebit ad Petrum? non eius cura ſtudioque excitabitur, vt quid de eo agatur, cognoſcere cupiat? Et tamen ſeuerè dicis, Quid ad te? Phariſæorum ac Scribarum ea reſponſio fuerit aduerſus Iudam proditionis reum: *Quid ad nos? tu videris.* At Petro pro Ioanne fideliſſimo ſciſcitanti quo pacto referri poſſit, Quid ad te? An Petri de Ioanne cogitatio, cura, ſtudium, amor denique ardens vituperandus eſt? Minime vero. Neque Chriſtus amorem reprehendit, ſed modum. Idque & ſapienter & iuſte: tribus omnino de cauſis. Primum enim nonnulla curioſitas, vt Cyrillus cenſet in Petro eſt reprehenſa occulta futura ſciendi, quæ Deus ſuæ ſcientiæ reſeruari voluit. *Quoniam curioſa magis quam vtilis,* ait Cyrillus, *alienarum rerum inquiſitio eſt, reſpondet quidem Dominus, ſed ita vt rogantis animum abducat ad alia. Quid ad te? Audiſti Petre, quæ ad te pertinent: cur aliena quæris? cur diuinæ iuſtitiæ ſecreta rimaris, non erit ergo prudens curioſus.* Quare etiam Apoſtolos de regno Iſraelitico curioſius ſciſcitantes duriuſculè Dominus compreſsit illa ſententia: *Non eſt veſtrum noſſe tempora vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate.* Quid hic agent. qui futurorum prognoſtica vaniſsime profitentur, quæ imperitæ multitudine mendacia cariſsime venditant. Quo tempore ſit tibi occumbēdum, quo mortis genere, an coniugatus, an fælix, beatusque futurus. Rem ſane pudendam. ab imperitis imperitos multo precio decipi. Quin potius Sapientem audi ſapienter admonentem, *Quæ præcepit tibi Deus, illa cogita ſemper: & in pluribus operibus eius ne fueris curioſus.* Vtrum ille vel ille futurus ſit Pontifex: quid ad te? Vtrū facio popularis à ſenatoria pręualitura? Quid ad te? ſalutis curā age, vt ſalu' ſis enitere.

Matth. 27.

Cyrill. lib. 12. in Ioan. cap. 66.

Act. 1.

Eccleſ. 3.

Non

Non eſt exigua res, quæ incumbit, nugas prætermi-te, tuum negotium diligentius gerito. Noli la-miæ poeticæ ſimilis videri, quam aiunt oculos ſibi eripere, cum domum ingreditur, eoſdem cum foras exit repetere atque induere ſibi: ita res alienas perſpicaciſſimè videre, ſuas domeſticas ignorare. Quibus eſſe ſimillimos curioſos Plutarchus ſcitè confirmat.

Plutarchus in libello de curioſitate vitanda.

5. Nullam ob rem ab officio paſtori ceſſādum.

Ambroſ. vltimo lib. in Lucam.

Altera reprehenſi Petri cauſa extitit, quod cum videretur ſummopere amare Ioannem, ſui potius more ductum ſapientia diuina vidit. Neque enim crucem ſibi ſoli cupiebat, ſed ſocium ſibi dari Ioannem ſtudebat. Eum Petri ſenſum etiam Beatus Ambroſius aperit his verbis: *Denique poſt tentationem præſumptionis ſuæ Petrus iam non audet voluntatis perſeuerantiam polliceri, ſed quaſi ad ſolatium ſui conſortium quærit alterius*. Quibus verbis ita humilitatem Petri cōmendat Ambroſius, vt infirmitatem prodat etiam quandam, ſolatium in morte ex Ioannis ſocietate quærentis. Itaque non erat penitus ſyncera amicitia, cum Ioannis rem non ſolummodo curaret, ſed ſuam etiam impenſius ageret. O perſpicacem diuini oculi intuitum, quem profunda atque ima cordis non fugiunt. Propterea alia via Ioanni inſiſtendum ſignificat Chriſtus: neque Petrum à ſequendo Chriſto ſolitudine deterrendum. *Tu me ſequere*, inquit, Ac ſi diceret, ſiue Ioannes eat, ſiue ſtet, non eſt tibi morandum: tu ſequere, conſortio non opus eſt. Maneat ille vel ille, maneat: tibi properandum eſt, & veſtigia Chriſti accuratè legenda. Omnino liber ab omnibus impedimentis crucis baiulus eſſe debet. Ezechielem vxore chariſsima ſpoliatum diuinus ſermo lugere prohibet, prophetare ſtudioſè præcipit. Pontifici ſummo lex edicit, vt ſiue amicus ſiue conſanguineus perierit, nihil curet, nihil defleat, neque pontificia ornamenta deponat, Nazareno etiam

Ezech. 24.

Leuit. 21.

iam in patre aut matre mortua pollui & ſordidari prohibitum, Erat creatus Pontifex Petrus: nihil iam amici aut cognati funus curare oportebat: Nazarenus Chriſto deuotus: ne propter parentes quidem amiſſos mœrere debebat. Iam illa tempora amicitiæ dulcioris abierant. Iam Ioannis delitiæ ceſſarant, ſolus Chriſtus cordi, pura crux Chriſti amplectenda ac ferenda: officio iam, non amicitiæ ſeruiendũ. Talem ſe Paulus gerebat, qui ſentiebat & ſapiebat ſolummodo Chriſtũ. *Mihi*, inquit, *viuere Chriſtus eſt*. O ſi tales nobis Epiſcopi darentur, tales Eccleſiæ paſtores plurimi, non ſua, ſed quæ Chriſti ſunt ſatagentes. *Numer. 8.* *Ad Phil. 1.*

Tertia eſt cauſa Patri reprehenſi, Ioanni voluiſſe fauere tanquam ſi internuntio indigeret, vt ex Domino de ſe cognoſceret, quæ cuperet, ſed minus auderet interrogare. Itaque aperta Petri reprehenſio, fuit non obſcura laudatio Ioannis. De qua re quoniam alias ſatis diximus, nihil adijciendum modo arbitramur, niſi quod diuerſa eſſe dona Dei ea oratione Chriſtus oſtendit, cum Petro vt ſe ſequeretur per paſſionem crucis conceſsit, Ioanni vt ſic permaneret, dedit, id eſt, ſine acerbitate cruciatuque mortis migraret ad Chriſtum: Id enim illa oratione. *Sic eum volo manere donec veniam*, accipiendum, quanuis multi ſecus opinentur, ſuadent hiſtoriæ de eius apud Epheſum migratione cōſcriptæ: quomodo Beda & gloſſa, & beatus Thomas accipiunt. *Vnuſquiſque* ait Paulus, *proprium donum habet ex Deo, & alius quidem ſic*. Et *Vnicuique noſtrum data eſt gratia ſecundum menſuram donationis Chriſti*. Igitur ipſum ſine martyrio mori: quibus diuina ſapientia ita congruere nouit, donum eſt Dei, & nihil amplius homini præſumendum, quam quod diuinitus tribui animaduertat. Guſtauit quidem calicem Chriſti, bibitque Ioannes, vincula, verbera, olei feruentis ſupplicium

6. Ioannis priuilegiũ iam à mortuis excitati. *1. Cor 7.* *Epheſ. 4.*

cium, exilium, prolixum expertus eſt: impletum eſt illud Domini verbum. *Calicem quidem meum bibetis.* Cæterum vitam fuiſſe martyrio, non eſt datum: mortem, cuius eſſe ſolet acerbiſſimus ſenſus tanquam ſomnum dulcem cepiſſe datum. Præterea non animo ſolum ſed corpore etiam iam viuere Deo, datum: idque videri forſitan poteſt à Chriſto ſignificatum cum dixit, *Sic eum volo manere donec veniam*, tanquam in corpore & animo totum in Chriſti aduentum inueniendum innueret: quod diſcipuli partim bene intellexerunt, partim non bene. Nam ſignificaſſe Dominum immortalitatem Ioannis ante aduentum extremum cum omnes induent incorruptionem, non falſo profecto Apoſtoli exiſtimarunt: at id propterea futurum, quod mortem obiturus nunquam eſſet, non recte diſputabant, cum inter eos ſermo manaſſet, quod diſcipulus ille non moritur. Quam ſententiam Ioannes correxit adiungens: *Et non dixit Ieſus, non moritur, ſed ſic eum volo manere donec veniam.* Facile inſinuat nimirum quod modeſtiæ gratia recuſauit apertius dicere, ſe mortem quidem obiturum, Ieſu tamen verbum nihilominus ſtare, vt ſic permanēs, id eſt. corporis atque animi immortalitate donatus, Petrum & cæteros Apoſtolos antecedere debeat. quorum eſt reſurrectio tanto poſt futura. Igitur reſurrexiſſe iam Ioannem, & corpore beatam vitam ducere, fidem quidem non certam, ſed tamē probabilem faciunt ſcriptores probati id ſentientes, & ſepulchri Epheſini illa narratio, quam Auguſtinus alijque viri graues afferunt, & fere Eccleſiæ tacitus conſenſus, quæ nullas vnquam ex corpore Ioannis reliquias, aut vidit, aut prædicauit, aut omnino nouit. Petrus quidem Damianus ante quingentos fere annos ſic ſcriptum reliquit de Ioanne Euangeliſta: *Et ſi non audeamus plene definire,*

Matth. 20.

Petrus Damia. in ſer. mone 2. in feſto Ioānis Euangeliſtæ

finire, pium tamen eſt arbitrari, vt ſicut de beata Virgine creditur, ita etiam beatus Ioannes iam reſurexiſſe probabiliter aſſeratur, quatenus ſicut in virginea fuerunt integritate participes, ita in anticipata reſurrectione merito videantur æquales. Si enim beatiſſimi virgines iſti nullatenus ſurrexiſſent, cur in eorum tumulis ſepulta cadauera non iacerent, ſicut beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, ac cæterorum Apoſtolorum? Eadem eſt ſententia Nicephori hiſtorici Eccleſiaſtici, qui ad hunc modum ſcribit, *Non dixit ei Ieſus, quod moriturus non ſit, moriturus enim eſt eo, quo Dei genitrix modo: confeſtim vero reuiuiſcet ac reſurget, incorruptibili ſcilicet corpore alterum Magiſtri expectaturus aduentum.* Idem autor obitus ac reſurrectionis Ioannis hiſtoriam aliàs etiam conſcribens immortalitate donatum affirmat, vtpote Dei genetricis diuina voluntate filium. Ergo id munus datum primum virginitati puriſsimæ atque integerrimæ Ioannis, deinde contubernio Mariæ Deiparæ, & honori, quam ſolus ex Apoſtolis aſtante crucifixo filio comitatus eſt, ſolus regnantem cum Chriſto immortali immortalem ipſe etiam immortalis comitetur. Amori demum præcipuo quo Chriſtus hunc præ cæteris proſequebatur, tributum, vt vltimus omnium mortem guſtauit, omnium primus immortalitatis gloriam adeptus ſit.

Niceph. lib. 1c.35. & lib. 2.c.42.

IN FESTO SANCTORVM INNOCENTIVM, CONCIO PRIMA.

Angelus Domini apparuit in ſomnis Ioſeph dicens, Accipe puerum, Et cætera.

Matth. 2.

Fuga

1. Fugam Chriſti & innocentium cædē diuino cōſilio eueniſſe.

FVGA Chriſti quam Euangelium hodiernum narrauit, atque infantium cædes ſæuiſsima valde videntur à Dei cum maieſtate, tum sũma prouidentia abhorrere, ſi quis in nudam hiſtoriam intueatur, cum in fuga imbecillitas appareat, in permiſſa cæde crudelitas, quod vtrumque ab illa potentia, ſapientiaque ſempiterna plurimum abeſt. Sed ſunt diuina conſilia non ſolum mirabilia, ſed etiam iucunda, quemadmodum præclarus Pſaltes decantat. Ac de fuga quidem Chriſti complura dicturi ſumus, vno Petri Chryſologi dicto modo contenti erimus. *Bellicoſus*, inquit *quod in bello fugit, artis eſt, non timoris: Deus quando fugit hominē, ſacramenti eſt, non pauoris: potius quando ſe ſubducit infirmo, inſequentem non pauet, ſed foras producit. Vult enim in aperto vincere, qui publicam cupit ex hoſte reportare victoriam: occultum ſe non patitur inire conflictum, qui mandare ſuum ſeculis vult triumphum: Secreta victoria. virtuſque latens exemplum poſteris non relinquit. Chriſtus fugit, vt cedat tempori, non Herodi: nec enim mortem fugit, qui venerat de morte reportare victoriam: neque humanas inſidias expaueſcit, qui totas venerat diabolicæ fraudis aperire verſutias: neque tunc timuit, quando infans & ſecundum hominem timere neſciuit, & ſecundum Deum potuit non timere.* Hæc Chryſologus eleganter. Cædem autem Innocentium non damno fuiſſe, ſed ſummo ipſis emolumento, illorum palmæ & carmen ſatis declarant: quod enim iudicio conſequi atque opinione non poterant, vt pro Chriſto certantes victores coronarentur, id ſunt diuinæ largitatis prærogatiua conſecuti. Recte illud Auguſtinus: *Ecce prophanus hoſtis nunquam beatis paruulis tantum prodeſſe potuiſſet obſequio, quantum profuit odio.* Sed quoniam myſticas ac reconditas harum rerum mirabilium cauſas, alia oratione latius explicaturi ſumus, nunc ad mores inſtruendos, qui eſt eximius lectionis Euangelicæ fructus

Pſal. 118.

Petrus Chryſologus ſermone 150.

Aug. ſer. 10. de Sanctis.

fructus

fructus nos conferamus.

In ſomnis appariuiſſe Angelum ſancto Ioſeph narrat Euangeliſta. Id ei viro perpetuum fuit, vt diuinitus doceretur quid agere, quid cauere deberet, idque per ſomnum. Siue cum de vxore dimittenda cogitabat, ſiue cum eſt in Aegyptum fugiendum, ſiue etiam cum mox eſt ex Aegypto reuertendum. Eſt ea diuinę prouidētię non exigua pars, quemadmodum in libro Iob legimus: *Per ſomnium in viſione nocturna, quando irruit ſopor ſuper homines, & dormiunt in lecto, tunc aperit aures virorum, & erudiens eos inſtruit diſciplina.* Verum cautos nos Spiritus ſanctus vult, ne eo prætextu, quibuſuis ſomniorum ludibrijs facile fallamur. Itaque nos alio loco admonet, *Vbi multa ſunt ſomnia, plurimæ ſunt vanitates.* Eſtque diuina lege quoque ſic cautum: *Non inueniatur in te, qui obſeruet ſomnia.* Quæ cum videantur inter ſe pugnare atque eſſe contraria, neceſſario exponenda eſt & explicanda ſomniorum multiplex ratio. Igitur beatus Papa Gregorius ſomniorum enumerat differentias ſex. Nos vero vt dilucidè res tractetur, duo genera primum diſtinguimus: naturale vnum, alterum ſupernaturale: ſiue quod eodem redit, vnum interna ex cauſa, alterum externa. Naturale quidem & ex interna cauſa profectum, duplex ponimus, aut enim ex qualitate corporis, aut ex habitu potius animi procedit & manat. Corporis qualitatem ac diſpoſitionem ſolere ſomnia excitare ſibi conſentanea, quotidiana experientia docet. Nam fames, ciborum formas facile inducit, ſitis pocula & fontes offert, vt eſt ab Eſaia expreſſum. *Sicut ſomniat eſuriens & cómedit, cum autem expergefactus fuerit vacua eſt anima eius, & ſicut ſomniat ſitiens & bibit, & poſtquam fuerit expergefactus, laſſus adhuc ſitit*, diuerſæ conſtitutiones humorum diuerſas ſomniorum imagines creant, idque Medicorum arte animad-

2 De multiplici genere ſomniorum: & quibus habenda eſt fides.

*Iob.*33.

*Eccleſ.*5.

*Deut.*18.

Greg. 4. *lib. dial.c.*48.

*Eſai.*29.

aduerti ſolet. Ventris quoque ſatietas, impura, ac ſciua plurunque ſomnia aſſert, quæ cum ſint na ralia, nihil habebunt vitij aut laudis, niſi quod cauſa fuiſſe perſpectum ſit. Iam animi habitus: p rimum in ea re poteſt tales plerunq; noctu dorm ti occurrunt formæ, quales vigilans animo volu

Ecclef.5. Quo ſpectans Salomon ait: *Multas curas ſequuntur ſomnia* Fere autem vitioſa & praua improbis, mod

Plutarch. In libello, quomodo ſciat quis profeciſſe in virtute, eſtque indicium 16. ſtis & probis pura & caſta ſomnia obueniunt. Qua Plutarchus non temerè inter ſigna profectus mo ponit: *Si in ſomnis nulla capitur voluptate erga turpitu nem, nihilq; videt cum vitio & fœditate coniunctum.* V le enim cenſet quod Zeno poſteritati ſcriptum rel quit: *Dum iubet ex ſomnijs deprehendere, num profecer quiſpiam ſtudio virtutis.* Sed tamen in eo toto gene nihil ſignificationis certæ, nihil ſincerę veritatis a cipi poteſt, & eſt vaniſſima eorum perſuaſio, qui e iuſmodi ſomniorum recordatione ducuntur. In hc

Eccleſ.34. ſcriptum eſt à Sapiente: *Quaſi qui apprehendit vmbra & perſequitur ventum, ſic & qui attendit ad viſa men dacia.* Et mox: *Multos errare fecerunt ſomnia, & excide runt ſperantes in illis.* Sunt nihilominus ſomnia diui nitus immiſſa. Ac quanquam Ariſtoteles dum hæ diſputat, negare videtur à Deo ſomnia mitti, nega ri tamen non poteſt, eo modo Deum docere homi-

Gen.37. nes futura & arcana, quod in ſancto Ioſeph Pa-

Matth.2. triarcha olim videmus, æque in hoc noſtro Ioſeph

Actor.16. Virginis beatiſsimæ ſponſo, ſic in Paulo, in Magis, & alijs pleriſque cernimus. De hoc genere Eccleſiaſticus cum ſomnijs non eſſe credendum do-

Eccli,34. cuiſſet, excepit. *Niſi ab Altiſsimo emiſſa fuerit viſitatio.* Quin etiam ipſa lex, quæ ſomnia obſeruare prohibet, docet nihilominus ſic: *Si fuerit*

Num.12. *inter vos Propheta Domini, in viſione appareboei, vel per ſomnum loquar ad illum.* Adde huc etiam externam cauſam ſomniorum eſſe nonnunquam dæ-

monem

monem malum; qui vt prophetias enuntiat falſas, ita ſomnia & viſa mendacia ſæpenumero offert, neque parum iis artibus proficit, vt miſeros illudat ac fallat. Quæ igitur dignoſcendi, ne turpiter erremus, ratio erit? id enim magnopere refert, ne vel noſtra vel hoſtilia, diuina eſſe arbitrati, periculoſè labamur. Magnus ſane Gregorius ea de re ſic ſcribit. *Sancti viri illuſiones atque reuelationes, ipſas viſionum voces aut imagines quodam intimo ſapore diſcernunt, & ſciant vel quid à bono ſpiritu percipiant, vel quid ab illuſore patiantur* Quod Gregorius generatim de Sanctis dixit, quodam intimo ſapore ſolere diſcernere ſomnia, id Auguſtinus refert de matre Monica, narrante ſe interno ſenſu videre ſolitam, quid intereſſet inter animum ſuum ſomniantem, ac Deũ reuelantem. Verba illius recito, quæ vtilia fore credo auditori ſtudioſo: *Cum deprecaretur quotidie, vt ei per viſum oſtenderes aliquid de futuro matrimonio meo, nunquam voluiſti. Et videbat quædam vana & phantaſtica, quo cogebat impetus de hac re ſatagentis humani ſpiritus, & narrabat mihi non cum fiducia qua ſolebat, cum tu demonſtrares ei, ſed contemnens ea. Dicebat enim diſcernere ſe neſcio quo ſapore, quem verbis explicare non poterat, quid intereſſet inter reuelantem te, & animam ſuam ſomniantem.* Ita Monica diſcernebat. Eſt enim id Spiritus ſancti donum, quoad diſcretionem ſpirituum valet. Quod ſi cui eiuſmodi donum minus communicatum ſit, debet conſulere viros ſpirituales talium rerum experientia doctos, nec facilem ſuis viſis, quãuis ſancta & angelica appareant, fidem habere. Illa eſt autem in dubiis prędictionibus tuta ſententia, vt rerum euentus expectetur: interim ſuſpenſa opinione: neque facile admittẽdo, neq; vero pertinacior obſiſtẽdo, ſi quidẽ Paulus monet, *Prophetas nolite ſpernere: omnia probate: quod bonũ eſt tenete, ab õni ſpecie mali abſtinete vos.*

Gre. 4. dialog. c. 48.

Aug. lib. 6. confeſ. c. 13.

Deut. 18.

1. Theſſ. 5.

Quæ ſit autem probatio in futurorum prædictionibus, ſiue ſomnio ſiue viſione contingant, indicat Scriptura his verbis: *Quod ſi tacita cogitatione reſponderis, quomodo poſſum intelligere verbum, quod Dominus non eſt loquutus? hoc habetis ſignum, Quod in nomine Domini Propheta ille prædixerit, & non euenerit, hoc Dominus non eſt locutus, ſed per tumorem animi ſui Propheta confinxit.* Sed cum viſiones aut ſomnia nullos euentus prædicunt futuros, ſed quippiam agendum monent, illa eſt veriſſima ratio dignoſcendi, vtrum legi Dei & ſapientum ſententiæ conſentaneum ſit, quod obijcitur. Nam ſi à lege Dei diſcrepet quippiam, tametſi prædictiones veras habuiſſe videatur, reijciendum reſpuendumque eſt, vt idem Deuteronomij liber diſertè docet: *Si ſurrexit in medio tui prophetes, aut qui ſomnium vidiſſe ſe dicat, & prædixerit ſignum atque portentum, & euenerit quod locutus eſt, & dixerit tibi: Eamus & ſequamur Deos alienos, non audies verba Prophetæ illius aut ſomniatoris, quia tentat vos Dominus Deus veſter.* Hoc igitur eſt quod Paulus dicebat: *Omnia probate, quod bonum eſt tenete.* Atque de ſomniorum viſionumque diſcrimine hæc eo dicenda duxi, quod hoc tempore magna iſtarum rerum ſeges exiſtat, neque emolumentum par plerunque cernatur.

Deut. 18. *Deut. 13.* *1. Theſſ. 5.*

2 Præpoſitis deferendum.

At illud requiret aliquis, Cur Angelus Ioſepho potius apparuerit quam Mariæ, quæ & ſanctior erat, & Ieſu proprie parens? Nimirum diſcimus Deum, diſciplinæ amatorem res gerere ex ordine. Familiæ caput videlicet Ioſeph erat, cui Maria iure coniugij ſubdebatur. Id Beda & Haymo ea ratione expoſuerunt, vt Ioſephum ſignificare præpoſitos ſiue Doctores, Mariam Eccleſiam cenſerent, quæ debet à præpoſitis regi. Itaque debent à maioribus & gradu ſuperioribus minoris diuinæ voluntatis reſponſa expectare, debent ijs libēter obtemperare,

Beda in expoſit. Euang Haymo ibi.

quanuis

quanuis ſapientes ipſi probique eſſe videantur. Paulus quidem cum Euangelium accepiſſet non ab hominibus, neque per homines doctus eſſet, tamen Petrum Eccleſiæ columen ad eũdem conſulendumque ſibi exiſtimauit, *Ne in vanum*, inquit, *currerem, aut cucurriſſem.* Quod ſuum conſilium diuinis monitis conſentaneum fuiſſe declarat: *Aſcendi autem, ſecundùm reuelationem, & contuli cum illis Euangelium, quod prædico in gẽtibus.* Non eſſe autem tam rationem habendam vel literaturæ, vel ingenij, vel meritorum præfecti, quam loci & gradus quem Dei autoritate tenet, præclarè indicat illis verbis: *Quales aliquando fuerint, mea nihil intereſt: Deus enim perſonam hominum nõ reſpicit.* Dionyſij Areopagitæ ad Demophilum monachum epiſtola habet: *Si Dei iudicium eſt, vt ſacra eloquia teſtantur, ſacerdotes autem Angeli ſunt diuinorum iudiciorum continuo poſt Pontificem magiſtri: ab ipſis tu diuina congrue ac ſuo ordine per medios miniſtros diſce, per quos etiam monachus eſſe meruiſti:* Tanti ſcilicet Patres fecerunt ordinem diſciplinæ. Qua ex regula veriſſima, videmus viros ſapientiſſimos atque ſanctiſſimos Athanaſium, Auguſtinum, Ambroſium, cæteroſque tales conſulendos ſibi ſemper putaſſe Romanos Pontifices, tanquam certiſſima Chriſtianæ religionis oracula: à quorum ſenſu & ſententia, quia nouatores noſtræ ætatis ſtultiſſimi & impudentiſſimi homines, longiſſimè abſunt, errare abſurdiſſimè paſſim aperteque deprehenduntur. In quos lex Domini ſeueriſſimè animaduertit, quæ reſiſtentes Pontificis iudicio atque imperio reluctantes lapidibus obrui iubet. *Vt nullus deinceps intumeſcat ſuperbia.*

Galat. 2.

Galat. 2.

Dionyſ. epiſtola 8.

Deut. 17.

Accipe puerum & matrem eius, & fuge in Aegyptum. Quid neceſſe fuit fugam imperare valde incommodam? nonne melius conſultum fuiſſet, interfecto impio Rege Herode? An fuit difficile necem afferre

4 Cur fugere voluerit Chriſt. Herodem

potius quã perdere. hominiſcelerato & improbo? Qui Angeli manu tot millia Babylonis exercitus, quod Deum blaſphemaſſent, vna nocte proſtrauit, non poſſet illud caput nefarium truncare? Eliam ſatellites comprehendere conatos ignis cæleſtis exuſſit: Dei filium perdere meditantẽ, non erit qui Herodem depaſcat ignis? Eliſæum qui quæritabant, vt abligarent, cęci repente effecti ſunt, puerum Ieſum Herodiani milites ne offendant, non poterunt tenebris caligineq; perfundi? Quoties diuina maieſtas ſeruos ab iniuria defendit, eorum clade & pernicie, qui machinabantur malum? Nũc vnigenitum ſuum ita anguſtæ exiliterq; tuetur, vt excedere, noctu fugere, in longinqua peregrinari neceſſe ſit, ſi ſaluus eſſe velit. Pulchrè Chryſologus hoc loco: *Deus noſter refugium & virtus. Si refugium fugit, ſi timet virtus, ſi præſidium migrat, quæ vita, quæ ſpes, quæ ſecuritas, quod munimen?* O præclaram diuinæ prouidentiæ rationem: ô alta illius Maieſtatis atque omni cogitatione ſuperiora conſilia. Non defuerunt ſane diuinæ ſapientiæ modi rationeſque plurimæ, quibus prauos Herodis conatus auertere poſſet: ſed eam elegit viam, quam humana fortaſſis prudentia minime probaret, cæleſtis admiraretur plurimum, plenam laboris, ſummę infirmitatis indicio opportunam. Primum quod Patres ſentiunt, humanæ naturę veritas confirmanda fuit, quæ ſi ſemper miraculis vteretur, commentitia putaretur. Deinde ſic ludificandus diabolus erat, vt quem Reges externi tanta cum gloria adorarant, is Regem domeſticum per tenebras fugeret: vt quis tandem ille eſſet, princeps huius ſeculi ſtatuere apud ſe non poſſet: ita anceps hæreret ſemper. Deinde qui non ſolum populum Iſrael, ſed & gentes ſeruare venerat, voluit terram quoque Gentilem (quemadmodum Chryſoſtomus pręclarè docet cum Hilario conſentiens) ſua præſentia dignari, &

4 Reg. 19. *4. Reg. 1.* *4. Reg. 6.* *Chryſolog. ſerm. 151.* *Chryſoſt. homilia 8.*

& qui de Iſrael paſtores, de gentibus Magos attraxerat, non ſolum Iudaicę terræ, ſed etiam Aegyptię ſe exhibendum duxit. Vtranque enim gentem, vtramque regionem debuit ſanctificare, qui coniungere & copulare inter ſe vtramq; voluit. Tunc enim vaticinium Eſaiæ impletum illud: *Ecce Dominus aſcēdet ſuper nubem leuem, & ingredietur Aegyptum, & commouebūtur ſimulachra Aegypti à facie eius.* Autores ſunt Origenes, Euſebius, Athanaſius, Ambroſius, Chryſoſtomus, Hieronymus, Proſper. Quam nubem leuem quidam beatam Virginem, quidam horum ipſum Domini corpus interpretātur. Itaque qui Herodis gladios fugere videbatur, is Satanæ potētiam deturbatis ſimulachris debellaturum ſe demōſtrauit, Ita & illa prophetia Oſeæ completa eſt, quam hic Matthæus recitat. *Ex Aegypto vocaui filium meum.* Quod de Chriſto prædictum oſtendunt, Irineus, Athanaſius, Euſebius, Chryſoſtomus. Neque refert quicquam de Iſraele eſſe dictum conſequentia declarare, cum ipſe Iſrael, vt Iuſtinus ait, fuerit Chriſti typus, & quod eſt caput, ſub eodē verbo geminū eſſe ſenſum literæ ab autore Scripturæ intentū non ſolū Auguſtinus & Thomas doceāt, ſed exēplis quoque certiſſimis conſtet. Iā qui docere homines habebat nō verbis ſolum, ſed etiā factis, humanitatē ac māſuetudinem ab infantia ſibi placuiſſe, demōſtrauit. Quod ergo ætate plena egit, vt fugeret Iudæorum inſidias, & iracūdiæ cederet inimicorū, vt paruulus tenuit, Herodis furorem fuga euadēs. Quo ex facto vt ſanctus Chryſologus demonſtrat monemur ſanctorum vitam non tam reſiſtendo, quam tolerando duci, quemadmodum ipſe dixit, *In patiētia veſtra poſſidebitis animas veſtras.* Ad hæc curioſam minuſque temperatam eorum mētem compreſſit, qui miraculis omnia geri volūt, cū ſit diuinæ prouidentiæ plerūq; magis probata communis ac tuta via: quam

in Matth. Hilar. ſup. Matth.

Eſai. 19.

Orig. hom. 3. in diuer. loc. Matth. Euſeb. lib. 6. hiſt. cap. 20. & lib. 1. de dē. Euang. c. 4. & lib. 8. c. 5.

Chryſoſt. in 2. cap. Matt. Hier. in Eſa. Ambroſ. in inſtit. virg. Athanaſ. de incar. Verb. Proſp. præd. p. 3. c. 2

Iuſtin. in Triphon. Irin. lib. 3. cap 9. Euſeb. lib. 9. demonſt. ca. 4. Proſp. præd. par. 3. cap. 8.

Atha. de incar. Verbi. Chryſoſt. de monſt. quod Deus ſit Chriſtus. Aug. lib. 12. confeſſ. S. Tho. 1. p. q. 1. art. 10. Luc. 21.

qui deſpicit, ac ſaluti ſuæ præſidia accerſit extraordinaria & inuſitata, plurimum aberret à vero. Sic cum Dauide, cum Abrahamo, cum Ioſepho, cum Daniele actum videmus, quanquam ad diuinæ glorię demonſtrationem & meritorum conuenientem aliquãdo ſignificationem, miracula Deus ſuis liberandis adhibenda putauerit. Poſtremo illa ipſa Innocentium cędes, quæ fugam Chriſti eſt conſecuta, atq; ille ſanguis innoxius ea ratione prouiſus effuſuſque eſt: quo beati paruuli coronis cæleſtibus donati piæ matres conſortes Chriſti factæ, ipſa Bethleemitica regio glorioſe nobilitata ſit. Venerat ſcilicet gladium mittere in mundum, quo Satanæ debellaretur imperium, Dei milites victores euaderēt.

5 B. Virginis & Sancti Ioſeph multa afflictio.

Atque inter has omnes rationes non fuit illa poſtrema, quod B. Virgini ac ſancto Ioſeph ſicut Chriſti erat comitatus datus, ita crucis conſortium, ſemper capeſſendum. Quis enim enarret, quæ fuerit illa piæ matris afflictio, quæ trepidatio, quis dolor, cum ex ſponſo chariſſimo audiuit, fugiēdum eſſe in Aegyptum, quod puer quæreretur ad necem? Declamātem Chryſologum audio. *Sic res vrget: ſic non vacat intueri verecundiam virginis, laborem matris, ſexus pudorem, periculum Ioſeph, longi itineris fatigationem, exitium totius domus, & quod his durius, Iudæos peregrinaturos in gentibus. O quam durum eſt peregrinari etiam inter ciues fratreſque, ſapit quid ſit ſua domus, qui ſentit alienam.* Quę certe omnia pro ſua ſapiētia cogitaſſe. Mariam non dubium eſt. Sed cæleſtibus iuſſis obediens, vide quibus lachrymis, quo gemitu eum ipſum amplexans infantulum repeteret carmen antiquum. *Fuge dilecte mi: aſſimilare capræ hinuloque ceruorum.* Ac Ioſabet filiam Regis furatam eſſe infantulum regiū Scriptura prodit, ne ab Athalia impia fœmina ſemen omne regium extingueretur. Clam ergo nutriendum curauit ad regē Iſraelitici ſpē. Maria vero mundi

Chryſolog. ſerm. 151.

Cant. 8.

4. Reg. 11.

mundi totius ſalutem in vno paruulo poſitam cernens, ad ſpem regni cæleſtis ipſum æternitatis hæredem fuga nobis & latebris conſeruauit. Verum quod dicere cœperam, mirabile dictu eſt. Quemadmodum charorum ſibi Deus vitam ærumnis doloribusque exercitam ſemper amet: quemadmodum læta & iucunda triſtibus & aduerſis perpetuo temperet. Quod Ioannes Chryſoſtomus hoc loco ſapienter animaduertit: *Enimuero*, inquit *miſericors Deus mœſtis rebus quædam etiam iucunda permiſcuit, quod certe in ſanctis omnibus fecit, quos neque tribulationes neque iucunditates ſinit habere continuas: ſed tum de aduerſis tum de proſperis iuſtorum quaſi admirabili vareitate contexuit.* Quam ſententiam pulcherrimam Chryſoſtomus in conceptione & natiuitate Saluatoris, in adoratione Magorum. in fuga denique hac Aegypti eleganter oſtendit. Et quod dicit omnibus ſanctis ita accidiſſe, manifeſtum faciunt exempla diuinarum Scripturarum, quæ Patriarcharum ac Prophetarum vitam ſecundis aduerſiſque rebus alternantem depingunt Imo vero vniuerſæ ſcripturæ ſacræ eum eſſe ſcopum, atque eam ſummam Paulus diſertè docet. *Quæcunque ſcripta. ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt: vt per patientiam & conſolationem Scripturarum ſpem habeamus.* Itaque patientia & conſolatione omnis via iuſtorum perficitur, in qua vtraque re alternanda mirabilis exiſtit profecto diuina prouidentia, ne aut proſpera ſuperbum, aut infeſta puſillanimem deiectumque reddant Dei ſeruum: conſolatio reficit laborantē, tolerantia caſtigat intumeſcentē. Vtrumque autem magnum Dei donum, quare aptè ab Apoſtolo adiunctum eſt, *Deus autem patientiæ & ſolatij det vobis id ipſum ſapere.* Deum quidem eſſe ſolatij ſatis noueramus, qui legimus: *Pater miſericordiarum & Deus totius conſolationis.* Sed Deum eſſe patientiæ Apoſtolus etiam prædi-

Chryſoſt. homilia 8. in Matth.

Rom. 15.

Rom. 15.

2. Cor. 1.

Pſal. 70. prædicat, quod Dauid expertus ſatis confirmat. *Quoniam tu es patientia mea Domine.* Et iterum: *Verũtamen*
Pſal, 61. *Deo ſubiecta eſt anima mea: quoniam ab ipſo patientia mea.* Quæ cum ita ſint de Maria ſanctiſsima ac de lectiſſimo viro Ioſeph eius ſponſo exempla nobis propoſita excellentiſſimæ patientiæ, ac ſingularis fiduciæ voluit Spiritus ſanctus, vt inter proſpera & aduerſa diſcamus diuinæ ſemper voluntati parere, noſtræq; omni cogitationi & deſiderio conſilium cæleſte anteponere.

IN EODEM FESTO

CONCIO SECVNDA.

Tunc Herodes videns quod illuſus eſſet à Magis, iratus eſt valde, & mittens occidit omnes pueros qui erant in Bethleem.
Matth. 2.

1 Ex ſuperbia iracundia.
Pſal. 9.

BENE à Propheta eſt dictum. *In laqueo iſto quem abſconderunt, comprehenſus eſt pes eorum. cognoſcetur Dominus iudicia faciens.* Herodes dum fallere Magos parat, illuſus à Magis eſt. Atque illa omnis Herodis induſtria & diligentia in conuocandis ſapientibus, Scriptura de Chriſto conſulenda, Bethleem patria indicanda, vt inuenirent Magi quem ſummopere deſiderabant, voluit vt Herodes de ijs ipſis ortum puerum cognoſceret, quod vnum is omnibus votis petebat, minime effecit. Itaque ſuis artibus captus eſt, & quam fraudem erat in Magos meditatus, eam ipſe fraudem à Magis perpeſſus eſt. *Non eſt enim conſilium, non eſt ſapientia contra Dominum.* Sed. *Comprehenduntur impij*

impiȷ̃ in vijs ſuis. Proinde rectè à Salomone vtrũque. *Simplicitas iuſtorum diriget eos: & ſupplantatio peruerſorum vaſtabit illos.* Nam & iuſtos piosque Magos ſimplicitas ad inueniendum Chriſtum perduxit, & ſceleratum Herodem ars dolusque ſuus perdidit. Quare deluſum ſe atque opinione falſum intelligens, iracundia in Magos exarſit ſibi præreptos, & in facinus nefarium impulſus, furorem ſuum infãtium ſanguine exſaturandum exiſtimauit. Sic olim Saul Dauidi infenſus, & iratus, cum euaſiſſe ferret iniquiſſime, in ſacerdotes Dei innoxios debacchatus eſt, atque eo die in octoginta viros ſacris infulis pro nihilo habitis, nihil ſibi commeritos, ſceleratus impetum facit. Atq; ipſam vrbẽ Nobæ dira clade vaſtauit. Superbiam nimirũ comes ſequitur certiſſima iracundia: neque potentiæ quicquã penſi eſt, iure nę an iniuria quicquã collibeat. collibuiſſe eſt ſatis, vt iraſcatur, ſi minus fiat. *Secundũ virtutem hominis* ait quidam Sapiens, *ſic iracundia illius erit: & ſecundũ ſubſtantiã ſuam exaltabit iram ſuam.* Solent tauri mutuo certamine ſuperati, in obuia quæque impetum facere, atque iracundiam deiectione conceptam exerere in ea, à quibus nihil iniuriæ eſt datum. Quæ cæca vindicãdi cupiditas cum ſtultiſſima eſt, tum crudeliſſima. Herodi homini natura ſæuo & cruento id accidiſſe minus ſane mirabitur, qui domeſticas eius cædes conſiderauerit, vt pars nulla aulæ proprij ſanguinis fuſi macula vacauerit. Non amicis, non ſocijs, non cognatis pepercit illa fera:, in vxorem, in fratres, in ipſos liberos deſæuijt tumulentiſſime. In ſeipſum impias demum manus inferre conatus. Legat Ioſephum, legat Egeſippũ hiſtoricos qui iſtius feræ cædes & parricidia cognoſcere volet. Quominus mirandum erit, in pueros eſſe innoxios iſtius furorem inflammatum.

Et mittens occidit omnes pueros, qui erãt in Bethleem & in

Prou.21. Pſal.9. Prou.11.

2.Reg.22.

Eccle.28.

Ioſephus de Herode fuſe libr.15. & 16. & 17 ant. Iudai. & lib. 1. de bello Iudaico.

Egeſipp. de bello Hieroſolymitano.

2 Qua ex cauſa bimulos interfici Herodes iuſſerit & quod ſit diaboli typus.

& in omnibus finibus eius à bimatu & infra ſecundum tẽpus quod exquiſierat à Magis. Primum quod plerique hoc loco diſcruciantur, cur pueros biennes interfici Herodes iuſſerit, idque eam rationem redigi ab Euangeliſta volunt, quam Magi de oſtenſa ſibi ſtella expoſuerant, ex quo fieri putant, vt biennio poſt ortum ſtellæ cædes Innocentium puerorum perpetrata ſit, quam rem vt conſtituant multa comminiſcuntur, nos fruſtra eos laborare arbitrabamur, atque in loco plano & expedito, hærere oportere minime credimus. Nam neque ortam ſtellam biennio ante Magorum aduentum quod quidam volunt, veriſimile eſt, neque Herodis peregrinationem Romam vſque, quam alij moram feciſſe negotio diſputant, eo tempore contigiſſe, ſed multis ante annis, qui Egeſippi, Ioſephique hiſtorias legerit, facile deprehẽdet. Neque vero aut ortu ſtellæ tanto antepoſito, aut vlla profectione Herodis opus eſt, cum Euangelicus ſermo nihil ailud ſibi velit, vt viri etiam docti noſtra ætate ſcripſerunt, quam puerorum ætatẽ interficiendorum fuiſſe definitam ex vtraq; parte ſupra & infra: maiores biennio, eſſe emptos neci: minores quoque eo tempore, quo Magi docuerant ortam ſtellam: quod fuiſſe menſtruum aut bimeſtre trimeſtreve ad ſummum, exiſtimare rectè poſſumus. Cur autem bimatum aſſignauerit ætate maiori, illa eſt cauſa quod putauerit fieri potuiſſe, vt ſtella aliquanto poſt natum puerum apparuerit, atque vt malitia tyranni in omnes partes abundans, maluerit occidi ſuperiores ætate, quam elabi quæſitũ infantem. Etenim cum ſapientes ab Herode de loco natalitio Chriſti conſulti, reſponderint ex prophetico oraculo preciſe Bethleem, tamen Herodiana malitia non eo contentus, etiam finitimos Bethleem vicos, cædi aſſignauit. Abundant ſemper in malo conſilia improborum. Verum quod hiſtoria geſtum

Ianſen. concord Euangelic. c. 11.

geſtum eſt, id myſterio patrari quotidie rectè nos beatiſſimus Papa leo monet. quippe cum diabolus cuius perſonam gerebat Herodes, Chriſtum recens natum in paruulis, id eſt noui Chriſti tyronibus perſequatur. Sed ipſum potius magnum patrem audite *Herodes quoque*, inquit, *in diabolo fremit, & auferri ſibi iniquitatis ſuæ regnum in iis, qui ad Chriſtum tranſeũt, ingemiſcit. Vnde ſi paruulos interficiat, Ieſum ſibi videtur occidere. Quod vtique facere ſine ceſſatione molitur, dum primordiis renatorum Spiritum ſanctum eripere, & quandam teneræ fidei velut infantiam tentat extinguere.* Hæc ille. Quibus abunde docemur, quanta in nouos Chriſti ſectatores hoſtis noſter inuidia ferueat, quem Pharao quoque illa populi ſancti hoſtis acerrimus expreſſit, cum maſculos omnes Hebræos ſimul atque editi in lucem eſſent, edixerit luce ipſa vitaque priuari. Proſpiciendum quidem eſt teneræ in Chriſto infantiæ, & ab inſidiis diaboli cauendum, qui more colubri fœtus aquilæ teneros inſectatur. Proinde duriora tempora prouidens Saluator dolenter dicebat. *Væ prægnantibus & nutrientibus in illis diebus.* Ipſe pullos ſub alas conuocat, & rapaces milui vngues defendit: ipſe cuſtodit pupillum, pauperi & inopi adiutor fideliſſimus.

Leo ſerm. 5. de Epiphan.

Matth. 24.

Sed quid eſt, quod pius Dominus impiam cædem paruulorum non prohibet? quid eſt, quod vita Saluatoris interitu eorũ, quos oportuit ſaluare, defenditur? Verbis Chryſologi quærere libet, *Quare Chriſtus deſeruit, quos ſciebat quærendos eſſe propter ſe & propter ſe nouerat occidendos? Natus Rex, & Rex cæleſtis quare negligit milites innocentiæ ſuæ? coætaneum ſibi quare contempſit exercitum? quare cunabulis ſuis deputatus excubias ſic reliquit, vt Regem ſolum quæſiturus hoſtis, totum graſſaretur in militem?* Cui quæſtioni ſic idem autor ſatisfacit, vt demonſtret,

3 Ad Chriſti gloriam & gratiam declarandam, plurimũ profuit Innocentium martyrum cædes,

ſtret, nihil eſſe damni occiſis paruulis, ſed honoris & præmij plurimum per Chriſtum allatum. Nos vero vt rem primo aſpectu aſperam & indignam, diuina ſapientia & bonitate digniſſimam oſtendamus. Cauſas à patribus excogitatas omnino quinque dicemus, quod id factum valuerit ad gloriam Chriſti cumulandam: ad eiuſdem gratiam declarandam: ad ipſorum occiſorum magnam felicitatem: ad noſtram eruditionem, ad ipſius denique perſecutoris ignominiam & exitium. Ac primum Deum hominem factum, quoniam neque victimis pecudum, neque ſanguine delectatur, oportuit humanis & Deo dignis hoſtijs excipi. Si enim arca teſtamenti cum primum ex alto Gabaonis in templum inuecta eſt, tanta extitit cæſarum victimarum multitudo, vt ipſum altare amplum quamuis ac magnificum non ſufficeret, nonne ei qui ſedet ſuper Cherubim cum primum deſcendit ad nos, multis glorioſiſque hoſtijs litari opus fuit? Quas vero habet gratiores & iucundiores hoſtias, quam innocentes & puras animas? Chriſtus qui maior natu paruulis delectabatur, eoſq; feſtiue admodum amplexabatur, nonne paruulus paruulos amet, infans infantibus delectetur? *Sinite*, inquit, *paruulos venire ad me & nolite prohibere eos.* Naturale pueros eſt puerorum ſocietate gaudere: more & vſu receptum, vt Regum filijs paruulis paruuli quærantur comites ex omni nobilitate lectiſsimi: ijſq; ſolenne, paruuli principis habitu inſignibuſque ornari. Has ſane primitias Dei filio agno ſuauiſsimo oblatas Ioannes celebrat, hunc comitatũ candidiſſimum illius principis ſe vidiſſe commemorat. *Hi ſunt*, inquit, *qui cum mulieribus non ſunt coinquinati, virgines enim ſunt: Hi ſequuntur agnum quocunque ierit. Hi empti ſunt ex hominibus primitiæ Deo & agno: & in ore eorum non eſt inuentũ mendacium ſine macula enim ſunt*

ante

3. Reg. 8.

Marc. 10.

Matth 9.

Apoc. 14.

ante thronum Dei. Emptos dicit, quos Agnus proprio cruore redemit, quibus data eſt martirij laurea non tã ipſorum meritis, quã dono Chriſti. De his Chryſologus eleganter: *Coorta Regi cohors ſuo magis præmori quam commori tota geſſit: Chriſto dati milites cæperunt ante militare, quam viuere: ante pugnare quam ludere, ante ſanguinem fundere, quam lactis vbera perpotare: ardentes animæ moras corporum non tulerunt.* De ijs etiam beatus Leo, ſic ſcribit. *Itaque Chriſtus ne vllum ei tempus eſſet abſque miraculo, ante vſum linguæ poteſtatem verbi tacitus exerebat. Et quaſi iam diceret, ſinite paruulos venire ad me, talium eſt enim regnum cælorum, noua gloria coronabat infantes, & de initijs ſuis paruulorum primordia conſecrabat.* Cui Cyprianus conſentit eandem Chriſti gloriam recens nati innocentium laudatione ſine voce perfecta ad hunc modum declarans: *Acta eſt natiuitatis ſolennitas ſurſum iubilantibus Angelis: deorſum ex ore infantium & lactentium laus eſt perfecta reſonantibus vſque ad cœlos victoriæ tubis: & verſus eſt paruulorum vagitus in gaudium, & luctus in iubilum, ſequente non ſtellam, ſed agnum exercitu innocentium, & baiulanteglorioſiſſimi triumphi ſolenne vexillum.* Auguſtinus eandem Chriſti gloriam declarat his verbis: *Deus eſt qui ortus eſt: innocentes illi debentur victimæ, qui venit damnare mundi malitiam Agni debent immolari, quia Agnus futurus eſt crucifigi qui tollit peccata mundi* Ad eandem autem gloriam ſuam Chriſtus pertinere putauit, vt quamprimum gratiæ ipſius illuſtriſsimum documentum daretur, quod erat ſecundo loco propoſitũ. Quid enim Dei gratiã amplius declarare potuit quam ſine vllis meritis ſumma Regni cœleſtis fælicitate donari illos martyrij mercedem & laudem referre, quibus martirij voluntas nulla fuit? Eorum ſanguinem ſacrificio inclyto deputari, quem hoſtis odio Chriſti fudit. non martyres ipſi amore Chriſti dederũt?

Chryſolog. ſerm. 153.

Leo ſer. 2. de Epiphan.

Cypria. ſer. de Epiphan.

Aug. ſerm. 8. de Sanctis qui eſt primus de Innocent.

Sed

Sed talis ac tanta eſt Chriſti gratia, vt multo plus quã homo cooperatur, operetur ſępe etiã nihil homine operante operetur: quod in ſacramento & baptiſmo paruulorum perſpicuum eſt: vt Leo Papa etiam inſinuat hoc facto innocentium: *Vt diſceretur*, inquit, *neminem hominum diuini incapacem eſſe ſacramenti, quando etiam illa ætas gloriæ eſſet apta martirij* Latiusque idipſum Cyprianus, his verbis: *Hi nuper cruore lacteo loti primitias baptiſmi martyrio conſecrarunt, tradentes poſteris formam: vbi neceſſitatis articulus excluſerit moram, non minus ad lauacrum animæ ſanguinem efficacem, quam ſanctificatas verbis ſolennibus aquas*: Denique Chryſologus: *Vere, vere fratres, iſti ſunt gratiæ martyres. confitentur tacentes neſcientes pugnant, vincunt inſcij, ignari tollunt palmas, coronas rapiunt ignorantes.*

Leo ſerm. 2. de Epiph. n.

Cypria. ſer. de Epiphan.

Chryſolog. ſerm. 153.

4 Quam bene actũ ſit cũ paruulis pro Chriſto occiſis.

Quoniam quid ad Chriſti gloriam, quid ad gratiam commendandam pertineret in eo facto expoſui, iam quid ad illorum qui occiſi ſunt, quid ad noſtram qui celebramus occiſos, vtilitatem pertineat, dicendum deinceps eſt: Nam videri potuit alienum à Chriſto, qui vitam hominibus reſtituere debebat, hominum præſertim innocentium interitu delectari: nam damnatos etiam pœna mortis abſoluit. Et eum ipſe ſit agnus iugulandus pro ſceleratis, ſimpliciſſimã gentem nullo modo trucidari pateretur, niſi magno ipſorum emolumento: quo maius eſſe non potuit. *Quieſcat*, inquit, *vox tua à ploratu, & oculi tui à lachrymis: quia eſt merces operi tuo, ait Dominus, & reuertentur de terra inimici, & eſt ſpes nouiſſimis tuis, ait Dominus, & reuertentur filij ad terminos ſuos.* Ita plane diuinus ſermo Rachelem, id eſt, Bethleemiticam ciuitatem liberorum cæde mœſtam ac lugentem conſolatur: eſſe pulcherrimam mercedem operæ, filios gladio impio abſtractos ad vitam victores coronatosque reuerſuros. Non habent paruuli quã pro

Hier. 31.

pro tanto beneficio dignam referant gratiam: laudant ſine modo magnificentiam in ſe Dei incredibilem. Nam vt beatus Leo dixit. *Quos Rex impius exi-* *mit mundo, Chriſtus inſerit cælo: & quibus nondum ſanguinis, ſui impendit redemptionem: iam martyrij tribuit dignitatem.* Dauid quidem cũ propter ſe innoxium ſanguinem ſacerdotum, fuſum à Saule reſciſſet, Abiathari dixit, ſe propriè illius ſanguinis debitorem. *Mane mecum,* inquit, *mecumque ſeruaberis.* Neque filium Dauidis decuit ſine inſigni præmio propter ſe clade vltima opreſſos relinquere. Neque tam ſuã rem, quam illorum paruulorum egit, cum eos propter ſe interfici conceſſit. *Chriſtus ait Chryſologus bene, non deſpexit ſuos milites; ſed prouexit: quibus dedit ante triumphare quam viuere: quos fecit capere ſine concertatione victoriam, quos donauit coronis antequam membris, ante cælum poßidere quam terram. Beati ventres qui portauerunt tales, beata vbera, quæ ſe talibus infuderunt: beatæ lachrymæ quæ pro talibus fuſæ, flentibus gratiam baptiſmatis contulerunt.* Nec minora Cyprianus: *Subito fiunt martyres & ſufficit cauſa teſtimonio: illico ſpiritus infantibus vaſculi receptaculum deſerens iam non tenelli corporis ætatisque nouitiæ tempore tenetur, ſed ab illis infantilibus coagulis anima expedita; in occurſum Chriſti feſtinat; à quo militiæ ſuæ quærent ſtipendia, ad lucis & pacis æternæ præmittitur gaudia.* Idem mox: *Euigilarunt ſenſus, quos ſopor infantiæ opprimebat, diſcußisque palpebris lucem intuiti, in momento aſſecuti ſunt, quæ pacificis, & mundo corde debetur, beatitudinem*, Quæ ſane non eo pertinent vt pueri innocentes ſtatim ab egreſſu corporis, Dei luce & beatitudine perfruerentur, ſed quod intelligentia perfecta præditi parata ſibi præmia magno cum gaudio cognouerint. Fuit igitur magna merces, fuit ſanguinis fuſi pro Chriſto glorioſiſſima palma.

Leo ſerm. 1. de Epipha.

1. Reg. 22

Chryſolog. ſerm. 152.

Cypria ſer. de Epiphan.

Sed tyranni fuit æque grandis contumelia, &

5 Tyranno ad cõfuſio nẽ, nobis ad exemplum valere innocẽtiũ cædem

Pſal. 8.

Cyprian. in ſermon. de Epiphan.

clades, quemadmodum propheta cecinerat: *Ex ore infantium Deus & lactentium perfeciſti laudem, vt deſtruas inimicum & vltorem. Sic ſanctarum perſecutionibus tyrannus crudelis illuditur*, ait ille idem, *qui dum putat perdere quos occidit, melioris vitæ ſtatum eis procurat, & quod ille in perditionem molitur, hi vtuntur pro beneficio*. Et ſicut dixit ſacer Auguſtinus, *Nunquam illis Herodes tantum prodeſſe potuiſſet obſequio, quantum profuit odio*. Iam Chriſtus, cuius vnius vitam appetebat, elapſus furori, & ſuperſtes tyranno nihil aliud profeciſſe declarat impium, quam vt impietatis ſuæ ſupplicium pœnasque dignas accelleraret iuteritu. Furit Athalia infælix, regium ſanuinem extinguere conatur, ſed euadit Ioas regno deſignatus, cuius ipſa imperio tarde, vt merita eſt, mulctetur & cadat. Omni ergo ex parte Dei perfecta ſunt opera: & quæ videntur aliena eminus conſpecta, eadem propius ac penitus explorata, plena inueniuntur magnifica laude ſapientiæ. Sed ad nos quid tandem inter hæc referimus fructus? Magnopere certe, ſi ſapimus, hinc proficimus, diſcimus humilitatem, diſcimus manſuetudinem, ſanctam atque euangelicam infantiam diſcimus, atque à teneris crucem eſſe portandam, carnis libidines compeſcendas, Chriſto militandum, & pro Deo vſque ad extremum ſpiritum decertandum. Quæ omnia oratione ſanctiſſimi Leonis multo præclarius dicemus quam noſtra. *Ad hanc vos dilectiſſimi ſimilitudinem paruulorum myſterium hodiernæ feſtiuitatis inuitat, & hanc vobis humilitatis formam adoratus à Magis puer Saluator inſinuat, qui vt imitatoribus ſuis quid gloriæ pararet, oſtenderet, ortus ſui tempore editos, martyrio conſecrauit: vt in Bethleem vbi Chriſtus eſt, geniti, per communionem ætatis conſortes fierent paſſionis. Ametur igitur humilitas, & omnis à fidelibus vitetur elatio. Alter alterum ſibi*

4. Reg 11.

Leo ſer 7. de Epiphan.

præferat, & nemo quod ſuum eſt quærat, ſed quod alterius Et in eadem non longe ante concione propoſito exemplo pueri; quem Chriſtus in medio diſcipulorum ſtatuit, & Chriſti ſententia commemorata: *Niſi conuerſi fueritis & efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis regnum cælorum quicunque ergo humiliauerit ſe ſicut puer iſte, hic maior erit in regno cælorum.* His ergo Chriſti verbis commemoratis, Leo magnus humilitatis prædicator adiungit: *Amat Chriſtus infantiam, quamprimum animo ſuſcepit & corpore. Amat Chriſtus infantiam, humilitatis magiſtram, innocentiæ regulam; manſuetudinis formam. Amat Chriſtus infantiam, quæ maiorum dirigit mores, ad quam ſenum reducit ætates, & eos ad ſuum inclinat exemplum, quos ad regnum ſublimat æternum. Non ad lubrica infantiæ, & imperfecta nobis primordia redeundum eſt, ſed aliquid quod etiam graues annos deceat, inde ſumendum eſt: velox commotionum tranſitus, citus ad pacem recurſus. Nulla ſit memoria offenſionis, nulla cupiditas dignitatis. Amor ſociæ dilectionis, æqualitas naturalis. Magnum enim bonum eſt, nocere non noſſe, & ad maligna non ſapere: quia inferre ac referre iniuriam mundi huius prudentia eſt, nemini autem malum pro malo reddere, Chriſtianæ eſt æquanimitatis infantia.* Quibus ſanctiſſimi Patris exhortationibus nihil addendum eſt, niſi vt Deum noſtrum precemur, velit nobis beatam hanc innocentium martyrum atque Euangelicam infantiam cæleſti ſuo dono communicare. Matth. 18.

IN DOMINICA INFRA OCTAVAS NATIVITATIS,

Erant Ioſeph & Maria mater Ieſu mirantes ſuper his quæ dicebantur de illo.
Lucæ 2.

1 Res Chriſti eſſe mirabiles.

VERBA ſane Lucæ Euangeliſte ſic habent. *Et erant pater eius & mater eius mirantes ſuper his quæ dicebantur de illo.* Neque mouere quenquã debet, quod Ioſeph ab Euangeliſta pater Ieſu vocetur, quo nomine eum ipſa diuini arcani conſcia Virgo mater appellat, eundẽ alloquens filiũ: *Ecce pater tuus & ego dolẽtes quærebamus te* Erat erat pater opinione hominum, quam vſus loquendi maxime obſeruat: Siquidem eſt, vt ille dixit, loquendum vt plures. *Erat*, ait Lucas *vt putabatur filius Ioſeph*. Sanctus vero auguſtinus etiam alteram cauſam expoſuit, quia non opinione ſola, ſed quadam ex parte veritatis quoque Ioſeph filius eſſet Ieſus, quippe qui Mariæ veriſſimus filius coniugem eius iure patrem habebat, multo melius quam ſi adoptione fuiſſet aſcitus. Nam ſuperbus quidem Philippum verum patrem dedignabatur, Alexander cæleſtem ſibi originem mentiens: at humilis Ieſus, cum Deum veriſſimum naturalemque haberet patrem, tamen ſe hominis filium vocitabat, & quod re de matre tenebat, voce in matris ſponſum referri non moleſte ferebat. Admirabantur igitur parentes Ieſu illa tam multa

Sic Beda in Lucam.
Luc. 2.
Cicero,
Luc. 3.
Aug lib. 2. de conſenſu Euang. c. 1.

ta

ta,tam magna,quæ de puero audiebant. Quid non mirarentur eum, cuius eſt nomen, Admirabilis: ipſumque nomen mirabile multo amplius ac varius,quam eius Angeli, qui à luctatore Iacob nomen poſtulatus (vt nonnulli codices habent) reſpondit eſſe mirabile. Ipſi Angeli cæleſteſque omnes virtutes illius ſemper maieſtatem & gloriam admirantur, neque vnquam canere ceſſant. *Quis ſimilis tui Domine: magnificus in ſanctitate, terribilis atque laudabilis & faciens mirabilia.* Huius etiam in terra viri ſancti celſitudinem intuentur attoniti, vixq; narrantibus haberi fidem præ magnitudine prædicant, vt Iſaias acclamet: *Domine quis credidit auditui noſtro & brachium Domini cui reuelatum eſt?* Oſeas vero etiam pauorem quendam plenum gaudij annuntiat. *Et pauebunt*, inquit, *ad Dominum & ad bonum eius in nouiſſimo dierum.* Habent enim res magnæ, vt cognitione animum non impleant ſolum, ſed etiam excellant: ex quo admiratio illa & ſtupor efficitur, quaſi animos ſe rei tantæ imparem ſentiens, ſuccumbat, quale illud eſt Danielis, *Et ſtupebam ad viſionem.* Moſes quoque dixit, *Pauete ſanctuarium Domini.* Quare inter gradus contemplationis admiratio, quæ eſt quædam animi ad illa quæ intuetur tam alta ſuſpenſio ab Ricardo in eo libro qui Beniamin maior inſcribitur, non infimus eſſe prohibetur.

Eſai.9. Gen.32. Deut.32. Eſai.53. Oſeæ.3. Dan.8. Leuit.26. Ricar. de S. Victore in lib. de contẽplatione.

Et benedixit illis Simeon. Apoſtoli quidem ſententia, *ſine vlla contradictione quod minus eſt à meliore benedicitur.* At qui non erat ignarus Simeon quales illi forent, quibus benedicebat. Nouerat Mariam eius eſſe matrem, quem ipſe lucem gentium, ac mundi ſalutem prædicarat. Non ignorabat, Dei matrem ipſis Angelicis choris dignitate præcellere. Sed officio fungebatur ſuo, vt ſacerdotali vel prophetico, certe miniſtri Dei, cui ſubeſſe ſummittique oportet perſonam omnem laicam, quantumcunque ſancti-

2 Erga Dei miniſtros reuerentia ſeruanda. *Heb.7.*

tate gloriaque præſtet. Neque enim ſuo nomine ſacerdos aut benedicit, aut imprecatur, aut iubet, ſed Dei ipſius. Itaque cum initiatur ſacris, audit ex Dei perſona. Quidquid benedixeris, ſit benedictum. Quamobrem etiam ipſis ſacris atque diuinis muneribus, cum rem diuinam facimus, benedicimus, hoſtiæ inquam illi & calici tremendo. propterea quod ſummi ſacerdotis Chriſti locũ tenemus, perſonamque gerimus. Quæ eo ſunt à me commemorata, vt homines ſeculares diſcant, quantum deferre ſacerdotibus debeant: quamque ſit honorificum, Dei ſe miniſtro ſummittere, quacunque nobilitate, dignitateue ſeculari floreant. Quocirca Gelaſius Papa ſcribens ad Anaſtaſium Imperatorem, vt in decretis ſacris legimus, ita loquitur: *Duo ſunt quippe Imperator Auguſte, quibus principaliter hic mundus regitur autoritas ſacra Pontificum, & regalis poteſtas. In quibus tanto grauius pondus eſt ſacerdotum, quanto etiam pro ipſis regibus, hominum ſunt in diuino reddituri examine, rationẽ.* Quo loco etiam beati Ambroſij teſtimonium recitat hoc: *Honor & ſublimitas epiſcopalis nullis poterit comparationibus adæquari, ſi regum fulgori compares, & principum diademati, longe erit inferius, quam è plumbi metallum ad auri fulgorem compares: quippe cum videas regum colla & principum ſummitti genibus ſacerdotum & oſculata eorum dextra orationibus eorum credant, ſe communiri.* Hæc Ambroſius atque Gelaſius. Quin etiam Sanctus Pater Franſciſcus ſacerdotem ſe prius ſalutaturum aſſerebat quam Angelum, ſi vtrumque obuium habere contigiſſet. Iure igitur beatus Martinus inter epulas poculum preſbytero ſuo propinandum ante putabat, quam Imperatori: qua dignitatis ſacræ exiſtimatione Imperator ipſe: minime offenſus eſt, ſacrati pectoris vim potius collaudauit. Neq; inferiora Theodoſius Cæſar de Ambroſio. Exemplo ergo Mariæ

Diſtin. 96. c. duo ſunt.

Ambroſ. de dignitate ſacerdotum c. 2.

Bonauen. in vita. S. Frã-ciſci.

Seuerus Sulpitius Ruffinus:

miniſtros Dei nobis præpoſitos colere, ac venerari diſcamus.

Ecce poſitus eſt hic in ruinam & reſurrectionem multorum in Iſrael: & in ſignum cui contradicitur. Venit profecto filius Dei in mundum, vt ſaluos faceret homines, non vt damnaret: ſed plerique diuino beneficio abutuntur, & pro nequitia ſua, bonum vertunt in malum, lucis copia qua illuſtrari oportebat, amplius caligant atque cæcutiunt. Neque enim Solem vituperare potes, quod infirma acies, eius ſplendore perſtricta, vehementius obſcuretur. Cuius rei quam Simeon denunciat, Eſaias perſpicuum vaticinium ſcripſit: *Et erit,* inquit, *vobis in ſanctificationē: in lapidem autem offenſionis, & in petram ſcandali duabus domibus Iſrael, in laqueum & in ruinam habitantibus Hieruſalem. Et offendent ex eis plurimi, & cadent, & conterentur, & irritentur, & capientur.* Quod teſtimonium recitans Petrus ſcripſit. *Vobis igitur honor credentibus: non credentibus autem lapis quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli, & lapis offenſionis & petra ſcandeli, his qui offendunt verbo, nec credunt, in quo & poſiti ſunt.* Ergo petra cum Chriſtus ſit, fidelibus & modeſtis, fit tanquam herinaceis petra refugij, fit lapis angularis pacem amantibus, ædificium cæleſte connectens, fit ſitientibus ſpiritualis petra, ex qua profluunt largiſſimæ ad potandum aquæ: quod ſi in eam petram impingunt cæci aut ebrij, ſi caput inſani allidunt atque comminuunt, quid habet criminis petra, quam ſtultiſſimè accuſas? Omnino nobis pertimeſcendum eſt, fratres, ne dona cæleſtia ad perniciē nobis vertamus. Sumus Dei dono Chriſtiani, ſumus fideles, plerique etiam miniſtri Dei, ſacerdotes, legis diuinæ interpretes: at his tantis bonis ſi abutimur, grauior multo nobis impēdet vindicta: malo noſtro ne ſapiamus, tēpeſtiue prouidendum eſt. Quam multis in ruinam fuit, qui eſſe

3 Chriſtus petra ſalutaris pijs, impijs offenſionis petra.

Eſai. 8.

1. *Pet.* 2.

Pſal. 103.
Epheſ. 2.
1. *Cor.* 10.

in ſalutem debuit, ſtatus altior atque ſacratior? quã multi ſcientia & gradu eminentes, quod alios docebant, negligentes in ſe, infinitum barathrum inuenerunt.

4 Quo pacto Chriſtus ſit poſitus in ſignum.

Signum autem fuiſſe Chriſtum, cui mundus penè omnis contradixit, indicat ipſa crux, cui appenſus eſt. Sic beatus Amphilochius hæc Simeonis verba interpretatur: *Contradictionis*, inquit, *ſignum crucem vocat: qua permulti cum illum in crucem agerent, multis modis Ieſu Chriſto aduerſati ſunt.* Quam rem oſtendit ex perfidia Iudæorum, ex ſæuitia Romanorum, ex deſertione ſuorum, & fuga, & negatione Apoſtolorum. De quo ſigno crucis tot contradictionibus appetito ipſe voce Hieremiæ canit; *Poſuit me ſibi quaſi ſignum ad ſagittam: miſit in renibus meis filias pharetræ ſuæ.* Deo enim Patre permittente, ac peccatorum noſtrorum tanquam crudeli agmine vrgente, tot Chriſtus confixus ſagittis eſt, vt numerari non poſſint. *Tota die*, inquit, *conſtituebant prælia*. Ac rurſus: *Sagittæ Domini in me ſunt, quarum indignatio ebibit ſpiritum meum.* Quis contumelias illius, quis probra, & maledicta, enumeret? quis alapas & colaphos? & quis plagas acerbas? quis recenſeat cæteras iniurias omnes? *Qui talem*, inquit Paulus, *ſuſtinuit à peccatoribus contradictionem aduerſus ſemetipſum.* En quo pacto huic ſit ſigno contradictum, vita eius omnibus modis afflicta. Iam doctrina eiuſdem Ieſu Chriſti, quas perpeſſa ſit, pugnas, quis dicere poſſit? Nam de ſecta hac (aiebant illi) notum eſt nobis quia vbique ei contradicitur. Neque contradicunt homines ſolum perfidia, & hæreſi, & paganiſmo. contradicunt etiam vita, moribus, contradicunt ſuperbi, inceſtuoſi, auari, ſacrilegi, immites, Chriſtianum nomen barbara ſæpè fœditate deformantes. Hunc locum Bernardus ſcite tractat his verbis: *Fælix ex omnibus Simeon: is deſiderij ſignum, & vi-*

S. Amphilochius in oratione de occurſu Domini.

Thren. 3.

Pſal. 139

Heb. 12.

Actor. 28.

& vidit & gauiſus eſt, in pace dimittitur, ante pronuntians Ieſum natum eſſe in ſignum, cui contradicendum erat omnino ita fuit, contradictum eſt exorto ſigno pacis, ſed ab ijs, qui oderunt pacem. Nam pax hominibus bonæ voluntatis: maleuolis autem lapis offenſionis & petra ſcandali. Ad paſtores ait Angelus, hoc vobis ſignum: vobis humilibus, vobis obedientibus, vobis non alta ſapientibus, vobis vigilantibus, & in lege Dei meditantibus die ac nocte. Cuius rei ſignum? Indulgentiæ, gratiæ, pacis, & pacis cuius non erit finis. Ita Bernardus. Itaque alijs ſignum terribile in mortem, alijs ſignum hoc eſt ſalutare, diuinum quod fronti, quod pectori, quod cordi ipſi imprimunt & inſculpunt. *Pone me*, inquit, *vt ſignaculum ſuper cor tuum, vt ſignaculum ſuper brachium tuum.* *Cant.8.* Itemque Ezechiel: *Signa Thau (quæ eſt crucis figura. Si Hieronymo & Amphilochio credimus) ſupra frontes virorum dolentium & gementium.* *Ezech.9.* Denique Eſaias cum alias dixiſſet: *Qui ſtat in ſignum populorum: ipſum gentes deprecabuntur*: in fine prophetiæ dicit. *Et ponam in eis ſignum, & mittam ex eis qui ſaluati fuerint ad gentes.* *Eſai.11.* *Eſai.66.* Nimirum hoc vnico ſigno ſalus conſtat, eoque qui præditi ſint, ſalutem etiam cæterorum eos curare ac perficere diuini conſilij eſt.

5 *Et tamen ipſius animam pertranſibit gladius.* Ad diem illam paſſionis & mortis Chriſti Patres omnes ſententiam eam referunt, ſed non vno modo. Ambroſius quidem ſermonem Dei gladium interpretatur, cuius acies mentem Mariæ peruaſerit, quod myſterium cæleſte profunda prudentia intellexerit. Quæ interpretatio magis eſt pro Virginis laude veneranda, quam inſtituto idonea putanda. Origenes non dignè de matre Dei ſentiens, dubitationis paſſam eſſe in paſſione Chriſti diſcrimen interpretatur. Quem nonnulli Græci Patres ſequi videntur. At longe abſit talis ſuſpicio à mente Catholica, vt peccati næuum in Virgine vel minimum ponat. Au-

Qualis Virginis matris dolor extiterit ob necē Chriſti.

Ambroſ. in Lucam.

Orig. hom. 19. in Luc.

Aug. lib. de qu. noui & vet. teſt. qu. 73. guſtinus ſtuporem quendam filio tam indigna patiẽte matris animum non fregiſſe quidem, ſed perſtrinxiſſe vult, cum horrenda crucis ignominia ſæuiſſimoque cruciatu filij Dei maieſtatem afflictam videret. Neque dubitaſſe propriè Mariam aut fide nutaſſe ſentit Auguſtinus, qui eam omni non peccato vel minimo liberam docet, ſed vult magnitudine indignitatis perterrefactam fuiſſe atq; perculſam: quod ita mihi ſanè probatur, vt nõ credam tamen id à Simeone ſignificatum cum verbo Græco, pro quo interpres noſter vertit, pertrãſibit, non prę̨teritionem, quod Auguſtinus videtur accipere, ſed penetrationem ac perſuaſionẽ intimam intelligere neceſſe ſit. Planius igitur Beda commentatur & rectius. Mariæ viſcera acutiſſimi doloris gladio trãſuerberata Chriſto Ieſu moriente: eſt enim ea phraſis Scripturæ, vt Pſalmus de Ioſeph Patriarcha loquens ſatis indicat. *Ferrum pertranſijt animam eius*, quẽ admodùm Auguſtinus ipſe interpretatur Quæ vero fuerit doloris vis, quæ illa acerbitas, cum amantiſſima ac ſanctiſſima Mater intueretur in ſuum eundemq; Dei vnicum filium extrema omnia indigniſſime crudeliſſimeq; perpeſſum, dicẽdo nulla lingua aſſequi poſſit, ſed ne cogitando quidẽ mens, caperę̨ queat. Vere enim nõ minus quam pie beatiſſimam Virginem alloquẽs ſcripſit Sanctus Anſelmus: *Quicquid crudelitatis inflictum eſt corporibus martyrum, leue fuit aut potius nihil, comparatione tuæ paſsionis, quæ nimirum ſua immenſitate transfixit cuncta penetralia tua.* Idemque mox. *Cætera ſilentio premo, penitus ignorans, vbi, vnde aliquid dicendum aſſumam, ex quo luctus tui modum o pudiciſsima Virgo alicui proponere queam.* Merito Anſelmus tacere ſatius ducit, quam de tanta rę̨ tenuiter dicere, cum dici pro dignitate non poſſit. Si enim pictor laudari is ſolet, qui Agamẽnonis faciem, cùm filia Iphigenia cæderetur, velandã putauit,

Beda lib. 1. in Luc. cuius ſententiam imo verba Thomas in cathena recitat ex Orig. Pſalm. 56. Aug. epiſt. 59.

Anſelm. de excellentijs Virgin. Mariæ. c. 5.

putauit, quod penicillo doloris magnitudinē exprimere ſe poſſe diffideret, quanto nos Mariæ dolorem immenſum in Ieſu morte ſilentio potius venerabimur, quā verbis longe inferioribus deformabimus? Nō enim inepte ea ipſa de ſe quærere videri poteſt. *Videte ſi eſt dolor ſicut dolor meus: quia vindemiauit me Dominus, vt locutus eſt in die furoris ſui.* Nec non illud. *Poſuit me deſolatam, tota die mærore confectam.* Cur autem Simeon matris animum tam diro nuntio tanto ante perculerit, cum ſolēne ſit ciuileque habeatur, vt fœminas, matres præſertim, celetur domeſticus luctus, ac non niſi neceſſitate vixque promatur, nimirum huius lectiſsimæ fœminæ Spiritus ſanctus voluit teſtatam eſſe virtutem, omni virili robore maiorem: quæ vt occumbenti filio iuxta crucem aſtitit erecta & animo & vultu patientem ſpectans, ſic per ætatem omnem ſocia & comes mortis crucisque eius fuit, nullā ab eo mucrone, quem Simeon prædixerat horam vacans. Nam vt Chriſtus ab ipſo primo in hunc mundum introitu, homo factus, ſacrificium crucis & vidit & ſuſcepit, & obtulit patri, nullaque vitæ eius pars vacua à crucis dolore fuit, ita beatiſsima quoque Chriſti mater, paſsionis eius conſors & particeps, præ omnibus alijs in eadem cruce vniuerſam ætatem egit. *Thren. 1.* *Ibidem.*

Vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes Nihil perinde valet ad merita ponderanda, nihil ad occulta conſilia exploranda, nihil ad cuiuſque mentem depromendam atq; crux Chriſti. Hic vnicus lapis eſt lydius, quo quid ſit aurū, quid aurū mentiatur, explores: quid quodq; valeat, quamque ſit purum probatumque aurum, agnoſcas. *In igne*, ait Sapiens, *probatur aurum & argentum, & viri receptibiles probantur in camino humiliationis.* Et verè pendente Chriſto in Cruce, cogitationes multorum patefactæ ſunt, & quid quiſque gereret animi & amoris in eum. Iudas quidem

6 Crucem Chriſti arcana mentis prodere

Eccleſ. 2.

quidem proditor etiam in cæna adeſt, inde iam ad ſua cœnatus diſcedit; diſcipuli vſque ad hortum comitantur Ieſum: eo comprehenſo diffugiunt: Petrus in atrio Pontificis circumſeſſum, Ieſum oppreſſumque cernens, negat: mulieres piæ ad patibulum duci videntes ſequuntur & lamentãtur: ſed tamen è longinquo, cum crucifigeretur ſtetiſſe hæc ſpectantes, Euangelia produnt. At tu Maria dulciſſima ſingulari virtute, vi amoris inſuperabili iuxta crucem ſtetiſſe deſcribis, tecum aliæ, tecum diſcipulus etiam iuxta crucem: ſine te nullus. *Vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes.* Maiorum odia, & inuidiæ, & impietas, & profunda nequitia: minorum vulgariumque Iudæorum vilitas, inconſtantia, leuitas tunc apparuit: iudicis iniqui peruerſitas & placendi Cæſari non Deo animus, militum Romanorum ſeueritas & ſæuitia, quorundam piorum non bene tecta vſque eo pietas & religio, vt Nicodemi & Ioſeph tunc maxime emicuit. Poſtremo quid quiſque ſit, quid amicitiæ gerat, nullo melius indicio pateſiat, quam oblata occaſione patiendi. *Si poßides amicum*, ait, *in tentatione poſſide illum.* Et Tobiæ Angelus dixit: *Quia acceptus eras Deo, neceſſe fuit, vt tentatio probaret te.* Hinc tentationi etiam vocabulum factum eſt quod afflictio nimirum animum exploret atque indicet, qualis ipſa re ſit.

Luc. 23. *Ioan. 19.* *Eccleſ. 6.* *Tob. 12.*

7 Viduæ ſanctę mores.

Et erat vidua Anna, & cætera, Viduitatis inſigne documentum Anna proponitur: cuius virtutes recenſentur, quod caſta fuerit, quod aſſidua in tẽplo & precibus, quod ieiunijs corpus macerarit: quod de Deo ſalutari locuta ſit multis. Præmia quoque diuina narrantur, quod Prophetiæ dono illuſtris, quod Chriſtum oculis cernere digna habita, quod illius myſteria laudeſque prædicare conceſſum. *Iuſte*, ait, Origenes, *ſancta mulier ſpiritum prophetandi meruit accipere, quia longa caſtitate, longiſque ieiunijs ad hoc culmen aſcen-*

Orig. hom. 19. in Luc.

aſcenderat. Quæ Annæ merita & præmia ſi ſingula perſequenda oratione forent, dies eſſet exiguus. Illud admonitos vos velim, caſtitati pietatem adiunctam, orationem ieiunijs cumulatam: quæ habent inter ſe mirabilem nexum, vimque efficacem. Ita Raphael Angelus diſtinxit, *Bona eſt oratio cum ieiunijs.* Ita Paulus: *Vt vitam agamus in omni pietate & caſtitate. Quæ vero in delitijs eſt vidua, viuens mortua eſt.* Iudith nobiliſſimam viduam domi incluſam, diu orantem, cilicio accinctam, ieiunijs frequentem, diuinæ literæ produnt. Quæ verò diſcunt circuire domos, otioſæ, verboſæ, curiosè loquẽtes quæ non oportet, has Apoſtolus viduas aſpernatur, quæ libertati & libidini prętexunt, quem religioni & modeſtiæ ſtatum viduitatis oportebat conſecratum. Hæc certè vidua Euangelica tam frequens Dei templo aderat, vt ibi dies noctesque ageret. Nullam aliam niſi aut domum ſuam, aut Dei domum nouerat. Felix quæ potuit oculis ſpectare ſalutem mundi, & cum ſacerdotes & Scribæ tacerent, fœmina Chriſtum cunctis mortalibus annuntiabat. Nos quoque à paſtoribus, à Magis, ab his bonis ſenibus eruditi, Chriſtum quæramus, Chriſtum adoremus, Chriſtum amplectamur, atque in perpetuum laudemus. Amen.

Tob. 12. *1. Tim. 2.* *1. Tim. 5.* *Iudith. 8. 9.* *1. Tim. 5.*

IN DIE CIRCVNCISIONIS

CONCIO PRIMA

De initio primi Anni.

Poſtquam conſummati ſunt dies octo, vt circuncideretur puer, vocatum eſt nomen eius Ieſus. Luc. 2.

1 Primum diē Ianuarij Romanis olim, nunc Romanæ Eccleſię principium anni.

Hier. lib. 9. in Ezech. ca. 29. & lib. 2. in Zach c. 8. Aug. lib. 7. de ciuit. c. 7. Macrob. lib. 1. Saturn. c. 9 & 13. Plutarch. in probl. c. 18.

QVOD felix fauſtumque ſit, principium anni auſpicamur hodie, nouum hodie annum inimus, Kalendas Ianuarias tenemus, quas nequaquam Iunoni, vt veteres, ſed Virgini Deiparę conſecratas volumus, filij eius Ieſu Chriſti nouo & ſanguine & nomine dedicatas. Hic dies primus eſt menſis, menſis ipſe Ianuarius veteri inſtituto Romano, primus anni totius. Ita primus Ianuarij dies hodiernus, anni ineuntis exordiū. Nam Ianuariū propterea dictum Hieronymus nō ſemel ſcribit, quod ſit anni ianua. Quem Iano Deo Romana ſuperſtitio olim ſacrauit, quippe cui initia, rerum, vt Auguſtinus in libris ſuis de ciuitate Dei refert, antiquitas curæ eſſe ſentiret. Quanquam Romanæ vrbis conditor Romulus (ſi Macrobio Plutarchoque credendū eſt) primum anni menſem Martium conſtituerat, non Ianuarium, homo ſcilicet plus armorum quam literarum peritus, decem tantummodo menſibus annum circumſcripſerat, magno temporis errore, graui ſolaris circuitus ignorantia. Quem errorem non difficilē deprehenſu correxit ſane ſucceſſor Imperij Numa Pompilius, additis menſibus omnino duobus, Ianuario & Februario, atque in Ianuarium à Martio principio anni reuocato, tametſi plerique menſes priſca ratione numerentur, vt Quintilis, Sextilis, September, October, Nouember, ac denique Decēber, quos liquet nomina eſſe ſortitos numerorum primo Martio reſpondentium. Sed nominibus relictis, re mutata, principium anni ex alio menſe auſpicatum. Atq; vt ſciatis Eccleſiam Chriſti, vt leges pleraſque humanas ex Imperio Romano ſumpſit, in quod imperium magno numinis diuini conſilio Euāgelij prima promulgatio incidit, atq; inde coaluit,

luit, ita etiam anni faſtos, atq; mẽſium anniquera-tiones non immeritò ſecutam ab initio, atque hodiernum vſque in tempus ſemper cõſeruaſſe, exponam breuiter, cur Hebæi quos Romulus ſecutus eſt. Martio exordium anni aſſignarint, cur Romani *Ianuario* potius tribuendũ exiſtimarint. Etenim populo Iſraelitico primũ fuiſſe Martiũ præter autores plurimos, teſtatur Scripturæ autoritas, cũ ita edixerit Deus. *Menſis iſte vobis principium menſium primus erit in menſibus anni.* Ea certè ratione, quod is menſis ex Aegyptia ſeruitute eripuerit filios Iſrael, & in libertatẽ optatam, ac fortunatę terræ diuinitus promiſſę in ſpẽ primus induxerit, tanquam boni principium ritu ſempiterno colendum. Cuius rei volunt nonnullæ naturæ conſentaneam fuiſſe etiam cauſam: Solis curſum ab æquinoctio Martio inchoaſſe, in Arietis ſigno Solem à Deo primum fabricatum aut poſitum. Itaque illud eſſe verisſimũ anni initium, vnde Sol primum moueri cœperit, cuius circuitu annus efficitur. Attamen Romani ex ſolſtitio potius brumali annum auſpicandum rati, eum primum fecere menſem, atque id initium anni ſanxere, ex quo primum Sol ſummopere diſſitus ad nos accedere incipit. Quam ſanè rationem Ouidius in ſuis Faſtis & breui & eleganti diſticho expoſuit: *Exod. 12.* *Ouid. in 1. Faſtorum.*

Bruma noui prima eſt, veteriſque nouiſſima ſolis:
Principium capiunt Phœbus & annus idem.

Quod ſi quis refellendum id putet, quod ſolſtitium non in Ianuarij primum diem, ſed in Decembris vigeſimum primum incidat. Itaq; dies, non hodie ſed decem ante dies, creſcere incipiat: nos facile reſpondemus, ſolſtitium quidem brumale olim, vt Plutarchus etiam atteſtatur ſub initium Ianuarij veniſſe, quo tempore Numa Faſtos Romanos conſtituit, ſed non bene deprehenſa ratione circuitus anni, paulatim magnũ diſcrimẽ inductũ: quod quidem intercalaribus diebus antiqui reformandum *Plutarch. probl. 18.*

puta-

crificijs litabatur opimis, dona offerebantur propria, quæ dulcedinem præſeferrent inſignem, vt cuius numine initia rerum ſecundari crederent, annum ſibi procedere felicem vitamque agi dulcem tribueret: & præteriti quidem anni tanquam finem reſpicientem, ac ſequentis initium ſimul aſpectantem Ianum ſuum bifrontem ſiue biformem pingebant, claues vna manu, altera baculum tenentem, id Ianitori opportunum rati, quem eſſe Ianum cæli foribus præfectum prædicabant. Eſt vero Ianitoris, vt tam introeuntes quam exeuntes videat, atque vtrinque ianuam obſeruet, quod niſi geminata facie fieri apte non poſſe dicebant. Vnde illud apud eundem Poetam Ianus ipſe de ſe.

Ianitor, egreſſus, introitusque videt. — *Ouid. 1. Faſtorum.*
Et mihi ne flexu ceruicis tempora perdam,
Cernere non moto corpora bina licet.

Acute flexu crebro ceruicis ad perſpiciendum tempora perdi ambiguè dictum, quod & mora fiat longior, & caput ſæpe vertendo laſſeſcat. Verum Iani biformis vt dicebam, aliam fuiſſe rationem ſapientiores volunt. Macrobius anni noui principium ſimul præteriti ſpectare, Tullius non diſcrepat, prudentiæ eſſe rerum initia fineſque ſimul intueri. Hominem prouidum ita inchorare noua, vt exitus præteritorum reſpiciat. Huic igitur ſuo Deo noui anni primordia dedicantes, felicem anni curſum ſacrificijs, muneribus, ludis deprecabantur: quos adeo creuiſſe conſtat, vt Chryſologus in eum Chriſtianorum quoque abuſum acriter inuectus ſit in oratione quadam huiuſce diei. Nos vero vana hæc & falſa numina aſpernati diuinum verumq; numẽ hodie inuocamus: ſacrificia offerimus multo anguſtiora, dona damus vberiora, quibus ab ipſo Deo donati ſumus: qui non eſt quidem Ianitor cæli, ſed ipſa ianua. *Ego*, inquit ipſe. *ſum oſtium*. Qui non cla-

Macrob. 1. Saturn. c. 9. & 13.
Cicer. lib. 2. de natura Deorum.
Petrus Rauenas ſiue Chryſolog. ſerm. 155.

uem Dauidis. *Qui aperit & nemo claudit, claudit, & nemo aperit*. Qui non bifronte monſtrum retro æquè vt ante ſpectat, ſed à ſeculo in ſeculum reſpicit vno intuitu, neque eſt vlla creatura inuiſibilis in conſpectu illius. Hic nobis initium eſt, hic finis vitæ, ſalutis rerumque omnium, qui eſt Alpha & Omega. Huius ordinatione perſeuerat dies, huius voluntate annus incipit, cuius anni deficiunt nunquam. Ab hoc impetrandum vt bene inchoes, hic idem exorandus vt feliciter finias. Hic cum eſſet æternus, neque temporum leges pateretur temporum conditor, tamen tempori iam ſubiectus octo dierum infans hodie recenſetur, vt octaua die annum placabilem demonſtraret, æternitatis diem quæ eſt octaua dedicaret.

3 Initium anni ſanguine Dei primum effuſo dedicatum.

Atque Moyſi ſane præcepit Deus, eum primum menſem numerari, in quo menſe primo eſſet agni Paſchalis ſanguis fuſus, atque eo ſanguine ſeruitus Aegyptia in libertatem populi Dei commutata. Noſtrum vero menſem atque annum melioris agni ſanguis hodie dedicat: qui diaboli imperium ſoluit, & filios Dei è duriſſima peccati ſeruitute eripit, ac transfert in regnum vnigeniti filij Dei. Hic eſt enim ver⁹ agn⁹ Dei, qui cruore ſuo diluit peccata mūdi. Quare Ieſus hodie vocatur, cum primum innoxium pro nobis ſanguinem fundit. Nam vt Apoſtolus docet, *Iuſtificati ſumus gratis per gratiam ipſius per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu, quem propoſuit Deus propitiationem per fidem in ſanguine ipſius, ad oſtenſionē iuſtitiæ ſuæ.* Quā redemptionem ſalutemque diuinam, huius ſanguine Agni ſibi partā, cœleſtes quoque ciues ea recognoſcunt & cōfitentur, cū voce concordi canūt: *Redemiſti nos Domine in ſāguine tuo ex omni tribu & natione & lingua: & feciſti nos Deo noſtro regnū & ſacerdotes: & regnabimus ſuper terrā.* Videte quantū interſit perpetuæ atque atrociſſimæ ſeruituti regnū &

Rom. 3.

Apoc. 5.

gloriosum

glorioſum & ſempiternum. Hoc huius agni ſanguine comparatum illi beati proceres gratulantur. Id Zacharias Propheta præclarè teſtatus eſt: *Tu autem in ſanguine teſtamenti tui emiſiſti vinctos tuos de lacu in quo nõ eſt aqua.* Patrum animas ſine dubio intelligens ex inferni carcere eductas, quem lacum ſine aqua vocat, ſubterraneorum ergaſtulorum ſimilitudine, in quibus vincti criminoſi teneri ſolent. Eo igitur ſanguine annus dedicatus fidelibus: neque Eccleſia Chriſti iuuenci optimi ſanguine, vt olim erat in more Romanis, nouum conſecrat annum, ſed puriſſimo diuini agni cruore: neque menſem, vt Hebræi primum eum eſſe vult, quo immolato agno ex Aegypto migrat, ſed eum potius menſem primum numerat, in quo menſe primus ſanguis Chriſti terram tingens homines transfert in cælũ. Ac merito profecto poſſumus tã fauſtis initijs annũ auſpicari, fertilitatẽ prouentumq; vberem expectare, atq; eũ adeſſe annum exiſtimare, quem Deo ſummo & maximo gratum acceptumq; Iſaias ominatur. *Vt mederer*, inquit, *contritis corde, & prædicarem captiuis indulgentiã, & clauſis apertionem, vt prædicarẽ annum placabilẽ Domino, & diem vltionis Deo noſtro, vt conſolarer omnes lugentes.* Hæc quidem Chriſtus profitetur ac præſtat: qui percuſſus hodie medetur, vocatus Ieſus, promulgat ſalutem & libertatem, in ſe vulnus excipiens, peccati pœnam exſoluit, Deumque placat, atque tali & ſanguine fuſo & nomine aſſumpto, triſtitiam omnem depellit, ſpem optimam facit, annum denique fauſtum fortunatumque pronuntiat. Nam quæ poſſint lætiora felicioraque anni exordia cogitari, quam quæ vulnerati vagientiſque paruuli pulcherrimi, & lachrymis & ſanguine dedicantur, & vero diuino ac ſalutari Ieſu nomine illuſtrantur?

Zach. 9.

Eſai. 61.

Ad dura nimium, atque aſpera ea conditio videri poteſt, vt tenellus infans cogatur tantum ſubire do- 4 Summi am oris

S 2 lorem

Chriſti in homines ſtatim pro ijs ſanguinem fundere.

Cypr. in ſer. de Circumc.

lorem eiulatu vt multo teſtetur vulneris inflicti vim ſæuam, ac ſanguine innoxio terram imbuat. *Poſtquam conſummati*, inquit, *ſunt dies octo*. Breuis ſane mora, puſillum interuallum, Nam de cæteris etiam paruulis, quibus ſubeſt origo peccati, plerique rigidum, ac minime Dei benignitate dignum circunciſionis præceptum accuſabat, quod Deo, vt Cyprianus ſcribit, minime afferent conuenire, vt Saluatoris benignitas plagis infantium delectetur, & immeritos, in ipſo vitæ initio, periculo mortis addici, Quid igitur de eo ſentire æquum eſt, qui neque proprio, neque originali peccato teneretur? Nonne melius fuiſſet atque æquius, ſi ſanguis fundendus erat, ætatem maturiorem expectare? Ita ne infans tener & bellus, ſtatim feriendus eſt? Deo vix humanæ vitæ vſuram inchoanti. ferrum protinus obijciendū? plaga crudelis puerulo tam cito inferenda? vix venis concretus ſanguis è veſtigio adimendus? Quid hoc Deus bone & benigne? Nempe quãtus ſit Chriſti in homines amor, quæ noſtræ redemptionis cupido, declarat vehementer hoc facto. Vt enim ij qui merces aliquas precioſas amant, neque vniuerſam pecuniæ ſummam qua conſtant, ſoluere in promptu habent, partem aliquam illico aſſignant, ne tranſigi res cum alio emptore quæat, ſoluturi poſtea opportunè reliquam ſummam, ita mihi videtur redemptor noſter, ſtudio ad hominem redimendum tam inflammato fuiſſe, vt cum primum licuit prætium expromere, & ſanguinem fundere, nihil moræ interponi paſſus, prolixiorem atque vberiorem eiuſdem ſanguinis profuſionem in tempora crucis mortiſque reſeruans, Redemptor ſtatim hominum appellari voluerit. Itaque dies non plus octo moratus, & ſanguinem diuinum libentiſſime fudit, & nomen Ieſu hominum Saluator iucundiſſime tulit. Nam quo arderet deſiderio redemptionis

noſtræ

noſtræ perficiendæ, ſatis ipſe declarat, *Baptiſmo habeo baptizari: & quomodo coarctor, vſque dum perficiatur,*? *Luc.* 12.
Itaq; ex quo primum temporis puncto verbũ æternum humano ſe corpore indutum in virginis aluo vidit, atque ſalutis humanæ pretiũ ſibi adeſſe perſpexit, ſanguinem nimirum ex virgine matre ſumptum, tanquam in marſupio pecunia foret, ſtatim idem illud pretium, id eſt, eundem illum ſanguinem pro nobis obtulit Patri: cum vero licuit idem pretiũ ſalutis noſtræ repreſentare, ac cælo terraq; teſtibus opes ſuas oſtendere ad homines redimendos nõ putauit diutius ſibi expectandum, quin primo illo tẽpore, id eſt octauo die ſanguine perfunderet terrã. Eam Chriſti Ieſu in ſalutẽ hominum pro penſiſſimã voluntatem, atque illud ardens deſiderium, quo ab initio protinus carnis aſſumptæ, ſe ſe obtulit hoſtiã pro nobis Deo, commendat ac demonſtrat Apoſtolus diuinè ad Hebræos ſcribens *Impoſſibile eſt ſanguine taurorum aut hircorum auferri peccata. Ideo ingrediens mundum dicit, Hoſtiam & oblationẽ noluiſti. Corpus autem aptaſti mihi, holocauſtomata & pro peccato non tibi placuerunt tunc dixi, Ecce venio.* Hic illud mihi notate verbũ, *Ingrediens* mundum, quo prima humanæ naturæ aſſumptæ, (quod etiam aduertit Anſelmus) exordia indicãtur. Tum illud alterũ, Ecce venio. Quale illud, ecce, ſit, conſiderate: quæ vis verbi, quanta illa quam prompta & expedita, ardenſque voluntas. *Deus meus volui*, inquit, *& legem tuam in medio cordis mei. In qua voluntate ſanctificati nos ſumus.* Sic ſane philoſophatur Paulus. Cuius ſententiã Cyprianus huius diei oratione repetens ad hunc modũ. dicit: *Propter hoc cum iam fidei tempora propinquarẽt, imperata eſt circunciſio, & pars illa corporis in qua eſt voluptatum ſeminarium, & libidinis officina, iuſſa etiam in paruulis, amputari. vt proprij primitias ſanguinis, ei qui totum ſanguinem ſuum oblaturus erat, offerrent, & communia ſingulorum*

Heb. 10. *Pſal.* 39.
Anſel. c. 10. *ad Heb.*
Hebr. 10.
Cypr. ſerm. de Circunciſ.

gulorum ſacrificia ſingulare præcederent holocauſtum. Vbi vero Chriſtus Dominus venit, de quo in capite libri ſcriptum erat, vt in morte ſua patris voluntatem impleret, ceſſarunt ſacrificia: nec iam truncationem præputij Euangelium imperauit, ſed circunciſionem cordis, & omnem tam membrorum quam affectionum petulantiam gladio ſpiritus reſecari immutabili decreto mandauit. Et tantæ dignitatis illa vna Redemptoris noſtri fuit oblatio vt vna ad tollenda mundi peccata ſufficeret. Præclarè quidem Cyprianus vim & virtutem Chriſti oblationis expoſuit: egregie quid vel antiqua circunciſione vel noua & Euangelica Chriſto rependamus explicuit. Summa enim voluntatę patiendi pro nobis, ille ſanguinem ſuum, & obtulit & fundit. Mirifica vis amoris Chriſti erga nos. Ferreus certe ſit & lapideus qui ad hunc Chriſti ignem, non emolliatur: qui hanc Chriſti voluntatem non agnoſcat, non amet, non ſuſpiciat, non ſibi gratuletur. non denique omnibus cælorum opibus anteponat. Ex cuius voluntatis ardore effectum eſt, vt infans Deus octauo ſtatim die & plagam libens acceperit, & ſanguinem alacriter fuderit.

5 Ad Dei gloriam pertinere maxime, Chriſtum ſtatim pretium noſtrę ſalutis dediſſe. *Exod. 22.*

Neque vero Dei patris in accipiendo ſibi oblato pretio tardior aut remiſſior voluntas fuit, quam filij in ſoluendo. Itaque eam ſanguinis ſui oblationem à filio nuncupatam, re exhiberi Patris æterni maieſtas concupiuit, diuini nimirum honoris & gloriæ ſummum fuit argumentum, pro offenſa ab homine in Deũ commiſſa, diuinus omnino ſanguis profuſus. Quam ob rem octauo die eam victimã ſibi immolari voluit: quem terminum antiqua lege præfixerat. *Primogenitum*, ait, *filiorum tuorum dabis mihi. De bobus quoque & ouibus ſimiliter facies. Septem dies ſit cum matre ſua. octaua die reddes illum mihi.* Num iuuencos aut agnos Deus magnopere curabat? Certe non. Sed hunc cæleſtem agnum præuidebat quem ſibi

ſibi reddi octauo die imperabat, vt ſoluere profe-
cto inciperet, quod hominis nomine obnoxius e-
rat. Septem dies ſub vbere matris tantum permit-
titur. Iam inde quod ſuxerit lactis, cruore reſtituet,
patri immolatus. Quam rem alia quoque lex habet:
Septem diebus erunt ſub vbere matris ſuæ: octauo autem *Leuit. 22.*
& deinceps offerri poterunt Domino. O breue dierum
ſpatium Virgini matri datum, ò noſtræ ſalutis pro-
peratum remedium, pretium celeriter exactum.
Quas tu beata Deipara lachrymas eo ſpectaculo pro-
fudiſti? quos gemitus imis viſceribus commotis
edidiſti, cum flueret ſanguis teneri infantis, cum
plaga accepta vagientem, pedesque ac manus to-
tum contremiſcentem videres? vt exclamare coa-
ctus ſis quod Sephora illa apud Moſem: *Sponſus ſan-* *Exod. 4.*
guinum mihi tu es. Iam vero ſacrificio eo peracto red- *Prou. 31.*
ditum tibi filium, quibus vocibus alloquereris?
Quid dilecte mi? quid dilecte votorum meorum? Et ocel-
los quidem ac genas madentes pueri ſpectans, &
in gremium tuum vltro confugientem, quemad-
modum foueris, amplexataque ſis, ac virgineam
papillam gemibundo porrexeris, & ſpem noſtram
nutrieris, vt quod reliquum eſſet ſanguinis, pro
nobis fundendum, cruci reſeruaretur, quis cogi-
tare pro dignitate ſit par? Tantus demum fuit Chri-
ſto patiendi ardor, tanta patris æterni diuinæ ho-
ſtiæ cupido, denique tanta humani generis, quæ *Iob. 14.*
rem eam vrgeret neceſſitas. *Nemo enim mundus à ſor-*
de, neque infans vnius diei ſuper terram. Ob quas res
omnes Deus homo factus ab ipſa ſtatim infantia
hominis purgare ſordes maculasque eluere, ſuo
ſanguine aggreſſus eſt. Quæ cum ita ſint, anno
iam ineunte pro tanta in nos Chriſti Ieſu libera-
litate & clemētia, aliquid certe nos decet offerre, ali-
quo exordium anni munere dedicare. Ac Romani
quidē hoc die Iano Deo præter victimæ immolatæ

 ſangui-

ſanguinem, etiam mel & palmæ caricas, & ſtipem cui eſſet Iani figura indita, offerebant: nos vero hoc die Deo noſtro rerum omnium principio veriſſimo, diuini agni ſanguinem offerimus: melle omni, & caricis dulcius nomen Ieſu hodie vocatum damus, effigiem denique atque imaginem animo inſculptā noſtri opificis fide pura ac religione ſyncera præbemus. Quibus tam fauſtis fortunatiſque initijs progreſſus pares, atque exitus dignos diuino annuente numine ſpectare ſine dubio debemus.

IN EODEM DIE CIRCVNCIONIS.

CONCIO SECVNDA.

De myſterio circunciſionis.

Poſtquam conſummati ſunt dies octo Vt circuncideretur puer. Luc. 2.

1 Salutatio beatæ Virginis TRADVNT diuinæ literæ pulchram illam adamatamque Rachelem, cum ex Meſopotamia vir eius Iacob reuerteretur cum vniuerſa familia, partus doloribus oppreſſam in ea ipſa regione Bethleem, vbi Saluator eſt ortus, infanti recens nato ab ipſis quibus periclitabatur anguſtijs nomen indidiſſe, eumque appellaſſe Benoni, hoc eſt filius doloris mei. Sed Patrē altiore cōſilio minime eā appellationē probaſſe, atq; immutata paululū voce, ſenſū penitus inuertiſſe, vt pro Benoni Beniamin potius

Digitized by Google

potius diceretur, id eſt, Filius dextræ. *Cum parturiret,* inquit, *Rachel ob difficultatem partus periclitari cœpit. Egrediente autem anima præ dolore, & imminente iam morte, vocauit nomen filij ſui, Benoni, id eſt, filius doloris mei: pater vero appellauit eum Beniamin, id eſt, filius dextræ.* Ac mihi quidem hodie videtur beatiſſima atque inter omnes fœminas ſpecioſiſſima virgo Maria, cum circuncideretur Dominus, inter fuſum ſanguinem & vagitus infantis dulciſſimi teneros, acremque plagæ acceptæ dolorem, ipſa quoque mater magnitudine calamitatis victa ac prope exanimata inclamare potuiſſe, Benoni, Filius doloris mei: quem cum in diuerſorio vili ſæua hyeme ediderim, cogor iam vulneratum ſanguinolentumque intueri. At matre hoc die vehementer afflicta & flente, Pater cæleſtis longe aliud de filio ſentit, cuius animi & robur & alacritatem ad ſalutem hominum procurandum ipſique Deo gloriam tantam conciliandam, hodierni facti teſtimonio contemplans nequaquam Benoni, ſed Beniamin appellandum cenſet, nomine Ieſu præclariſſimo impoſito. Neque enim non eſſe Beniamin potuit, qui non tam filius dextræ, quam dextra ipſa & brachium omnipotentis Dei fortiſſimum ſit. Quippe cui dictum conſtet: *Conſurge, conſurge, induere fortitudine brachium Domini.* *Eſai.52.* Et illud eiuſdem Prophetæ: *Et brachium Domini cui reuelatum eſt?* *Eſai.53.* quod de Saluatore dictum Ioannes teſtificatur. *Ioan.12.* Neque de brachio alio, neque de dextra alia Dauid loquitur: *Tuum brachium cum potentia, firmetur manus tua, & exaltetur dextera tua.* *Pſalm.88.* Igitur & circunciſionem Domini & nomen Ieſu, fratres, hodie celebramus: ac licet matri Virgini ex dolore circunciſi pueri nō exiguus dolor allatus ſit, tamen gloria nominis eximij cum ipſa quoque mater dolorem ſuum valde temperauit, tum æternus Pater eiuſque omnes ſuperni vehementer exhilarati

ſunt. Nos vero in vtraque re mirabilem Dei in nos miſericordiam agnoſcere prædicareque oportet. Nunc vero de circunciſione, quoniam ea prior patrata eſt, quæ videbuntur opportuna dicamus, dicturi aliquando de Ieſu nomine ampliſſimo.

2 Circunciſionem fuiſſe præcipuum legis veteris ſacramentum.

Cypr. in ſer. de circunciſ.

Ioan. 7.

Ac primum fuiſſe cõſtat circunciſionem, vt Cyprianus etiam confirmat, inter omnia populo Hebræo diuinitus tradita, ſiue ſacramenta ſiue ſacra præcipuam. Indicio eſt ſabbathi obſeruationẽ, quãquã ſummopere legi veteri commendatam, tamen circunciſionis ritui cedere ſolitam, ſi in eundẽ diem præceptum vtrunq; coiſſet. Quod Saluator perſpicuum fecit illis verbis: *Moyſes dedit vobis circunciſionem, non quia ex Moyſe eſt, ſed ex Patribus: & in ſabbatho circunciditis hominem*. Quibus verbis duplicem circunciſionis prærogatiuam aſſignat. Vnam de qua erat ſermo, quod ſabbathum circunciſioni cedat: vt ſi in ſabbathum octauus incidat dies non ſit prorogãda circunciſio, ſed eo die ipſo facienda quemadmodum etiam Epiphanius oſtendit, tametſi violari ſabbathi quies videatur. Alterã antiquitatis potioris, cum ſabbati à Moyſe facta ſit obſeruatio, circũciſio anterior fuerit, ab Abraham Patriarcha inducta. Quo iure cæteras omnes legales ceremonias facile ſuperat. Quãta vero autoritate ſit diuinitus imperata, quanta ab illo populo ſuſcepta neceſſitate, demonſtrant certè primæ inſtitutionis verba diuina. *Hoc eſt*, inquit, *pactum meum, quod obſeruabitis inter me & vos, & ſemen tuum poſt te: Circuncidetur ex vobis omne maſculinum: & circuncidetis carnem præputij veſtri, vt ſit in ſignum fœderis inter me & vos. Infans octo dierum circuncidetur in vobis*. Et poſt pauca: *Maſculus cuius præputij caro circunciſa non fuerit, delebitur anima illa de populo ſuo, qui pactum meum irritum fecit*. Quale autem id pactum ſit, & cuius fœderis ſignum circunciſio Abrahæ Patri à Deo præcepta, Paulus

Epiphan. hæreſ. 30. prope finem.

Gen. 17.

Paulus Apoſtolus perſpicuum facit, ita ſcribens: *Et ſignum accepit circunciſionis, ſignaculum iuſtitiæ fidei quæ eſt in præputio: vt ſit pater omnium credentium per præputium, vt reputetur & illis ad iuſtitiam: & ſit pater circunciſionis, non ijs tantum, qui ſunt ex circunciſione, ſed & ijs, qui ſectantur veſtigia fidei, quæ eſt in præputio patris noſtri Abrahæ.* Quæ verba ſub obſcura hunc habent ſenſum, circunciſione quidem ſignificatam fidem ac proteſtatem, quam habuit Abraham antequam circuncideretur, per quam fidem etiam iuſtificatus eſt: Chriſti nimirum fidem ex ipſius ſemine venturi. Quam quidem fidem qui habet, germanus eſt filius Abrahæ, ſiue Iudæus ſit circunciſus, ſiue Gentilis præputiatus. Per quam ſane fidem Chriſti omnes iuſtificantur, fidem inquam non inanem & vacuam ſed viuam & operantem, id enim eſt ſectari veſtigia fidei Abrahæ, quemadmodum etiam beatus Iacobus Apoſtolus expoſuit. *Rom. 4.* *Iacob. 2.*

Ergo qui cupiat ſacramentum circunciſionis probe intelligere cognoſcat neceſſe eſt, quæ fuerit Chriſto cauſa veniendi: quid aduentu effecerit ſuo: quo pacto homines illius aduentus fructum conſequantur. Tria omnino, quibus mirificè totum illud myſterium explicatur. Cauſa Chriſti aduentus peccatum fuit, vt idem Paulus conſequente capite oſtēdit, vbi poſt multa de peccato Adæ per Chriſtum ablato, etiam hæc: *Igitur ſicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem, ſic & per vnius iuſtitiam in omnes homines in iuſtificationem vitæ.* Atque ea fuit ratio cur in genitali parte (quod Manichæi irridebant ac vituperabant,) ſignum id circunciſionis collocatum ſit, quod peccatum Adæ in poſteros propagatione transfundatur. Quod plane originale peccatum ipſo generationis inſtrumento teſtificādum fuit, quemadmodum Auguſtinus ſapienter diſputat. *Non ſine cauſa,* inquit, *data eſt circunciſio,* &

3 Circūciſionē inductā vt peccatū originale deſignaretur, vt fidem Chriſti ex Abraham profiteretur, vt cōcupiſcentiam reſ naret.

Rom. 5.

Aug. lib. 6. cōtra Fauſt. c. 3.

Geneſ.17. *& in eo membro iuſſa fieri, quoniam per illud membrum* Aug.tract. 30.in Ioan. *procreatur creatura mortalium; & per vnum hominem mors, ſicut per vnum hominem reſurrectio mortuorum: & per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors. Ideo quiſque cum præputio naſcitur, quia omnis homo cum vitio propaginis naſcitur: & non mundat Deus niſi per cultellum petrinum,* id eſt, *Dominum Ieſum Chriſtum. Cultellis enim petrinis circuncidebant, & petræ nomine Chriſtum figurabant.* Hæc Auguſtinus qui contra Pelagianos etiam docet ob eam cauſam delendo originali peccato etiam paruulis circũciſionem adhibitam lege minitante. *Maſculis cuius caro circunciſa non fuerit, delebitur anima eius de populo ſuo.* Iam quia Chriſtus ſanguine ſuo (quod erat ſecundum) peccatum debebat tollere, eratque vnica ſpes ſalutis humanæ, iſque de progenie Abrahæ naſciturus e- S.Tho.3. pe. q.70.ar.3. ad primum. rat promiſſus, conuenienter (vt Diuus Thomas etiã docet) loco generationis ſignum diuini fœderis inductum eſt. Idcirco enim præputium Abrahæ amputatum eſt, vt fides Abrahæ eo ſigno declaretur, qui ex ſemine ſuo venturum Chriſtum acceperat, ac fide inconcuſſa crediderat. Id enim Paulus ſentit, Rom.4. cum dicit: *Signaculum iuſtitiæ fidei quæ fuit in præputio* Gen.12. *patris noſtri Abrahæ.* Iam enim longe ante circunci- Gen.15. ſionem imperatam, promiſſionem de Chriſto ex ſe venturo perceperat, Deo affirmante: *In te benedicentur vniuerſæ cognationes terræ.* Et iterum: *Suſpice cælum, & numera ſtellas ſi potes. Sic erit ſemen tuum.* Poſt quæ adiungit Scriptura verba à Paulo tantopere celebra- Rom. 4. ta: *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt ei ad iuſtitiam.* Hanc fidem Chriſti ex ſemine Abrahæ, omnis poſteritas illius circunciſione teſtata eſt ſigno loco generationis impoſito. Poſtremo, ita Chriſti redemptionem homines conſequuntur, ſi carnis concupiſcentias amputent, & ſpiritu Chriſto confor- Galat. 5. mes fiant. Sic enim Apoſtolus tradit, *Qui ſunt Chriſti,*

carnem

carnem ſuam crucifixerunt cum vitijs & concupiſcentijs. Nullo vero loco vis concupiſcentiæ vehementius viget, quam in ſede libidinis: eamque ob rem ei maxime loco circumciſio adhibita lege eſt. Nam vt Bernardus ait: *Pro moderamine diſpoſitio diuina prouidit, vt in ea potiſsimum parte concupiſcentia caſtigaretur, in qua vehementius eam ſæuire conſtabat, & violentius malignari.* Quæ quidem circunciſio externa, veram ac perfectam circunciſionem concupiſcentiæ carnalis lapideo cultro, id eſt, Chriſti verbo patrandam ſignificauit, quemadmodum idem Paulus interpretatur, cum ſcribit: *Non enim qui in manifeſto Iudæus eſt, neque quæ in manifeſto eſt circunciſio: ſed qui in abſcondito Iudæus eſt: & circunciſio cordis in ſpiritu non litera, cuius laus non ex hominibus, ſed ex Deo eſt.* Eam concupiſcentiæ mortificationem circunciſione declaratam Cyprianus eleganti oratione perſequitur. *Tenera*, inquit, *infantia huiuſmodi erat imbuenda doctrina, & ante concupiſcibiles motus, quos peccatum meruerat, miſerabili pœnæ & ineuitabili vindictæ etiam in paruulis adhibenda erat ſeueritas: & antequam ebulliret ſartago libidinum, prouiſum eſt ventilabrum quo refrigerari poſſet & extingui depopulatricis flammæ vagus ardor, & vniuerſa perluſtrans incendium. Ideoque dolor voluptati, & ſanguini delectationis ſanguis tormenti opponebatur, vt in primis elementis diſcerent paruuli ſemper propriæ memores ſectionis, contraria curare contrarijs, & ad cohibendos refrenandoſque turpitudinum appetitus neceſſarium eſſe ſale corroſorio carnis perfricare pruritus, & ſemper recrudeſcentes deſiccare putredines. Ad hæc corpus ſuum mortificabat Apoſtolus, non tamen circumcidens illud ſeminarium membrum, ſed totum ſe crucifigens, & omnibus extraordinarijs motum opponens cauterium, vſque adeo corpus ſuum redigens in ſeruitutem, vt diceret: Viuo autem iam non ego, viuit vero in me Chriſtus.* Hactenus Cyprianus. Hanc ſpiritualem circunciſionem, quod ad libidinis compeſcendæ ſeueritatem

Ber. ſer. 2. de Circunciſ.

Rom. 2.

Cyp. in ſerm. de Circunciſ.

tatem pertinet; Euangelium caſtrationem nominat. *Sunt eunuchi qui propter regnum cælorum ſe caſtrauerunt.*

Matth. 19.

4 Quibus ex cauſis Chriſti circuncidi voluerit.

Oſtenſum credo ſatis eſt, circuncisionem magnis rationibus imperatam tribus præſertim illis, peccato originali teſtificando, remedio per Chriſti aduentum præmonſtrando, concupiſcentia carnis mortificanda. At ſi vera ſunt hæc, circuncisio hodierna Chriſti non ſolum ſuperuacanea ſed pernicioſa etiã videri queat, quoniam quidẽ omnis ea ratio quæ allata eſt, in Chriſtum minime cõuenit, ac proinde falſa, repugnanſque vera ſignificatio facta fuerit: neceſſe eſt. Quid enim Chriſto cũ originali peccato? Num vel ſe peccaſſe vel peccati hæredem profiteri debuit is, in quẽ peccatũ cadere nullo modo poteſt? Fidem verò venturi Chriſti qui præferret, qui ipſemet eſſet? Regiã imaginem alij geſtant: Regi ipſi nihil opus eſt Regis imagine. Nam concupiſcẽtiam frænandam ac mortificandam quid opus fuit circunciſione indicare, ei, quem lex iſta tenere aut attingere minime potuit? Attamen circunciſus eſt hodie Chriſtus, ac diuino conſilio circunciſus. Neque ſine magno id myſterio peractum. Epiphanius eius rei rationes explicat cõplures, valde ſapienter, quibus oſtendit fidem Catholicam confirmari, hæreſis multas refelli. Nempe Manichæi, Apollinaris, Valentini, *Et vt confirmaret*, inquit, *circunciſionem quam olim dederat, iuſte inſeruiſſe vſque ad ſuum aduentum.* Præterea ſe voluit primum oſtendere ex genere Abrahæ eſſe, cui fuiſſet illa de ſe facta promiſſio, in cuius fidem circũciſio adhibita eſt. *Quorum patres*, ait Apoſtolus, *ex quibus eſt Chriſtus, qui eſt Deus benedictus in ſecula.* Quibus patribus conformatum præcipuo illo generis ſigno oportuit, ne Iudæi haberẽt, inquit Epiphanius, excuſationem, & tanquam alienum reijcerent & exploderent. *Sic enim ſcandalizarentur,*

Epiphan. cõtra hæreſ. 30. Ebionitarum.

Ber. ſerm. 1. de Circun. Circũciditur tãquam verus Abrahæ filius.

S. Tho. 3. p. q. 37. art. 1.

zarentur, ait Bernardus, *videntes eum non circuncidi, ſicut hodie ſcandalizaretur Eccleſia, ſi videret paruulum non baptizari*. Deinde quo circunciſionem ipſam tolleret, & baptiſmo mutaret, circuncidi ipſe voluit, legem in ſe implens ac finiens, vt nos transferret in gratiam. Nam *lex quidem per Moyſen data eſt: gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt*. Subijt libenter Chriſtus legis Moſaicæ onera, vt ijs nos oneribus leuaret. Quod Paulus præclare diſputat, *Miſit*, inquit, *Deus filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege: vt eos qui ſub lege erant, redimeret, vt adoptionem filiorum reciperemus*. Quid autem id ſit, & quo pacto elementis liberati ſumus, quibus ſeruiebamus vt paruuli, litera iam in ſpiritum tranſeunte, alio loco explicat ſcribens ad Romanos. Neque hoc eſt legem damnare. Lex enim ſpiritualis eſt, & per Chriſtum impleta, abrogata figura & vmbra ſublata, ſtabilita ac conſtituta veritas eſt. Id mihi Cyrillus egregiè Philoſophatur, ſimillimum videtur videtur pictori, qui delineatam effigiem coloribus ſuis inductis perficit. Neque enim is delere & tollere lineamenta poſita rectè dicetur, quamuis illa mutentur neque rudia maneant vt erant, ſed potius perfici, ornari, impleri. Ad eundem modum ſimul Chriſtus legem & impleuit & ſuſtulit, ſimul abrogauit atq; perfecit. Recte proinde ab Auguſtino eſt dictũ. *Dominus quia ē ſuſcepit circuncisionem oblaturus ipſam circunciſionem ſuſcepit vmbram, daturus lucem, ſuſcepit figuram impleturus veritatem*. Denique circuncidi voluit, vt nobis ſpiritualis perfectæ circunciſionis formam traderet. Quemadmodum idem gentium doctor demonſtrat Coloſſenſibus. *In quo* (inquit, *Chriſtum antea dixerat*) & circunciſi eſtis circũciſione non manufacta in expoliatione corporis carnis in circũciſione Chriſti, cõſepulti ei in baptiſmo, in quo & reſurexiſtis per fidem operationis Dei qui

Ber. ſer. 4. de Circun.

Ioan. 1.

Galat. 4.

Cyril. lib. 1. de adorat. & cultu in ſpiritu.

Aug. ſerm. 13. de temp.

Coloſſ. 2.

Auguſt. de verb. Apoſtol. ſerm. 15.

ſuſcitauit illum à mortuis. De qua re Auguſtinus ſic: *intellige tu circunciſionem, & eſto circunciſio: intellige & eſto. Intellectus bonus ſed omnibus qui faciunt eum. Non vtique fruſtra octauo die iuſſus eſt infans circuncidi, niſi quia petra qua circumcidimur Chriſtus erat. Cultellis enim petrinis circunciſus eſt populus. Petra autem erat Chriſtus.* Hæc ſane circunciſio ſpiritualis atque perfecta, inchoatur quidem à viris Euangelicis in hac vita mortali, ſed plena perfectaque non obtinetur, niſi in Reſurrectione vitæ immortalis, in qua omni cõcupiſcentia relegata, atque vniuerſo mortalitatis præputio amputato, corruptio tranſit in corruptionem, mors in vitam, dedecus in gloriam, peccati lex in ipſam plenitudinem gratiæ: quod ſane ampliſsimum glorioſæ circunciſionis myſterium mirificis laudibus ſancti Patres celebrant, & in cælum tollunt. Atque ob eam rem populo *Iſraelitico*, cum iam eſſet in terram promiſſionis inferendus, ſecundam circunciſionem docent diuinitus imperatam, eamque non à Moyſe, ſed à Ieſu duce celebratam. Qui Saluatoris noſtri figuram & actu & nomine expreſſerit.

5 Quid ſignificet octauus dies circunciſionis neceſſario deputatus.

Neque enim magno myſterio vacat, quod Chriſtus octaua die eſt circunciſus, neque temere dies octaua præſcripta diuino inſtituto circunciſioni fuit. *Infans*, inquit, *circuncidetur octauo die*. Quod præter naturalem conuenientiam, quòd ſeptem primos dies animal imbecillum admodum ſit, & quauis mutatione grauiore periculum mortis adeat, vt Ariſtoteles, vt Phyſici etiam ſentiunt. Ex quo fieri ille cenſet, vt nomen infantibus ante diem ſeptimum non imponatur, quod vſque ad eum diem, vtrum durare habeat, minime liqueat, nomen autem niſi rei manſuræ non ponitur. Hac ergo excepta phyſica ratione, fuit ſine dubio longe certior myſterij ratio, ne ante octauum diem infans circunci-

Geneſ. 17.

Ariſtot. de hiſt. anim. lib. 7. c. 12.

Plurimi infantes ante ſeptimum diem intereunt.

cunciderctur. Idque ita obſeruatum, vt etiam periclitante paruulo originalis peccati remedium aliud quæreretur, per fidem nimirum aliquo ſigno declaratam, vt fœminæ etiam iuſtificabantur, & maſculi ipſi ante circuncifionem inductam. Quod accidiſſe puero ex Bethſabe nato credimus, quē ideo non fleuiſſe mortuum Dauidem Ambroſius ſcripſit, quod ſalutem eſſe conſecutum non dubitaret. Ergo cum octaui diei præciſa obſeruatio circuncifioni adhibita neceſſario fuerit, magnum aliquid octaua indicari cenſuit Spiritus ſanctus. Id magno conſenſu Patres declarant vitæ beatę ſignificationem continere, quam Chriſtus reſurgens ex mortuis morte perempta, atque omnibus mortalis vitæ miſeris amputatis hominibus attulit. Nam reſurrectionem die octauo, qui eſt etiā propterea Dominicus appellatus, accidiſſe nemo neſcit. Is dies quoniam exactis ſeptē diebus hebdomadæ, quibus mundus eſt conditus & Dei requies acta, redit ad primum circulo quodam, ac iam eſt alterius principium hebdomatæ, propterea æternitatem, ac nouæ vitæ regenerationē oſtendit. Cum ſit ergo æternæ beatæq; vitæ ſymbolum quoddā octauus dies, in eo circuncidi oportuit Chriſtum, qui erat ſpoliaturus carnem noſtram carnali omni concupiſcētia & miſeria, ipſo præputio denotata. Ad eam rem prædicandam, & beatitudines prędicatæ ſunt octo, & primæ atq; octauæ idem eſt præmium propoſitum, regnum cælorum: & Eccleſia etiam præcipuas ſolennitates octaua claudere ſolet, & pro octaua pſalmi complures inſcripti reperiuntur. Quin etiam Diuus Epiphanius ipſum nomen Ieſus, Græcis literis explere docet numeros octingentos octaginta octo: quam rem Beda luculenter demonſtrat pertinere ad Reſurrectionis perfectionem, quia ter repetito numero octauo ſignificatur, declarandam.

Vnde ſit vt nomina ſeptimo die imponantur tanquam ſaluti tā pueri magis credamus.

Ambroſ in orat. funebri Valentiniani iunioris.

Iuſtinus in colloquio Tripho.

Auguſt. ſer. 15. de verb. Apoſt.

Bern ſer. 3. de Circun.

Cypria. ſer. de Circun.

Epiph hær. 34. paulo ante vīc d.

Beda in 2. c. Lucæ.

6 Circunciſione opus ad ſalutis nomē adipiſcendum.

Circunciſio iam puero nomen Ieſus, id eſt, Saluator imponitur. Nimitum non prius quam plagam accipiat, & ſanguinē fundat, glorioſi nominis præconio potitur. Sic habebant cum Patre æterno pacta conuenta: *Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longæuum.* Et rurſus: *Pro eo quod laborauit anima eius, videbit & ſaturabitur: in ſcientia ſua iuſtificabit ipſe iuſtus ſeruum meus multos, & iniquitates eorum ipſe portabit.* Quod ſi Chriſto tanti conſtitit ſalus hominis, ipſi homini nonne aliquid erit pro ſalute ſua agendum? Si ille vt Saluator ſit atque dicatur, circunciditur, tu ne vt ſaluus ſis, nihil perpetieris? Pulchrè Bernardus. *Itane ſano opus eſt medicina, & non potius male habentibus? imo vero, itane eget medicamine, non æger ſed medicus?* Nolite vos ipſos fallere fratres, ſi Chriſto tot & tanta tolerata ſunt pro ſalute veſtra, vobis nonnihil etiam tolerandum erit, vt ſalui ſitis. Apoſtolum audite: *Hæredes quidem Dei, cohæredes autē Chriſti: ſi tamen compatimur, vt conglorificemur.* Conſortium gloriæ non feret, qui conſortem ſe paſſioni negauit. Recte prorſus Bernardus admonet: *Et nos fratres circuncidi neceſſe eſt, & ſic nomen ſalutis accipere, circuncidi ſane non litera ſed ſpiritu & veritate, circuncidi non vno membro, ſed toto corpore ſimul.* Circuncidat oportet carnis ſuæ ſuperflua, reſecet voluptates, vanitatibus renuntiet, faſtum amputet, cupiditatem detruncet, ambitionem abſcindat, curioſitatem adimat, gulæ oblectamenta detrahat, veſtitu & cultu ſit parco, omni denique actu moderatus ſit, quicunque inſigniri glorioſo nomine cupit, vt ſaluus ipſe Chriſti Saluatoris ſocius ſit. Filij Iſrael non ante in terram promiſſionis introducti ſunt, quam præputia longo tempore inueterata amputarent, idque imperio Ieſu ducis magni qui prius Auſes, mox Ieſus dicitur appellatus eſt: ſignificat autem vt Tertullianus docet imo patres omnes, Chriſtum Ieſum,

Eſai. 53.

Ber. ſer. 1. de Circunciſ.

Rom 8.

Ber. ſerm. 1. de Circun.

Tertull. lib. aduerſus Iu-

ſum, qui mundauit ſibi populum acceptabilem ſectatorem bonorum operum. Quam circunciſionem non carne ſed ſpiritu Propheta prædicat, vt ijdem Patres admonent, cum ex Dei perſona percipit, *Circuncidimini Domino, & auferte præputia cordium veſtrorum.* Abraham quidem, vt Auguſtinus doctè animaduertit, cùm nomine auctus eſt diuinitus, tunc iuſſus eſt circuncidi. Neque ipſe ſolus ſed vniuerſa quoque familia eodem ritu & more circunciſa eſt: Patrem veriſſimum multarum gentium Chriſtum agnoſcere debemus, qui pater futuri ſeculi nuncupatur: at eo nomine quo nullum eſt maius, à patre decoratus eſt, cum ſeipſum gladio & ſacrificio obtulit Nonne id præclarè demonſtrat Apoſtolus? *Humiliauit ſemetipſum vſque ad mortem, mortem autem crucis: Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen.* Sequatur ergo familia omnis magni Patriarchæ Abrahæ exemplum: & ſinat ſe Chriſtiana gens gladio ſpiritus circuncidi, vt ſicut ſocij paſſionum ſumus, ſic & ſocij efficiamur conſolationum per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

dæos bene poſt ſ.ed. *Hier. lib. 2. cōtra Iouin.* *Auguſt. lib. 16. de ciuit. c.26.* *Gen 17.* *Eſai.9.* *Philip.2.* *2.Cor.1.*

IN EODEM DIE CIRCVNCISIONIS CONCIO TERTIA.

De nomine Ieſu.

Vocatum eſt nomen eius Ieſus. Luc. 2.

QVOD *nomen Dei, & quod nomen filij eius ſi noſti:* Id quærens Salomon declarat certè tantā

 eſſe

eſſe eius rei altitudinem, vt eo pertingere humana
Prou. 30. ſcientia non poſſit. Eſt enim nominis propria vis, rei eius cuius eſt nomen, naturam indicare: ob eamque cauſam Adamo omnia animantia repræſentata
Gen. 2. Scriptura ſacra narrat, *Vt videret quid vocaret ea* id eſt, vt perſpecta cuiuſque natura ſapienter nomina imponeret. Eſt vero, Dei natura & eſſentia ea, vt cogitationem omnem ingeniumque humanum longiſſimè excellat. *Deus incomprehenſibilis cogitatu*, ait
Hier. 32. Hieremias. Facilius exiguus vrceus capiat Oceanum, quam mens noſtra naturam illam. Olim cum fortiſſimus vir Iacob diu cum Angelo lucta certaſſet, nomenque Angeli ex eo quæſiſſet, reſponſum
Gen. 32. tulit eiuſmodi. *Cur quæris nomen meum?* quod eſſet nempe mirabile. Quod ſi audaciæ eſt, ne temeritatis dicam, eius ſubſtantiæ velle ſcire nomen, quæ quanuis ſubtilis & incorporea, excelſaq; eſt, tamen & condita eſt, & finita, certiſque naturæ limitibus circunſcripta, quo pacto non ſit maxime temerarius habendus: qui Dei, id eſt, illius omnium effectricis incomprehenſæque eſſentiæ nomen inquirat? Audi magnum Dionyſium ea de re Theologi-
Dionyſ. c. 1. *de diuin. nominibus.* cè ſane diſſerentem: *De hac igitur.* inquit, *ſuper ſubſtantiali ſecretiſſimaque deitate neque dicere quicquam, neque cogitare præſumendum eſt aliter, quam ſacra nobis eloquia tradiderunt. Nanque eius (quicquid tandem ipſa eſt) & ſcientia & intelligentia omnibus eſt inacceſſa ſubſtantijs, vtpote ab omnibus altiſſimis modis excepta. Denique Theologos plures inuenias illā non modò vt inuiſibilem incomprehenſibilemque laudaſſe. verum & inſcrutabilem ineſtigabilemque dixiſſe, quaſi nullum ſtet veſtigium eorum, qui ad eius ſecretiſſimam infinitatem penetrarunt.* Et idem deinceps: *Arcanum quidem diuinitatis quod intellectum omnem ſubſtantiamque traſcendit, inſcrutabilibus & ſacris animi venerationibus, ineffabilia caſto honorantes ſilenti ad eos quos ex ſanctis literis haurimus, fulgores inten-*

tendimur. Hæc Dionyſius de diuinis nominibus ſcripturus præfatus eſt.

Quod ſi de huius viri ſententia ipſum cæleſtem Cherubim volatum, alaſque perniciſſimas atque celerrimas effugit vincitque illius celſitudo ſubſtantiæ: cuius inſaniæ fuerit ſcatabæum eo contendere velle? Quod nomē igitur filij Dei, ſi noſtri? Sed quod nos aſſequi nulla ratione poteramus, id Dei clemētia & bonitas hodierno die ſingulari beneficio præſtitit, nomēque ſuum hominibus manifeſtum fecit. Nam quia diuina natura, comprehendi nec nominari à nobis aptè poterat, humanam Deus aſſumpſit nobis nō ſolum notam, ſed communem etiam maximeque tractabilem atque conſpicuam. Itaque illam maieſtatem in comprehenſibilem in exigui pueri anguſtias incluſit, qui & corpore tenerrimo & ætate recenti dierum octo non ſolum oculis ſpectari, & ſenſu cognoſci, verum poſſit etiam complexu facillimo aſtringi. In eum puerum intuens Eſaias lætiſſimus canit, *Paruulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, & vocabitur nomen eius Admirabilis.* *Eſai.9.* Nempe is, quem antea nec noſſe, nec nominare licebat, pro ſua magnitudine, ſimul atque paruulus effectus eſt, nomen accepit, licetque homini Deum vocare nomine proprio. Ac pueris ſane nomina indi ſolent, quo & ipſi vocentur, & ſi quando vocentur agnoſcant, vocantibuſque reſpondeant.

Nunc igitur quoniam Deus puerulum ſe nobis præbet, & vocare poſſumus, cuius ante nomen (quod eſſet ineffabile) ignorabamus, & vocarus ipſe de nomine reſpondebit? *Propter hoc, ait idem ipſe, ſciet populus meus nomen meū in illa die, quia ego ipſe qui loquebar, ecce adſum.* *Eſai.52.* Iam ſe præſentem exhibuit, iam non per nūtios & deſcripto agit, vt quondam: ſed ipſe coram eſt, oculis mortalium adeſt, ob eamq; rem nominis ſui copiam populo ſuo ſe feciſſe ſignificat.

2 Nomen Ieſu, id eſt, Saluatoris eſſe precia- tiſſimum.

Ad res omnes nominari videmus ex eo, quod in ipſis præcipuum eſt, quodque plurimum eminet. Regi, quamuis dux quoque ſit, ſi ducem non Regem appelles, iniuriam feceris: ſi Regem Hiſpaniæ, malis Siciliæ Regem aut Neapolis dicere, ineptus habearis neceſſe eſt. Neque Epiſcopum quiſquam diaconum aut presbyterum vocat, neque Papam Epiſcopum: tametſi & Papa Epiſcopus, & Epiſcopus Presbyter ſit. Cur quæſo? quod ſolenne vſitatumque ſit de præcipuo rem nominare, titulum cuique aſcribere maximè inſignem. Id hodie cōtrario modo factum cernimus.

Cum ſint enim plurima eademque clariſſima nomina Dei, & maxime illuſtres tituli, illum præferri cæteris intuemur, qui humilior obſcuriorque ſit. Quid enim ad illam maieſtatem, vocari Saluatorem hominum: Nanque vt Epiphanius literis tradidit, *Ieſus in Hebraica lingua curator appellatur, aut medicus, & Saluator.* Medici igitur aut chirurgi officium exponere videtur id nomen, quod ægrotis ſalutem afferat, atque amiſſam valetudinem recuperet, res quidem non mala ſed tamen abiecta & humilis, neque ea maieſtate digna. Nonne potius erat, antiquo nomine Exercituum Dominum appellare? aut omnipotentem, quemadmodum Prophetæ appellant? aut certe ſublimi nomine Altiſſimum, vt Dauid hunc eundem Dei filium vocat? Num hoſce titulos atque hæc illuſtria nomina amiſit, propter ea quod factus eſt homo? Minime vero. *Et vocatum eſt nomen eius Ieſus.* Et nomen & rem Euangelia tradunt, *Vocabis nomen eius Ieſum, ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum.* Nempe id Saluatoris nomen nequaquam Apoſtolo Paulo videtur cæteris inferius aut obſcurius, quin potius omni alio nomine excellentius atque ſublimius *Exaltauit*, inquit, *illum, & dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen: vt in nomine Ieſu omne genu fle-*

Epiphan. hæreſ. 29.

Pſalm. 86.

Matth. 1.

Philip. 2.

nu flectatur. Nam ſicuti Bernardus præclarè ſcripſit, eo nomine ea omnia continentur nomina, quę Propheta recenſet: *Vocabitur nomen eius Admirabilis, Conſiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri ſeculi, Princeps pacis.* Denique Ieſus Saluator minime ab eo differt, quod idem Propheta futurum Chriſti nomen prædixit, Emanuel, hoc eſt, Nobiſcum Deus. Eſt enim Ieſus, Deus homo, hominum defenſor, adiutor, atque ſeruator. *Bern. ſer. 2. de Circum.* *Eſai. 9.*

3 Maius & prętantius Deo fuiſſe ſaluare quā creare hominem.

Quem plane titulum tanquam ſibi ſummopere illuſtrem glorioſumque Deus præ omnibus alijs elegit, in quo non modo bonitas ſapientiaque eius ſpectetur, ſed ipſa potentia & maieſtas ſummopere eluceat. Id vt ſe habet, cognoſcere, noſtra maxime refert. Etenim creandis quidem cælis, cæleſtibuſque ſpiritibus infinita prope multitudine, perfectione naturæ eximia, terræ quoque & animantium, rerumq; aliarum omnium tam multiplici tam abſoluta forma condenda, elucet ſatis Dei magnitudo & omnipotētia, quæ tot & tanta produxerit, nulla ope, nullo cuiuſq; auxilio aut opera. Sed vt auxilio nō eſt vſus operave cuiuſquā, tamē neq; violēti & imperāti obſtare potuit quicquā impedimentū Creatori creatura non fecit. At iuſtificando ſaluandoq; homini, maiori opus eſt ope, fortiorq; manus Dei rem perficit: quippe cum habeat reſiſtentem ſibi hominis voluntatē, peccato armatā, Deoq; infeſtam. Quam plane voluntatē repugnātem vincere, & nulla violentia inducta, liberrimam, potius in contrarium flectere, ſibiq; ſubdere, id profecto ſummopere infinitam illius diuinæ maieſtatis potentiam declarat, infinitæ bonitati ſapientiæq; non imparem. Diſputat eximiè Auguſtinus, quam magnum Dei opus ſit iuſtificatio impij his verbis: *Prorſus maius eſſe hoc dixerim (loquitur vero de iuſtificatione impij) quam eſt cælum & terra, & quæcunque cernuntur in cælo & in terra.* *Aug. in Io. tract. 72.*

Et cælum enim & terra träſibit, prædeſtinatorum autem id eſt eorum, quos præſcit, ſalus & iuſtificatio, permanebit. Sed & in cælis ſedes, Dominationes, Poteſtates, Archangeli, Angeli, opera ſunt Chriſti. Nunquid his operibus maiora facit, qui operante in ſe Chriſto, cooperatur ſalutem æternam ac iuſtificationem ſuam? Non hic audeo præcipitare ſententiam. Intelligat, qui poteſt, iudicet, qui poteſt, vtrum maius ſit iuſtos creare, quam impios iuſtificare. Certe enim ſi æqualis eſt vtrumque potentiæ, hoc maioris eſt miſericordiæ. Magnifice prorſus Auguſtinus opus iuſtificationis ſuper cælos extulit. Illud autem attentius conſiderandum eſt, quod Scriptura diuina cum de creatione agitur, ſimpliciter dixiſſe ſat habuit. *In principio creauit cælum & terram*: At cum de iuſtificatione ſermo eſt, cum magna emphaſi dicit: *Ego ſum, ego ipſe ſum, qui deleo iniquitates tuas propter me*. At certe quanta ea res ſit, verbis paulo ante illis oſtendit. *Seruire me feciſti in peccatis tuis, præbuiſti mihi laborem in iniquitatibus tuis*. Terras, maria, cælos ſine vllo labore condidit, imò vero per ludum & iocum, vt teſtatur ſapientia de ſe, *Cum eo eram cuncta componens, & delectabar per ſingulos dies, ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum*. Totam illud hexameron, id eſt, ſex dierum opus tanquam ludicrum ſibi fuiſſe omnipotens ſapientia confirmat: eadem cum de redimendo homine, & peccato abolendo agit, ſeruiturem, & laborem plurimum narrat. Hoc adeo difficile & arduum opus, vt fatigari, & ſudare, & laſſeſcere Deo conuenerit, vt nomen decuſque Saluatoris auferret, meritoque eo titulo iam gloriatur.

Gen. 1. *Eſai. 43.* *Prouerb. 8.*

4 Ex quibus quaq; magnis mal:s leſus eripiat hominem

Vocatum eſt nomen eius Ieſus: Si Saluatoris præſtantiam cognoſcere cupitis, conſiderare debetis, & quibus ex malis eripiat, & quæ bona conferat in hominem. Recordamini Mardochæum, quem necis damnatum, cum patibulum erectũ expectaret, momẽto temporis

temporis Regia magnificentia non ſolum cruciatu infamiaque liberauit, ſed etiam regni inſignibus gloriaque conſpicuum ſuper omnes proceres euexit, atque ipſi hoſti Amano, quam parauerat in Mardochæum, crux eſt reddita. Quæ inopinata mutatio, *Eſther. 67.* quantum cunctis admirationis attulerit facile cogitare poteſtis, Qui erat heri reus atrocis deterrimique ſupplicij, hodie ſecundus à Rege in aula floret, atque in vniuerſo Imperio dominatur Nihilomninus minus accidit ei, quem Chriſtus ſua gratia iuſtificat, quippe de æternæ damnationis infeliciſſimo ſtatu, non ſolum in libertatem, ſed in regnum etiam ſempiternum transfertur. Quas duas res Paulus præclare commendat illis verbis: *Qui eripuit nos de poteſtate* *Coloſſ.1.* *tenebrarum, & tranſtulit in regnum filij dilectionis ſuæ, in quo habemus redemptionem & remiſsionem peccatorum,* Duæ certe res ſunt, & à peccati miſeria liberari, & hæreditatis cæleſtis iure potiri. Si ſola illa prior pręſtaretur, eſſet tanti beneficij, vt par ei hominis gratia vnquam eſſe non poſſet. Quis enim dicat quæ ſint & quanta peccati mala? Socratem refert Plutar- *Socrates.* chus philoſophiæ ſuæ ſummam, caputque illud dicere ſolitum, *Noſſe hominem mala ſua, hiſque liberari.* Neque erat exigua profeſſio ea, quam profecto præſtare Socratis doctrina non poterat, præſtat vero vnicè Euangelium Chriſti, Læſæ maieſtatis reus fortunis, dignitate, ac vita ipſa iure priuatur: generis aut officij ſi quæ habet ornamenta, ſtatim amittit, bona publicantur omnia, mors denique ignominioſa ſuccedit. Iam crimen quodcunque peccatumque mortiferum in Deum admiſſum, læſæ maieſtatis diuinæ reatus eſt, quod ſignificat Sapiens, cum dicit, *Initium peccati apoſtatare à Deo.* Id quoniam crebro facileque vſurpatur, non magni fit. Sed res eſt vehementi dolore digniſſima, eo ipſo ſcelere admiſſo? mortis reatu addici hominem, mortis inquam æ-

ternæ. Nobilitatis iure omni excidit, qui filius Dei
eſſe deſiſtit, diuina gratia nudatus, bona omnia merita amittit, peccati ſeruituti addictus. Sic iuſtitia olim originali perdita, quæ ius quoddam erat diuinæ familiæ ac nobilitatis, imperio etiam ſubditorum exutus eſt homo. Repugnat appetitus ſenſitiuus rationi, caro ſpiritui obſiſtit. Summa in bonum difficultas agendi, facilitas in malum ſumma. *Spoliauerunt eum*, ait, *plagis impoſitis, ſemiuiuo relicto*. O miſerum ſtatum, atque deflendum, quam multi errores & tenebræ. Quantæ & quam ſæuæ animi perturbationes, iræ, timores, curæ, mœrores, ſuſpiciones, cupiditates, deſperationes, inuidiæ, furores, impetus, odia, impotentes amores, triſtiſſimi exitus, pugnæ intus ſæuæ & cruentæ. Iob dolenter Deum appellabat: *Quare me poſuiſti contrarium tibi, & factus ſum mihimetipſi grauis*: Paulus clamitabat: *Infelix ego homo, quis me liberauit de corpore mortis huius* Dauid vociferabatur, *De profundis clamaui ad te Domine*. Et erant illi viri ſanctitate præcipua: quid homines ſentire oportet, quorum eſt longè peccati ſeruitus grauior? Quis enim tam dura vincula, tetrumque carcerem peccati non ſentiat? Aut quis ea mala ſentiens, non ingemiſcat, non ploret, non diuum atque hominum fidem opemque imploret? Eſaias quidem recte vaticinatur & merito, *Clamabunt ad Dominum à facie tribulantis, & mittet eis Saluatorem, & propugnatorem, qui liberet eos*. Fieri non poteſt, vt qui mala cognoſcit ſua, non iis remedium ſedulo petat. Neque poteſt, qui ſenſu doloris inter plagas vritur, non clamare, & plagis modum precari. Quod ſi nos minime vociferamur & quærimur, id eſt in cauſa, quod mala non cognoſcimus noſtra, eſtque id omnium malorum malum maximum. *In magno*, ait Scriptura, *viuentes inſcitia bello, tot & tanta magna mala pacem appellant*. Pulchre

Luc.12. *Iob.7.* *Roman. 7.* *Pſal.120.* *Eſai.19.* *Sap.14.*

chrè id à Sapiente dictum de genere hominum perditorum inſano. Nam quibus ſenſus aliquid ac mentis relictum eſt, ij, profecto malis excitati ſuis ſalutem tot morbis quærunt, neque aliam inueniunt vllam, niſi eam quam affert Ieſus. *Ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum.* Proprium ac peculiare munus Ieſu, ſaluos facere homines, ex miſerijs eripere omnibus, quam rem profitetur & præſtat libenter, & in laude ponit, ob eamque rem vocatum eſt nomen eius Ieſus. *Matth. 1.*

Neque vero malis ſolum miſerijsque ingentibus Ieſus liberat ſuos, verum bonis etiam cumulat infinitis. Vtrumque enim, ſi meminiſtis, aſſerebat Apoſtolus. *Eripuit nos de poteſtate tenebrarum quod erat prius & tranſtulit in regnum filij ſui dilecti.* Hoc eſt alterum. Itaque ſeruator noſter Ieſus Chriſtus ſeruos ſupplicio mortis æternæ addictos non putauit ſolum liberandos, ſed præterea libertate donatos regni iure auxit, Deique filios efficit. Magnam eam felicitatem Salomon narrat, *Quod de carcere cateniſque interdum quis egrediatur ad regnum,* quam felicitatem cum Agrippæ Herodi accidiſſe tum Claudio Imperatori hiſtoriæ produnt, alter à Caio de vinculis ad regnum Iudaicum irrutus: alter ab ipſo Caio extincto latitans ab ijs eſt Imperator ſalutatus, à quibus vltimam cladem metuebat. Sacræ literæ Ioſephum Danielemque commemorant id gloriæ felicitatiſque conſecutos, vt è carcere, aut cauea ad regni præclariſſima munera aſciſcerentur. At id quod rarum ac mirabile vix tot ætatibus euenit, fit in regno Chriſti ſane quotidie. *Dedit,* inquit, *eis poteſtatem filios Dei fieri.* Filios Dei, reges cæli eſſe oportet, diuinę gloriæ hæredes. Regno nihil habent humanæ res maius & pulchrius. Qui regnat, excellat omnibus alijs neceſſe eſt, neq; eſt quicquam quod expetāt homines æquè vt excellentiam. Qui regnat, iucundis omnibus

5 Quam magna bona ijs quos ſaluat, Ieſus cōferat

Eccleſ. 4. De Claudio Suetonius. De Herode Agrippa Ioſephus.

Ioan. 1.

omnibus fruitur,cum ſelectiſſima quæque illius voluptati pareant. Qui regnat denique, voluntatis imperio cuncta gerit cuius nēpe decretis cedere atq; obtēperare omnes oportet. Itaque cū in rebus humanis nihil amplius & præclarius ijs regni fructibus exiſtat, cōuenienter diuinæ litteræ bona ea quæ maxima & ſumma Chriſtus confert, regnum cælorum appellant.

Quare in illa patria cæleſti magnitudine infinita bonorum potiti beati homines in Chriſtum intuentes ad hunc modum concinunt: *Redemiſti nos Deo in ſanguine tuo, & feciſti nos Deo regnum, & ſacerdotes & regnabimus ſuper terram*. Propterea etiam diademata commemorant cæteraque inſignia regia illis ſenatoribus propria, quippe qui cum Deo & Agno regno ſempiterno diuino iure potiantur. Dices fortaſſe, ineptum videri tot eſſe vno in regno reges, vel potius totidem eſſe Reges in illo regno, quot ciues. Regnare enim vnius eſt, non multorum. Quod ſi Reges iu cœlo omnes ſint, vbi erunt ſubditi, quos regant? At vide quanta illius ſit regni cæleſtis amplitudo & maieſtas. Nam ſi quid eſt in regno voluptatis & gloriæ id cumulatè habent cuncti illi beati. Quid enim tam regium eſt, quam voluntatem vnius reliquos omnes ſequi? at id in illa patria nemo eſt, qui non habeat. Nihil eſt enim quod velit quiſquam, quin cæteri omnes ſtatim & velint, & aſſentiantur: neque regnum regi paret vllum æque, vt illi omnes cuicunque beato obtemperant. Quare fit, vt cum Rex ſit, quicunque Deo fruitur, & omnes ſint certe Reges, & quod pulcherrimum dictu eſt. Reges ſint Regum omnium. Nam præ charitate diuina non ſolum Deo ſe quiſque ſummittit, ſed cuicunq; etiam Dei amico germano. Sin minus quiſpiam capiat eam cæleſtis regiæ claritatem atque amplitudinem, det operam, vt intelligat, quid illud ſit quod

Appoc. 5.

Galat. 5.

præce-

præcepit Paulus: *Per charitatem ſpiritus ſeruire inuicem:* quæ plane charitas ſpiritus nuſquam ita eſt perfecta abſolutaque, atque in illa vita beata. Neque vero eſt ea charitatis ſeruitute liberrima illuſtrius vllum aut præſtantius imperium. Nam quæ in humana regno non ad gloriam voluptatisque dulcedinem, ſed ad moleſtiam curarum, laborumque pertinent, ea ab illo regno longiſſime abſunt omnia. Nulli ibi angores, nullæ inſidiæ, nullus nuntius infauſtus, non doli, non conflictus, non cæteræ moleſtiæ, quæ regnũ mortalium graue ærumnoſumque reddunt. Illic pax perpetua, lætitia minime interrupta, ſecuritas ſempiterna. Atque hæc bona omnia confert Ieſus: eam ſalutis felicitatem tribuit. *Vocatum eſt nomen eius Ieſus.* Idcirco diuina eum Scriptura, & Dei ſalutem vocitat & ſalutare Dei, & Deum Saluatorem meum. Cui Dauid canit non tantum: *Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui redimit interitu vitam tuam. qui ſanat omnes infirmitates tuas.* Sed etiam malorum depulſione commemorata bonorum cumulum celebrat, adiungens: *Qui coronat te, in miſericordia & miſerationibus: qui replet in bonis deſiderium tuum.* Coronam certe regiam tribuit, bonis omnibus inſtructam, nihil votis reliquit infectum. Quanta Ieſu noſtri benignitas, quanta amplitudo. Verè eximius Saluator hominum, cuius præſtantiſsimo nomine tanta ſalus, tot ſempiternæ ſalutis iucunditates &, decora continentur. *Pſal. 103.*

6 Chriſto Saluatoris nomẽ ſanguine partum: nec ſine labore ſaluus fit quiſ-

Iam illud conſiderate, quod eſt omnium caput, ijs malis, quæ diximus nos liberaſſe Chriſtum, atque ea bona attuliſſe quæ audiſtis, non per oſtium quidem, aut vili aliquo pretio dato, ſed ſummis ſuis laboribus, multo ſanguine fuſo. ærumnis toleratis maximis. Vt nos faceret Reges, ipſe ſeruus eſt factus: vt nos culpa exolueret, pœnæ ipſe addictus eſt atrociſsimæ. Id ſcilicet ſibi vult circunciſio. id plaga in-

fantulo

quā, multoque minus alios ſaluos facit

Ber. ſerm 2. de Circun.

fantulo tenerrimo inflicta, id diuini ſanguinis perfuſio, vt vocaretur Ieſus: Saluatoris glorioſum nomen ſuo ſibi ſanguine comparauit. Bernardus rem animaduertit præclaram. *Merito ſane*, inquit, *dum circunciditur puer qui natus eſt nobis, Saluator vocatur, quod videlicet ex hoc tam cœperit operari ſalutem noſtram, immaculatum illum pro nobis ſanguinem fundens. Propter hoc ſiquidem circunciſus eſt, propter quod natus. propter quod paſſus. Nihil horum propter ſe: ſed omnia propter electos.* Conſentanea Paulo Bernardus, loquitur, cum dicat ille humiliaſſe ſe Chriſtum vſque ad mortem crucis, ac propterea nomine omnium excellentiſſimo donatum. Quod ipſe Chriſtus aſſeruit, oportuiſſe ipſum pati: & ſic in gloriam ſuam intrare. Quæ eſt ſane redemptio hominū. Quod ſi Chriſto ſalus noſtra tam chara fuit, & tam carè conſtitit, quid eſt, quare noſtram ipſi ſalutem tantopere negligamus? Quibus ſupplicijs, & qua ignominia ſempiterna non ſimus digni, modicum laborem pro re obtinenda tam pretioſa recuſantes? *Quomodo nos effugiemus*, aiebat Paulus, *ſi tantam neglexerimus ſalutem*? Quē ſanguinem fudimus? quæ cruciamenta ſumus hactenus perpeſſi? quos gladios? quas flammas? quæ verbera atrocia? Omnino pro ſumma re comparanda vix pretij quicquam damus. Diſcant præterea duces populi Dei, diſcant magiſtri Chriſtianæ familiæ, quibus rationibus ſalutem ſuorum quærere debeat: paſtores gregis dominici, ne ſibi perſuadeant verbo tantum & imperio ſalutem ouium Chriſti cōtineri. Si Chriſtus princeps paſtorum, ſi Rex Regum non ſine ſudore & ſanguine ſalutem hominum cōparauit, quid eſt, quare hominis æquè miſeri & imbecilli putent otio & voluptate rem Chriſtianam atque Eccleſiaſtica procurandam? Secus plane cenſebat Paulus, qui de ſe diceret, *Omnia ſuſtineo propter electos, & vt ipſi ſalutem conſequantur.* Atque alias: *Adimpleo*

Heb. 2.

pleo

pleo ea, quæ deſunt paſsionum Chriſti. Quam numero multa & grauia percenſeat, quæ perpeſſus ſit cauſa ſuorum, dici niſi oratione longiſſima non poteſt. Ni mirum quas animas Chriſtus Deus omnipotens, nõ niſi magnis ſuis ærumnis anguſtijſque acquiſiuit, eas ſeruis ſuis non vult vili conſtare. Ergo circuncidant atque amputent non ſolum vana & ſuperflua neceſſe eſt, ſed ipſa etiam ſibi neceſſaria vitæ commoda detrahant, neque carni pareant, neque vulnera ſi opus eſt, plagaſque detrectent. Sic nomen quod eſt ſingulare, atque incommunicabile Saluatoris, cum non ſit aliquod aliud nomen in quo liceat ſaluos fieri, communicare tamen Ieſus ipſe amat, atque ea gloria & laude dignatur ſuos, vt ipſi ſuo etiam modo Saluatores animarum, & dicantur & ſint: quod eſt ab Abdia Propheta perſpicuè dictum: *Et aſcendent Saluatores in montem Sion, iudicare montem Eſau, & erit Domino regnum.* Quæ verba Abdiæ videtur Apoſtolus Iudas dilucida facere, cum ita adhortatur: *Et hos quidem arguite iudicatos; illos vero ſaluate de igne rapientes.* Neque ab ea ſententia abeſt quod Paulus teſtatur de ſe, ac ſui ſimilibus. *Alijs quidem odor mortis in mortem, alijs odor vitæ in vitam.* Nam & ipſe Ieſus: Poſitus eſt in ruinam & reſurrectionem multorum. *Beatus ille Chriſti fidelis ſeruus, qui ſeipſum expendere paratus eſt pro ſalute animarum quas Ieſus ſanguine ſuo ſaluas fieri voluit.*

2. Timot. 2. Coloſſ. Act. 4. Abd. 1. Iudæ. 1. 2. Cor. 2. Luc. 2.

7 Ad omnia inuocandum dulce potenſq; nomen Ieſu.

Sed iam finis ſit, ſi modo nomen ipſum Ieſu, quo noſtra omnis ſalus continetur, qua ratione inuocare deceat, breuiter exponamus. Cum ſit enim medicamentum, & dulce ſimul & ſalutare, quis illius ſit vſus operæ prætium eſt noſſe. Quam rem pulchrè, ſi quis alius, atque apte Bernardus explicat in Cantica ſcribens his verbis: *Hoc tibi electuarium habes o anima mea reconditum in vaſculo vocabuli huius, quod eſt Ieſus: ſalutiferum certe, quodque nulli vnquam peſti tuæ inuenian-*

Bernar. ſer. 15. in Cant.

inuentatur inefficax. Semper tibi ſit in ſinu, ſemper in manu. Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum, vt ſignaculum ſuper brachium tuum. Non eſt pręclarius, pulchriuſque ſignum nomine glorioſiſsimo *Ieſu*. *Id* ſignum, quo magis eluceat, & pectori & manui imprimendum: vt & cogitare ſemper de Ieſu habeat, & Ieſum imitari etiam iuuet. Dulce nomen, dulcis Ieſu memoria. Tale quippiam is Propheta ſentiebat, qui loquebatur: *Nomen tuum & memoriale tuum in deſiderio animæ.* Auguſtinus nihil ſibi dulcius nihil amicius ipſo nomine Ieſu fuiſſe teſtatur: & iucundè illud pronuntiare ſolitum ex Abacuch: *Ego autem gaudebo in Deo Ieſu meo.* Neque minus dulciter ſapiebat Bernardo ſic aienti: *Ieſus mel in ore, in aure melos, in corde iubilus.* Ego vero addo ſicut eſt dulce & ſalutare nomen amantibus, ita eſſe terribile, & formidabile hoſtibus. *Sanctum enim & terribile nomen eius.* Magnus ille Antonius Abbas, vt narrat in eius vita Athanaſius, ſolo Ieſu nomine pronuntiato, Satanam truculentiſsimum hoſtem fugare ſolitus erat.

Eſai 26. *Auguſt. lib. 18. de ciuit. c. 32.* *Bern ſerm. 15. in Cant.* *Pſalm. 110.* *Athanaſ. in vita Anthonij.*

Quare qui ſalutem integram perfectamque cupiat, ſalutari nomine vtatur, qui in medijs periculis auxilio præſenti indigere ſe non cernit, nomen potentiſsimum inuocet, qui hoſtes experitur graues infeſtoſque nomine terribili à ſe depellat. Alij quidem in curribus, atque alij in equis: nos autem in nomine Dei noſtri & ſalui erimus & vincemus, & regno ſempiterno potiemur.

Pſalm. 19.

IN EODEM FESTO CIRCVNCISIONIS, CONCIO QVARTA.

De

De illis verbis.

Apparuit gratia Dei Saluatoris noſtri omnibus hominibus, erudiens nos vt abnegantes impietatem & ſæcularia deſideria, ſobriè, & iuſtè, & piè viuamus in hoc ſæculo.

Ad Titum 2.

FELICITAS hominis perfecta, veri Dei certa & perſpicua cognitione continetur. Declarat id ipſa naturæ vis magna ex parte, quæ effecta cum videt præclara, cauſarum efficientium cognitionem vehementer expetit: neque antea cupiditas conquieſcit, quàm ad primam ſupremamquè cauſam, vnde cæteræ pēdent, peruentum ſit. Sic diſputat D. Tho. ſic ſummi Theologi cenſent. Itaque tametſi cæteras homo res ſciat omnes, niſi primum rerum principium autoremque Deum nouerit: non poteſt humanæ mentis deſiderium expleri. Documento ſunt aperto ſeculi huius ſapientes, Philoſophi, quorum fuit miſera ac non ſolum improba vita, quod aliarum rerum ſcientia imbuti, Deum non pro eo, ac decuit, coluerunt, diuinum atque incommunicabile nomen, rebus ab ipſo effectis, aut etiam ab hominibus confictis, abſurde tribuentes. Iſtorum tantam abſurditatem ac vecordiam noſter Sapiens ſcitè reprehendit: *Vani ſunt*, inquit, *omnes homines, in quibus non ſubeſt, ſcientia Dei: & de ijs, quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum, qui eſt, neque operibus attendentes, agnouerunt quis eſſet artifex.* In quam ſententiam Paulus etiam loquitur. Philoſophorum inſipientiam irridens, *Euanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum* eſt

1 In Dei cognitione felicitatem conſiſtere.

S.Tho 1.2. q.3. art.8.

Sapien.13.

Roman.1.

eſt inſipiens cor eorũ, dicẽtes enim ſe eſſe ſapientes ſtulti facti ſunt, Nã creatore ignorato atque contempto, creaturæ cognitio detrimento potius quam commodo ſit, quod illius ſpecies ac pulchritudo occupare animum poteſt, beare non poteſt, niſi in ſummam veramque pulchritudinem fiat exinde gradus. De qua re prophetica voce Deus ipſe confirmat. *Nõ glorietur ſapiens in ſapientia ſua, & nõ glorietur fortis in fortitudine ſua, & non glorietur diues in diuitijs ſuis: ſed in hoc glorietur, qui gloriatur, noſſe & ſcire me*. En tibi verã gloriam, veram ſalutem, veram vnamque felicitatem, Deum cognoſcere: eo dempto, cętera nihil niſi fraudem, & moleſtiam & miſeriam habent.

Hierem. 9.

2 Dei notitiã natura difficilem, gratię dono facilem factã.

Sed cum eſſet tantopere neceſſaria hominibus ſalutariſq; ſcientia Dei, tamẽ eam cõparare erat vſque eo difficile, vt rarus inter mortales ea præditus quiſquã exiſteret. Hic mihi accidiſſe videtur, quod perpetrato ſcelere Adæ comminatus eſt Deus, ne ad vitæ arborẽ contingendã poteſtas daretur. Cherubino ancipite gladiũ vibrante ac pro foribus paradiſi collocato. Itaq; homines more pecudũ terrena aſpicientes, cæleſtia obliti, corrupti omnes iacebant. Fallaci quadam boni ſpecie decepti, pro ſummo bono infimis rebus abutebãtur. *Creaturæ enim* vt ait Sapiẽs, *factæ ſunt in muſcipulã pedibus inſipientiũ*. Atq; hæc erat quidem hominũ in abiecta iſta procliuitas, hæc tanta rerũ cæleſtiũ negligentia & contemptio, quæ ex cauſa difficilis admodũ Dei cognitio efficiebatur. Et erat ipſa per ſe magnopere remota ac longe poſita ab aſpectu & cogitatione mortalium, quippe res altiſſima atque omni ex parte recondita, Nam is eſt, de quo dicitur: *Poſuit tenebras latibulum ſuum*. Et *Lucem inhabitat inacceſſibilem, quem nullus hominum vidit, ſed neque videre poteſt*. Is eſt: *Incomprehenſibilis cogitatu*. Denique eadem de re Iob, *Abſcondita eſt ſapientia ab oculis omnium*

Gen. 3.

Sapien. 14.

Pſalm. 17.
1. *Tim.* 6.
Hiere. 32.

Iob. 28.

tium viuentium: volucres quoque cæli latet. Quod ſi volucres cœlica tã alta res latet, ſi volatum perniciſſimum, ſi aciem acutiſſimam aquilæ effugit illa ſublimitas, quid ſpei reliquum ſit formicæ & culici ad eam altitudinem aſſurgendi? Humanus ſenſus perquam exiguus, ingenij vires imbecilles, diſciplina difficilis, fallax, incerta. Quænam in tantis difficultatibus mali pellendi ratio? quis ad veritatem cognoſcendam aditus? Quæ inueniendæ ſapientiæ ratio? Nempe quod naturæ deerat, gratia contulit, neque meritorum ſed miſericordiæ ratio habita. Quod homo præſtare non poterat, Dei benignitas dedit; latebat veritas, boni erat pereexigua copia: quo homo aſſurgere nequibat, deſcendit illa maieſtas: *Poſthæc, inquit, in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt.* Id prorſus eſt quod hodie Paulus iucundiſſimè ſonat: *Apparuit gratia Dei Saluatoris noſtri.* Apparuit in terra is, qui latebat in cœlo. Præbuit ſe videndũ atque tractandum: neque paucis quibuſdam ſelectiſque viris, ſed omnibus prorſus hominibus. Non iam Prophetis tantummodo & Patriarchis, & ſapiẽtibus, & ſanctis hominibus ſui Deus notitiam impertit: etiam plebeios, etiam imperitos & ruſticanos ad ſe vocat: paſtores Bethleemiticos, pecuarios homines ad ſui conſpectum arciſcit: *Videbit omnis caro ſalutare Dei.* Magna hominibus Deum adeundi, Deum conſpiciendi, alloquendi, tenendi, facultas data. *Bar.3.* *Eſai.40.*

At Deus hoc tempore nequaquã apparuiſſe, ſed multo plus latuiſſe, quam antea, videri poteſt. Quin igitur apparuiſſe Apoſtolus Saluatorem prædicat? quid Eccleſia hiſce diebus cantat? Quis enim Deum agnoſcat infantem, vagientem, pannis inuolutum? An eo pacto nõ potius ſe tegere ac celare illa maieſtas exiſtimetur? Quid vili præſepi cum ſolio Dei, quid diuerſorio ãguſto cũ Regia cœleſti. Iã circũciſum & fletu- 3 Dei benigeitatẽ ac breuitatem maxime in Chriſto apparẽre.

Epiphan. in ſpelunca circumciſum Chriſtũ ſcribit lib. 1 hæreſ 20.
Bern. ſer. 1. de Circun.

& flentem, & pauimentum ſpeluncæ cruore aſpergentem quis videat, & Deum putet, aut Saluatorem agnoſcat? Magis ea ſcilicet ſaluandum, vt Bernardus dixit, qua Saluatorem ſigna decent, indicia peccati, morbi medicamenta. Erat quidem Deus verbum abſconditum apud Deum, latebat in ſinu patris: at neſcio equidem in ſinu matris an duplo cũ amplius occultatum arbitrer. Nuntios ſane Dauidis fideles Achimaos & Ionatham occultaſſe mulier cauta & religioſa legitur, puteo quidem incluſos, ac velamine deſuper iniecto frugibus ſiccandis pleno. *Expandit*, ait Scriptura, *velamen ſuper os putei, quaſi ſiccans ptiſanas, & ſic latuit res.* Neq; diuerſo exemplo Raab meretrix commemoratur, exploratores à duce Ioſue miſſos in Hiericho à ciuium indagantium manu eripuiſſe, lini materia multa in ſolario contectos. At tu Virgo beatiſſima diuinum theſaurum opesque infinitas, fæno occultas, pannis vilibus tegis, præſepi impoſitum tanquam nullius pretij, illud depoſitum cœleſte diſſimulas. Et tamen clamet Paulus apparuiſſe illam maieſtatem, illam gloriam, illud numen omnipotens. *O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei.* Gratiam beneuolentiamque Deus nimirum ſuam oſtendit in homines, vt magnitudo ac potentia amplius innoteſcat: *Nam quia in Dei ſapientia non cognouit mundus per ſapientiam Deum, placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſaluos facere credentes.* Eiuſdem eſſe Pauli id encomiũ noſtis. Beſtia fœno paſcitur, præſepi pro menſa vtitur: at *homo cũ in honore eſſet, non intellexit, cõparatus eſt iumentis, & ſimilis factus eſt illis.* Panem cœleſtem in fœno & præſepi inuenit homo, quærensq; aſſueta & humana, offendit diuina, ęterna, cęleſtia. *Apparuit gratia Saluatoris noſtri.* Non ſe exercituũ Deum oſtẽtat, non ſuper Cherubim ſedentẽ, non ignem, & iacula ſonantia vibrantem: ſed miſericordiã & leni-

2. Reg. 17.
Ioſue. 2.
1. Cor. 1.
Pſal. 48.

tatem

tatem, & paterni amoris dulcedinem præſe fert. Eas diuinæ charitatis opes qui non videt, cæcus profecto eſt, qui non amat, ingratus, qui non quærit & aufert, cum copia fiat tanta, inſipiens & plane ſtultus. Neque enim ſe vindicem modo peccatorũ, ſed Saluatorem Deus offert, tantoque magis eius apparet gratia, quanto ſe familiarius & ab antiqua terribilitate (ſi ſic enim dicere liceat (alienius gerit. Qui propius accedunt, & tractãt, agnoſcunt, & ſummo mẽtis ardore inflãmati exclamant. *Vere tu es Deus abſconditus, Deus Iſrael Saluator.* ita enim apparere voluit, vt lateret ſuperbos ab hominib⁹ agnoſceretur, vt paſtores ſimplices & mãſueti facile inuenirent. Regibus iracundis & vafris illuderet. *Quis Deus ſimilis tui.* *Eſai. 45.* *Mich. 7.*

Neq; otioſa & ſuperuacania cognitio Dei Saluatoris ſit oportet, ſed plena ſalutis, referta bonis immortalibus *Erudiẽs nos*, aiebat Paulus, *vt abnegemus impietatẽ & ſecularia deſideria.* Docet iã exẽplo, quod aliquando docturus eſt verbo. Præſepe illud Chriſti, ſummi magiſtri cathedra eſt. Re ipſa inde cõcionator, & dicit, *Diſcite à me, quia mitis ſũ, & humilis corde.* Præclara illa prælectio diei natalis, præclara eruditio, de pãnis, de præſepi, de iniuria frigidæ noctis: at hodierna quoq; inſignis oratio, eximia doctrina octauæ: *Erudiens nos.* Qua de re? Nõ vides circuncifum? non carnem ſibi abſcindi tolerantẽ? Erudiens nos videlicet. *Vt abnegemus impietatẽ & ſecularia deſideria.* Hæc vera, hæc perfecta circunciſio, quam Chriſtus docet. Spiritualis eſt circumciſio, alio verbo ſed re eadem in diuinis literis mortificatio dicitur. Quæ ſane ſiue circũciſio ſiue mortificatio Chriſtiana, nõ vni tantũ eſt, vt Iudaica, membro adhibenda: ſed membris omnibus, atq; vniuerſo corpori. Audi Apoſtolũ: *Mortificate mẽbra veſtra, quæ ſunt ſuper terrã.* Membra omnia terrena amputare & circun-

4 A Chriſto diſcenda abnegatio ſęculi, & de circunciſione ſpirituali.

Matth. 11.

Coloſſ. 3.

Cypr. ſerm. de Circum.

cuncidere docet. Quod docebat, id ipſe agebat Apoſtolus, qui vt Cyprianus ait: *Corpus ſuum mortificabat, non tantum circuncidens illud ſeminarium membrum, ſed totum ſe crucifigens, vt omnibus extraordinarijs motibus opponens cauteriũ, & corpus ſuum redigens in ſeruitutem.* Et beda quidem venerabilis ex doctrina Apoſtolica docet omnia eſſe nobis membra circuncidẽda: cor, linguam, oculos, aures, guſtum, olfactum, manus, greſſus, Cuius verba repeterẽ, niſi longior iuſto eſſẽ vererer. Primum igitur ac præcipuum, omniũ cor: Id circũcidi Deus iubet per Prophetam: nimirum amputatis ſuperuacaneis deſiderijs & cupiditatib⁹, purum ſimplexque Deus amat. *Et carnis curam ne feceritis in deſiderijs.* Non ſunt neceſſaria tollenda, ſed ſunt nimia reſecanda, quibus ſcatet, etiam immergatur humanus affectus. Vanas, inquam, & impuras, & ſtolidas cogitationes amputate, fratres de cordibus veſtris ſi Deo placere cupitis. Incircuncisos corde & odit, & à ſe alienos ducit. Lingua quoq; circuncidẽda inutili, prauoq; ſermone: labia incircumciſa Moyſes ſibi excuſabat, ne iret legatus ad Pharaonem. Omnes quidem decet, quod Paulus monet: ſcurrilibus, & ſtultiloquijs abſtinere, multoque amplius noxijs & petulantibus, & malignis & detractorijs ſermonibus purgari: ſed ſacros viros in primis, ſacerdotes, Pontifices, Dei interpretes ac miniſtros, qui Moſis, officio fungi iubentur, vt Pharaonẽ arguant, Dei populum laborantem liberent: nos inquam omnino decet à vanis & turpibus omnino alienos eſſe ſermonibus. Seuere ſane ſed non falſo Bernardus dixit: *Nugæ inter ſeculares nugæ ſunt: in ore ſacerdotum blaſphemiæ.* Quin etiam aures circũcidendæ, curioſitate reſecata audiẽdi, nouos rumores, inutiles intempeſtiuos? Aures incircumciſas Iudæorũ Stephanus reprehendit: prurientes aures Paulus vituperat: ne obſcœnis, ne laſciuis, ne

Rom. 13.

Exod. 6.
Ephes. 5.

Bern. lib. 2. de conſide.
Act. 7.

vanis

vanis, ne detractorijs aures accōmodentur, etiā atq; etiā laborandum. Neq; effugit manus nouaculam hanc: ſunt vngues quidā producti, adunci, rapaces, amputādi ſunt, & iuſto continendi. Nulla rapacium auium apta Dei ſacrificio, ſi legē Moſaycam cōſulitis. *Qui furabatur, iā non furetur: Nolite errare regnum Dei non poßidebunt neq; fures neq; rapaces, neq; maledicti. Neq; vero periuri.* An non meminiſtis propheticæ viſionis cum delata de cælo ingens falx volitaret, nam falcē ſeptuaginta interpretes habent, & Græci plerique patres, vbi vulgata noſtra volumen vertit. Ergo falx illa tam longa viginti cubitis, tam lata decem cubitis, acie acutiſſima & terribili quonam tendit? in quos concitatur? *Et veniet* (inquit diuinus ſermo) *ad domum furis, & ad domum iurantis in nomine meo mendaciter: & commorabitur in mdio domus eius, & conſumet eum, & ligna eius & lapides eius.* Nolite iam mirari ſi mendaces & periuri & auari, & furaces cum magnas opes parauerint repente obruantur, quod quotidie cernimus: ſi ex Cræſi fortunis ad Iris pauperiem ſubito veniant: ſi vmbratiles illæ diuitiæ, tanquā præſtigiæ quædam cito euaneſcant. *Feſtinata ſubſtantia minuetur*: & male partū male dilabitur, & quæ non capit Chriſtus, rapit fiſcus. Ne ergo cæleſtē illā diuinæ iuſtitiæ falcē, nobis accerſamus, domibusque noſtris ſtragem certiſſimā inferamus; periurio & rapina abſtineam⁹, cor, linguā, man⁹ circūcidamus: *Nā ſi noſmetipſos iudicaremus non vtiq; iudicaremur*, quēadmodū cenſet. Apoſt.

Epheſ. 4.
1. Cor. 6.
Zach. 5.
Prou. 15.
1. Cor. 11.

Impietate abnegata quod ſit per fidē & religionem in Deum, & ſæcularibus deſiderijs caſtigatis, quod præſtat temperantia & iuſtitia, reliquum profecto ſit, *vt ſobriè & iuſtè, & piè viuamus in hoc ſæculo* quæ totius Euangelicæ perfectionis ſumma eſt, qua ſe homo & bene habet ad Deum, & bene ad ſeipſum, & ad proximum bene. Nam qui pie viuit,

5 Quid ſit ſobriè & iuſtè & piè viuere.

Deum colit, qui iuſte, non lædit proximum; qui ſobrie ſeipſum honeſto continet, Quæ tria alijs verbis enuntiat quidam propheta, *Et nunc quid Dominus requirit à te? niſi facere iudiciũ, & miſericordiã, & ſolicitum ambulare cum Deo tuo.* Iudiciũ erga ſe, temperantiam ac ſobrietatem continet: miſericordia in proximũ, vt non modo non lædas, ſed etiam egentem iuues: ſolicitudo in Deum, cultus eſt Dei maximus, per omnia illius voluntati obſequi velle. Sobrie viuere Chriſtus monet: *Videte ne grauentur corda veſtra crapula & ebrietate, & curis huius vitæ.* Iuſte Apoſtolus: *Reddite omnibus debita: cui timorem, timorem, cui honorem honorem,* Pie Moyſes: *Et nunc Iſrael, quid Dominus Deus tuus petit à te, niſi vt timeas Dominum Deum tuum, & ambulet in vijs eius, & diligas eum, ac ſeruias Domino Deo in toto corde tuo.* Ex his tribus vitæ Chriſtianæ velut radicibus, oritur fructus immortalitatis ſalutiſque ſempiternæ ſuauiſſimus. Ac proinde vbi ſobriè & iuſte & pie viuendum monuit, ſequitur: *Expectantes beatam ſpem.* Nihil eſt ad vitam beatam certius morum integritate & innocentia. Id ſcilicet præſtat ſancta ac ſpiritualis circuncíſio: amputatis enim concupiſcentijs terrenis, celerrime & lætiſſime animus fertur in cæleſtia. Quam ob cauſam hodierna die patrata circunciſione, nomen Ieſu imponitur, vt aperte intelligamus ſalutem noſtrã ex carnalium amputatione ac mortificatione procedere. Sanguinẽ minui medici iubent, cũ febris exæſtuat. Quod ſi rẽ putamus difficilẽ & tanquã duram immitemq; medicãdi rationem auerſamur, cogitemus fratres, quæ fuerit hodierna Saluatoris noſtri actio, quod documentũ ſalutis parandæ. Is circunciditur qui nihil ſuperuacaneũ, incircunſcriptus ille, tam ſimplex & impartibilis, vt Philoſophus etiam dixerit, aut nihil illius attingi aut totùm. Is circumciditur, cuius opera adeo iuſta

perfecta-

Mich. 6.

Luc. 21.

Rom. 12.

Deut. 10.

perfectaque ſunt, vt ijs ſicut addere, ſic detrahere poſſit nemo. Is circunciditur qui perfectiſſimus eſt. Et circunciditur tamen. Atque ô ſtupendum myſterium, de ipſa ſubſtantia Dei aliquid tollitur: perſona Dei inciditur & parte ſpoliatur. Et non pudebit hominem, ſuperflua, putrida, turpia, noxia, ne ſibi detrahantur, defendere? Si Chriſtus carne pro te ſpoliatur, tu veſte non carebis ſuperflua? non eam proximo nudo dabis, imo Chriſto poſtulanti? ſanguinem ille fudit innocentem, virgineum, diuinum: tu non effundes pecuniam, malo fortaſſe quæſitam, proximo opportunam, tibi pernicioſam? Effundamus, fratres, libenter omnia noſtra pro Chriſto, qui pro nobis hodie eſt afflictus, & ſanguinem ſuum vitamque cum ſanguine ſempiternam donauit.

IN FESTO EPIPHANIAE,

CONCIO PRIMA.

Cum natus eſſet Ieſus in Bethleem Iudæ, in diebus Herodis Regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Hieroſolymam. Matth. 2.

CREDO vos omnes non latere huiuſce diei lætitiam & celebritatem inter præcipuas Eccleſiæ Chriſtianæ numerari, quod declarant ritus & ceremoniæ non ſolum illuſtres & ſplendidæ, verumetiam nouæ nonnulla ex parte atque alijs feſtis diebus minimæ vſitatæ: neque eius rei cauſam opinor cuiquam veſtrum ignotam.

1 Adoratione Magorum Eccleſiam gẽtium Chriſto copulandam ſignificari.

ram. Etſi enim à ſanctis Patribus tria Domini facta hoc eodem die præclara commemorantur, adoratione Magorum, Baptiſmo Chriſti in Iordane, vino de aqua facto ob nuptias Cana, tamen & obtinuit vſus & ratio, vt prima illa declaratio Domini, *id enim Epiphania vox Græca ſignificat*: præcipue colatur, non eam ob cauſam modo, quod longe illuſtriſſima extiterit, viris magnis atque ſapientibus ab vltimo Oriente ad cunabula pueri Dei perductis atque proſtratis: verumetiam quod res ea geſta maxime expreſſam vniuerſæ gentium Eccleſiæ fide ſe Chriſto & ſubiectione voluntaria deuouentis formam oſtenderit, vel potius pignus certum, obſidibus datis egregijs, collocarit. De qua re copioſè atque eleganter diſputat beatus Leo: cuius in quodam huius diei ſermone verba hæc ſunt: *Hic ille eſt dies, quo ad cognoſcendum adorandumque Dei filium tres Magos præuia ſtella perduxit. Cuius facti memoriam merito placuit honore annuo celebrari: vt dum Euangelica hiſtoria inceſſabiliter recenſetur, ſemper ſe intelligentium ſenſibus inferat ſalutiferum myſterium per inſigne miraculum.* Et poſt nonnulla: *Hoc autem ſignum, quod Magos in longinquo poſitos & efficaciter mouit, & ad Dominum Ieſum perſeueranter attraxit, illius ſine dubio gratiæ ſacramentum, & illius fuit vocationis exordium, qua nimirum non in Iudæa tantum, ſed etiam in toto mundo Chriſti erat Euangelium prædicandum: vt per illam ſtellam, quæ Magorum viſui ſplenduit, Iſraelitarum vero oculis non refulſit, & illuminatio ſignificata ſit gentium, & cæcitas Iudæorum.* Et interiectis quibuſdam: *Quod illi tres viri vniuerſarum gentium perſonam gerentes, adorato Domino ſunt adepti, hoc in populis ſuis per fidem quæ iuſtificat impios, totus mundus aſſequitur: & hæreditatem Domini ante ſecula præparatam accipiunt adoptiui, & perdunt qui videbantur eſſe legitimi.* Hæc atq; his longe plura, quæ non opus eſt recenſere, beatus Leo.

Leo ſerm. 5. de Epiphan.

Quo-

Quoniam eſt igitur Eccleſia ſancta Chriſti, maxima atque optima ex parte de gentibus congregata, iure tanquam ſponſalitij ſui feſtum diem lætiſſimè recolit, quo Magi & primitiæ gentium, & oratores pro orbe terrarum Chriſtum ſibi & Regem & Dominum & Deum vnicum cæteris omnibus falſis inanibuſque reiectis non ſolum adorarunt, ſed etiam promeruerunt. *Adorabunt eum omnes Reges, omnes gentes ſeruient ei.* Pſalm.71. Hoc in Pſalmo illo regnum Chriſti aperte canente, dictum eſt poſt illa proxime verba, quæ eccleſiaſticus cantus, hodie celebrat, *Reges Tharſis & inſulæ munera offerent, reges Arabū & dona adducēt.* Pſalm.88. Neq; minus aperte in alio Pſalmo itē de regno Chriſti conſcripto: *Et ego primogenitum ponam illum excelſum præ regibus terræ.* 2.Reg.3. Cùm ergo regni orbis terrarum Chriſto tradendi Magi interpretes ſequeſtrique fuerint, merito eorum aduentū omni lætitiæ ſignificatione, omni honoris apparatu accipiendum Eccleſia arbitratur. Abner primarius Iſraelici exercitus dux, cū de vniuerſo regno in manus dādo Dauidi autor interpreſq; veniſſet, lauto eſt acceptus à Rege cōuiuio, atq; omnibus honoris ornamentis nobilitatus, ſed ante quā inter eos conueniret, ea cōditione propoſita, ſi in coniugiū Dauidis reſtituendam curaret Micholem legitimā vxorem, fraude & vitio in alienum Phaltielis thorū ereptā. Et erat ſane Gentilitas, vt diuina Scriptura loquitur, fornicata, vel adulterata potius, à Dei veriſſima coniunctione, in diaboli libidinem turpiſſimamque corruptelam per immane ſcelus traducta: quam oportuit viro reddi, adultero eripi. Id quoniam ſe facturos Gētilitatis interpretes hodie pollicētur ſuſcipiuntq;, vel potius facto aggrediūtur ſuo atq; cōfirmant, idcirco Rex Regiaque omnis lætiſſimū diē agit, quāuis ſceleratus Phaltiel ploret & præ dolore rumpatur. Quanquā Hieronymus nonnullique alij 2.Reg 3.

Hebræo-

quæſtionibus ſeu tradit. Hebraic. in lib. Reg. in 3. tomo.

Hebræorum ſententiam referunt non fuiſſe à Phaltiele Micholem contaminatam, quod legiſperitus doctor cum eſſet, non ignorabat iniuriam fieri Dauidi legitimo viro non oportere. Itaque fleuiſſe eum præ gaudio volunt, cum à ſe minime læſam Dauidi reddi vidiſſet. Quod ego ſane non credo bona venia eorum, magiſque arbitror quem Scriptura vocat virum, vxorio opere functum, & quem ploraſſe ereptam narrat, non de gaudio ſed de mœrore ploraſſe, quod illuſtri & charo coniugio ſpoliaretur. Sed hiſtoria habeat, vt volunt: myſterium certè repetitæ coniugis non eſt falſum. Quare cum regni gentium inauguratio, tum ſponſalitiũ quoddam illuſtre Chriſti & Eccleſiæ hodie repræſentatur, atque vtriuſq; rei vel potiùs vnius eiuſdéq;, nũtij, oratores, interpreres, paranymphi vel ſi quod eſt aptius verbum, Magi extiterunt: qui perſonam ſuam officiumque optimè callentes, Regem puerum adorant, ſe ei proſternunt ſupplices, munera vel ſponſalitia, vel regia offerunt, ſe ſeruos, ſe captiuos addictoſque tanto Regi inſigni ceremonia profitentes. Erat id, vt pleraque Chriſti præcipua myſteria, magnifice ab Eſaia prædictum, quemadmodum graues antiquique Patres volunt, Hilarius, Tertullianus, Cyprianus, Ambroſius. *Hæc dicit Dominus, labor Aegypti & negotiatio Aethiopiæ & Sabaim viri ſublimes ad te tranſibunt, & tui erunt: poſt te ambulabunt, vincti manicis pergent, & te adorabunt, teque deprecabuntur. Tantum in te eſt Deus, & non eſt abſque te Deus. Verè tu es Deus abſconditus, Deus Iſrael Saluator.* Quæ verba etſi de Cyro Rege Perſarum impij Iudæi facta contendunt, tamen luce clarius patet non niſi in Chriſtum poſſe referri. Qui verus Deus eſt, & Deus Iſrael Saluator, in quo Deus eſt, & abſque quo nullus eſt Deus. Aegyptias vero opes & Aethiopicas, & Sabæorum potentiam, imperiaque gentium pluri-

Hilar. lib. 4. de Trinit. Tertul. aduerſus Praxen. cap. 9. Cypr. 2. aduerſus Iudæos. cap. 5. Ambroſ. lib. 1. de fide.

plurimarum relictis dominis priſcis Chriſto ceſſurà, & eam habitura regem: Duces quoque ac principes captiuas manus daturos, ſupplices adoraturos Chriſtum, Deumque ſolum verum cognituros, quem humana forma deliteſcentem lux diuina detexerit. Quæ omnia in Magorum hodierno facto plane intuemur, qui ex diuerſis gentium prouincijs opulenti pretioſa munera detulerint, ſeque ſeruos Chriſti profeſſi ſint, adorantes Deum in cunabulis, ſane abſconditum, proſtrati ante eum ac vincti non ferro, ſed quod eſt fortius, amore ac vinculis charitatis, quibus ſe genus humanum deuinctum atque obſtrictum aliquando pertracturum Deus apud Oſeam Prophetam pollicitus eſt. Sed in præclariſſima Eſaiæ prophetia iuuat beati Hilarij commentationem attexere, quæ ſic habet: *Et qui tandem exiſtimandus labor Aegypti, & mercatus Aethiopum, & Sabaim? recordemur Orientis Magos adorantes Dominum, & munerantes, & laborem veniendi vſque in Bethleem Iudæ, tanti itineris metiamur.* Et paucis poſt: *Iiſdem Magis ex mercatu Aethiopum & Sabaim auri, thuris, & myrrhæ munera deferentibus: quod quidem id ipſum & alius Propheta præmonuit, dicens: In conſpectu eius procident Aethiopes & inimici eius limum lingent: Reges Tharſis munera offerent, Reges Arabum & Sabaim munera adducent, & dabitur ei de auro Arabiæ. In Magis itaque & muneribus, labor Aegypti & mercatus Aethiopum & Sabaim oſtenditur, ſcilicet, & mundi error Magis adorantibus, & electa gentium munera adorato ab his Domino oblata.* Hæc Hilarius.

Oſe.11.
Hilar.lib.4. de Trin.paulò ante fin.
Pſalm.71.

Sed nobis nunc videndum eſt qui nam hi Magi fuerint, nam Magos fuiſſe Matthæus dicit, neque genus Magiæ declarat. Itaque cum ſit duplex Magia, vna ſuperſtitioſa ac praua dæmonum fraude atque hominum temeritate inducta, altera naturalis ac ſimplex ſtudio rerum naturæ penitiorum contenta,

2 Quinam fuerint Magi.

tenta, quæ raræ excelſæq; doctrinæ ſit: non conſtat ſatis, diuerſa ſentientibus patribus, vtrū in malorum genere hi Magi numerandi, an ſint potius inter veræ ſapientiæ ſtudioſos habendi. Scriptura quidem ſacra frequentius id verbum in malum vſurpat: quo pacto Elymas apud Lucam Magus dicitur, & Simon Samaritanos memoratur Magijs ſuis dementaſſe.

Actor. 13. *Actor.* 8. *Leuit.* 19. *Leuit.* 20.

Eo de genere lex Moyſis præcipit. *Ne declinetis ad Magos.* Et iterum: *Anima quæ declinauerit ad Magos & ariolos & fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contra eam, & interficiam illam.* Neque enim paruum eſt malum, neque capitis pœna non vindicandum; quod occultam cum diabolo amicitiam fœduſque continet. Quæ ſane ſuperſtitio ex dæmonum malitia atq; hominū cum imperitia tum impietate profecta gentes omnes toto terræ orbe latiſſimè tenuit, ac vix fieri poteſt: vt idololatriæ ſceluſ, quod vbiq; viguit, citra magicæ ſuperſtitionis vſus vel propagetur vel etiā conſeruetur. Amant enim dæmones diuinæ ſapientiæ falſas laudes: concupiſcunt vero homines, ea ſcire & doceri, quę ſupra homines ſunt.

Orig. lib. 1. *contra Celſum & hom.* 13. *ſuper Nu. Iuſtinus in colloquio Triphon. Baſil. hom. de Natiu. Chryſolog. ſerm.* 156. *Hier. in c.* 2. *Dan & in Eſai. lib.* 17 *in c.* 7.

Ex quo ludibrijs Magicis plurima ſeges, quemadmodum ij perſpicuè probarunt, qui gentes barbaras noſtra ætate multiplici ſuperſtitionis infinitæ fraude circumuentas addictaſque Satanę luſtrarunt. Cum ergo & ſuperſtitio Magica cōmunis ferè fuerit gentibus omnibus. Et id verbum in Scripturis impium aliquid ſonet, non immerito plerique Patres, vt hos Magos de genere prauorum extitiſſe opinarentur adducti ſunt. In his eſt Origenes & Iuſtinus, & Baſilius & Chryſologus & alij. Quorum ſententiam ita non improbamus, vt tamen alteram præferamus Hieronymi & Epiphanij, & Tertulliani, quam viri docti hoc tempore maxime probant. Nam fuiſſe Magos non ſuperſtitioſa & diabolica arte imbutos, ſed ſcientia præditos ſublimiori, etiam

etiam diuina literę docēt, vbi Danielē numero Magorum aſcribunt. Ea autē Magica facultas quemadmodū ex Plinio ſecundo quidā recitant, tres maximè partes cōplectebatur: Phyſicē, & Metaphyſicē, & Aſtrologiam. Floruiſſe vero apud Perſas Chaldæos Magicā hāc bonā, id eſt, ſcientiā, peritiamq; rerum naturaliū abſtruſarū, & maximè Aſtronomicarum, veteres ſcriptores prælegenti dubiū eſſe non poteſt. Nā & Tullius ſcribit Perſarū imperiū nemini committi ſolitum: qui non Magicam ſcientiam percepiſſet. Amianus Ioſephuſq; tradunt communi conſilio ſeptem Magorum imperium Perſicum adminiſtratum nullo alio Rege creato, quod poſt obitum Cambyſis, Cyri maioris, filij accidiſſe hiſtoriæ produnt. Deniq; Magorū fuiſſe & vſum plurimū & dignitatem maximam in Oriente Chaldaicis, Perſiciſq; prouincijs, vnde pleriq; hos fuiſſe ſentiūt, non modo prophanis ſed ſacris etiam literis perſpicuū eſt, vti liber Danielis, & Heſther, & Nehemiæ fidem facere poſſunt. Quibus rebus adducor, vt noſtros Euangelicos Magno nequaquam arbitrer maleficæ artis ſectatores fuiſſe, ſed ſcientiæ illius eximiæ ac regiæ peritos: ex quo etiam efficitur, vt ſit valde cōſentaneum veroque ſimillimum, extitiſſe hos gentis principes, & Regij nominis dignitatiſque non expertes, quam rem non ſolum pictorum vſus vulgiq; opinio commendat, ſed Eccleſiæ etiam quodammodo autoritas, quæ feſtis hiſce diebus tanquam propria Epiphaniæ teſtimonia illa repetit: *Reges Tharſis, & inſulæ munera offerent: Reges Arabum & Saba dona adducent*: quæ de Magorum muneribus intelligūt etiā atq; aſſerunt Hilarius, Tertullianus, Proſper. Quare Reges hos Magos non dubitant appellare, idē Tertullianus & Theophylactus. Numero vero fuiſſe tres, vt credamus, idoneus autor eſt Leo, qui & crebro & indubiè tres fuiſſe confirmat: cui Maxi-

Epiphan. in Ancoratu. Tertull. lib. aduer. Iud. Rabā. in caten. S. Tho. Dan. 2. Ianſen. in concord. & Cæſar Baron. in annal. Hieron. ſententiam probant Cel. Rhodig lib. 3 ca. 42. ſequuti. Plin. lib. 20. citatur à Ianſen ſed nequaquam id inuenitur apud Plin. Cicer. lib. 2. de diuin. Ammian. lib. 23. Ioſeph. lib. 11. antiq. Tertull. lib. 3. aduerſus Marcion. Hilar. 4. de Trinit. Proſper de prædic. p. 2. c. 6.

Theophil. in 2. Matth. *Leo ſerm. de Epiph. 1. 3. 5. & 6.* *Maxim. homilia 3. de Epiphan.* *Chryſolog. ſerm. 160.* *Hilar. 4. de Trinit.*

Maximus conſentit, quod ſine certa hiſtoriæ cognitione tales viros facere putare, eorum magnitudo prohibet. Quæ autem vulgo feruntur illorum nomina Balthaſar, Gaſpar: Melchior, etſi autorem idoneum nominare non poſſum, contemnenda tamen non puto, magiſque veteri traditione manaſſe credendum eſt. In his quod vulgus ſentit Aethiopem vnum fuiſſe, videtur etiam probare Petrus Chryſologus, hic illud impletum intelligens: *Aethiopia præueniet manus eius Deo*, neque abhorret Hilarius, qui Aethiopicum mercatum ab Iſaia prædictum in Magorum muneribus interpretatur.

3 Magos vero fuiſſe diuino dono ſapientes.

Verum hæc, quæ de facultate, de numero, de dignitate regia, de nominibus denique diximus, vtrũque habeant, quoniam ex Scriptura ſacra non liquent attamen illud quod veritas diuina confirmat, nos inſpiciamus atque conſideremus oportet, hoſce Magos cælitus edoctos verè fuiſſe ſapientes. Atque eo ſapientiæ laudem tuliſſe ampliorem, quo magis inepti & inſipientes apud filios huius ſeculi videri potuerint multis nominibus, quod patriam reliquerint longa ac difficili peregrinatione ſuſcepta: quod Regem nouum in regno à tyranno poſſeſſo perquiſierint: quod ab impio & fallaci erudiri voluerint: quod denique Regem tantopere quæſitum in cunabulis pauperem deſpectumque adorarint. Quæ quidem omnia ſi humana prudentia metiaris, ſapientiæ vacua, ſtultitiæ plena exiſtimes. Sed nimirum cæleſti ſapientia præditi iam illud factis

1. Cor. 3. implebant ſuis: *Si quis inter vos videtur eſſe ſapiens, ſtultus fiat vt ſit ſapiens*. Euangelici ſapientes iam erant, illud toto animo ac mente retinentes: *Quo-*

1. Cor. 1. *niam non cognouit mundus per ſapientiam Deum, placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſaluos facere credentes.* Quam vero fuerit certa abſolutaque horum ſapientia, euentus feliciſſimus indicat. Patriam quidem relin-

relinquentes profectionem laborioſam ſuſcepe-runt: at in patriam regreſſi ſunt multo locupletio-res quam venerant, cæleſti theſauro inuento, fide ducti, ſpecie perfruiti. Regem verum, tyranni in Regia requirunt, at tyrannus cedit in ſuo regno ex-ternis. Iſte perturbatur & angitur: illi ſecuri ſunt, i-ſtius & diligentia & induſtria abutuntur. Fallere Herodes putat: verùm Magi ſcientia Herodis vtun-tur, malitiam fraudemq; vitãt. Itaque dum illude-re cogitat oppido illuſus eſt. Poſtremò quod Deum infantem agnoſcunt, quod in vili hoſpitio adorãt, quod pauperem confitentur Regem, non ſolum ſa-pientes ſe; ſed ſapientiæ ipſius & præcones & duces præbent: dũ factis probãt; quod prophetiæ omnes prædicant: & quẽ inductũ in orbem terrarũ Angeli adorauerunt, eũ Magi tanquã principes orbis terræ ſtudioſè etiã venerantur: vt ſciant cœleſtes Regem ſuũ etiam terreſtribus & innotuiſſe & placuiſſe. Mu-nera vero ita offerunt; vt maiores ipſi diuitias refe-rant, pro auro, thure, & myrrha, Dei ſapientiã, & re ligionem, & charitatẽ adepti. Ac quemadmodũ Re- 3. Reg. 10.
gina illa Sabæa, horũ vt eſt veriſimile patriæ ciuis; cum multa pretioſa attuliſſet ad Salomonem, tamẽ multo ipſa pluribus atq; amplioribus remunerata diſceſſit, ſic hi ſapientes, cũ pretioſa dediſſent, pre-tioſiora abſtulerunt. Neq; illa in Salomone magni-tudinem opum, & palatij pulchritudiuem, & rerum omnium ſplendorem atque ipſius Regis ſapientiã tantopere eſt admirata, licet præ magnitudine ad-mirationis obſtupuiſſe Scriptura confirmet, quãto-pere hi Magi præſepe Chriſti, diuerſorij inopiam, matris pauperiem, infantis ſilentium ſunt venera-ti, præ ſtupore & extaſi vt propemodũ ſenſum men-temq; amiſerint, illud profecto vſurpantes, & iden-tidem repetentes: *Vere tu es Deus abſconditus.* Et *Quis* *Eſai. 45.*
Deus ſimilis tui. Hanc Magorum ſapientiam cæleſtẽ

Mich. 7. mendans autor imperfecti ſcribit ad hunc modum: *Nunquid viderunt palatium marmoribus ſplendidum? Nũquid matrem eius diademate coronatam? aut in lecto aureo recumbentem? nunquid puerum auro & purpura inuolutũ? Sed quid? Diuerſoriũ tenebroſũ & ſordidum, & magis animalibus quam hominibus aptum: in quo nemo contentus erat ſedere, niſi itineris neceßitate coactus. Matrem eius vix tunicam vnam habentem, non ad ornamentum corporis, ſed ad tegumentum nuditatis, quam habere poterat vxor fabri peregrè conſtituta. Puerũ pannis viliſsimis inuolutũ, & ſordidiore in præſepio poſitum, quia locus ille ſic erat anguſtus, vt nec ponendi infantem ſpatium inuenirent. Si ergo Regem terrarum quærentes, ſic inueniſſent, magis confuſi eſſent, quia tanti itineris laborem ſine cauſa ſuſcepiſſent. Nunc autem quia cæleſtem Regem quærebant, etſi nihil regale videbant in eo, tamen ſolius ſtellæ teſtimonio contenti gaudebant. Oculi eorum contemptibilem puerum aſpicere non poterant, quia ſpiritus in corde eorum terribilẽ demonſtrabat.*

Autor imperfecti in Matth.

Hæc autor ille quẽ S. Thom. pro Chryſoſt. habet. Quocirca merito clamat hoc loco B. Leo: *O perfectæ ſcientiæ mirabilem fidem, quam in terrena ſapientia erudiuit, ſed Spiritus ſanctus inſtituit. Viderunt & adorauerunt puerũ, quãtitate paruulũ, alienæ opis indignũ, fandi impotẽtẽ, & in nullo ab humanæ infantiæ generalitate diſsimilẽ. Quia ſicut fidelia erant teſtimonia, quæ in eo maieſtatem inuiſibilis diuinitatis aſſererent, ita probatiſsimũ eſſe decebat, verbum carnem factum: & ſempiternam illam eſſentiam filij Dei, hominis veram ſuſcepiſſe naturam.* Quæ omnia, chariſſimi fratres conſiderantes, horum ſapientiũ diſcipuli efficiamur, rebuſque omnibus deſpectis, vni veræ ſapientiæ perueſtigandæ quærendæque operam diligentiſſimè demus, inuenturi profecto eam ſapientiam, quæ mille theſauris pretioſior eſt.

S. Thom. in catena paulo aliter.

Leo ſer 4. de Epiphan.

IN

IN EADEM FESTIVITATE. CONCIO SECVNDA.

Ecce Magi ab Oriente venerunt Hieroſolymam.

Matth. 2.

APoſtolvs Paulus ſcribit Chriſtum euangelizaſſe pacem ijs qui lõge fuerant, & ijs qui prope: & cum Græcorum gentem alloqueretur, ait: *Nunc autem in Chriſto Ieſu, vos qui aliquando eratis longe; facti eſtis prope in ſanguine Chriſti.* Quod non tam Pauli teſtimonium, quam Eſaiæ vaticinium exiſtimandum eſt, ſic loquentis: *Pacem ei qui longe eſt, & pacem ei qui prope, dixit Dominus.* Qua oratione id indicatum eſt, quod apertiſſime cernimus, Euangelium Chriſti quod eſt Euangelium, pacis non ſolum Iudæis, propinquis & ciuibus innotuiſſe; ſed in vltimas gentium oras, atque orbis terræ remotiſſimas regiones penetraſſe. Itaq; quod Oſeas cecinit, *ambo populi poſuerunt ſibi caput vnum, & in hunc angularem lapidem vterque paries ſibi mutuo iunctus connexusque eſt.* Quæ res præclariſſima, quoniã Chriſti conſilio operaque vnius ſancienda erat, voluit Spiritus ſanctus ab ipſis noui Regis incunabilis non ſolũ denuntiaretur, ſed etiã re ipſa inchoaretur. Itaq; recẽs natus Saluator & Bethleemitis paſtorib⁹ qui prope erãt in populo Iſr. anũtiatus per Angelũ eſt & Magis lõge poſitis gentibũ primitijs delibatis, ſtella indice demõſtratus Myſteriũ hoc vocatio-

1 Chriſtũ ex Iudæis & gẽtibus conciliaſſe ſibi Eccleſiam.

Epheſ. 2.

Eſai. 57.

Oſeæ 1.

cationis gentium & vtriuſque populi coniungendi in Chriſto, diſertè Auguſtinus hodierna concione perſequitur his verbis: *Illo die natum paſtores Iudæi viderunt: hodie Magi ab Oriente venientes adorauerunt. Natus quippe fuerat lapis ille angularis, pax duorum parietũ ex circumciſione & præputio non ex parua diuerſitate venientium, qui factus eſt pax noſtra & fecit vtraque vnum. Hoc in paſtoribus Iudæorum, & Magis gentium præſignatum eſt. Inde cœpit, quod in vniuerſo mundo fructificaret & creſceret.* Et in alia concione eiuſdem feſti: *Suſcipite ergo deuotiſſime iſtum diem celebrandum vniuerſa Eccleſia gentium quia illi Magi quid tam fuerunt, niſi primitiæ gentium? Iſraelitæ paſtores, Magi gentiles: illi prope iſti longe. Vtrique tamen ad angularem lapidem concurrerunt. Veniens quippe ſicut Apoſtolus dicit, Euangelizauit pacem nobis qui eramus longe, & pacem ijs qui prope. Ipſe eſt enim pax noſtra, qui fecit vtraque vnum: & duos condidit in ſe faciens pacem, inimicitias interficiens in ſemetipſo.* Pacem ergo fratres ſectemur, & gaudium de ſalute vtriuſque populi in Chriſto celebremus.

Aug. hom. 4. de Epiph.

2 Ex qua regione venerint Magi: & quid ſit ſpiritualiter ab Oriente venire.

Cum natus eſſet Ieſus ait Euangeliſta, *in Bethleem in diebus Herodis Regis, ecce Magi ab Oriente venerunt.* Vſitatum frequensque eſt verbum illud Scripturis, *Ecce*, & ſolet rem vel nouam, vel ſubitam, vel admirabilem indicare: quod, ſi quando, nunc maxime præſefert: Quid enim ab opinione hominum magis remotum, quid mirabilius aduentu ſummorum virorum ex regione longiſſime poſita, petentium externa gentis ſibi adorandum Regem, cuius ipſa gens Iudaica eſſet ignara? Nam veniſſe ex vltimo fere Oriente Patres affirmant, itineribus ſine dubio magnis. Quæ vero Orientis ea proprie regio fuerit, non ſatis liquet, varia opinantibus ſcriptoribus varijs. Perſas maxime fuiſſe hos Magos autores grauiſſimi ſentiunt Clemens Alexandrinus, Baſilius, Cyrillus, Chryſoſtomus,

Clem. Alexander lib. 1. ſtromat. Baſil. hom. 25. de Chriſti natiuit. Cyrill. in c.

Leo

Leo Papa. Quippe cum conſtet Magorum & nomen & officium percelebre fuiſſe apud Perſas (ex quibus Magiam emanaſſe ſcribit Nazianzenus) ſacerdotali ac Regio muneri familiarem, vti ex Xenophonte quoque hiſtorico percipi poteſt. At ex Arabia profectos non inferiores autores opinantur, Iuſtinus, Cyprianus, Epiphanius, Tertullianus. Sunt qui Chaldæos putent, & vocent, vt Sanctus Maximus, & Chryſologus, & grauis ſcriptor Chalcidius. Pſalmum plerique recitant, *Reges Arabum & Saba dona adducent*. Neque magnopere refert qua ex regione iſtarum profectionem eam ſuſceperint, liquido noſſe. Illud eſt certum, eas omnes orientis nomine non falſo intelligi poſſe. Nam cum ſint Orientis differentiæ tres, Borealis, Meridiani & medij qui eſt æquinoctialis, & veriſſimus Oriens, prouinciæ diuerſæ Orientis verbo notari poſſunt. Babylonios etiam Orientales numerari, quanuis reſpectu Iudææ ad Septentrionem vergant, teſtimonio eſt liber Iudith, qui Palæſtinæ terram Occidentalem nominat regioni Babylonicæ, vnde Holofernem Nabuchodonoſor miſerat. Neque repugnat vero, neq; eſt improbabile varijs ex regionibus Orientis coiſſe Magos, cũ præſertim diuinæ litteræ varias admodum regiones nominẽt, cũ de hac re vaticinari videntur, qualis Arabia, & Sabæa terra: & Aethiopica, Madianitica, & Damaſcena, & alia quædam. Quid enim prohibet idem aſtrum diuerſis partibus eundem nuntium dediſſe, & ita egiſſe diuinam prouidentiam, vt conuenirent diuerſis ex locis ad perquirendum ſibi diuinitus oſtenſum infantem. Sed vt abeat hiſtoria, myſterium ſane neq; exiguum neq; incertum eſt, Magos ab Oriente veniſſe. Nanque vti Chryſologus pulchre dixit: *Ab oriente in Orientem veniunt*. Ex Oriente temporali & humano, in Orientem diui-

49. Eſai. Chryſoſt. homil. 6. in Matth. Leo ſerm. 1. de Epiphan. Nazianzen. orat. 1. in Iulianum. Iuſtinus in Triphon. Cypr. ſerm. de Epiphan. Epiphan. in Ancorat. Tertull. lib. 3. cõtra Marcionem. Maxim. homilia 1. de Epiphan. Chryſolog. ſerm. 156. Chalcidius in Timæum. Iudith. 3.

Chryſolog. ſerm. 156.

Zach. 6. num & ſempiternum. *Ecce vir* (inquit Zacharias Propheta) *Oriens nomen eius*. Et Zacharias alter, *Per* *Luc. 1.* *viſcera miſericordiæ Dei noſtri in quibus viſitauit nos Oriens ex alto, illuminare iis, qui in tenebris & in vmbra mortis ſedent*. Pulchre Magi (ait Remigius) ab Oriente *Remig. in canten. S. Tho.* veniſſe dicuntur, quia omnes qui ad Dominum veniunt, ab ipſo & per ipſum veniunt. Ipſe eſt enim Oriens ſecundum illud. *Ecce vir, Oriens nomen eius*. *Gen. 3.* Ad hunc veriſſimum Orientem ſita eſt paradiſus, non illa ex qua eiectus Adam: ſed cælæſtis. à qua multo verius præuaricator homo exulabat. Quod ſi hunc veru diuinumque Orientem petere eſt cordi, ſi cæleſtem ædem voluptateſque immortales cõcupiſcimus, deſeramus oportet exemplo Magorum Orientem noſtrum terrenum, id eſt impuras ſenſibileſque voluptates, iuxta Petri Apoſtoli ſententi- *2. Pet. 1.* am dicentis: *Qui vocauit nos propria gloria & virtute, per quem maxima & pretioſa nobis promiſſa donauit: vt per hæc efficiamini diuinæ conſortes naturæ, fugientes eius, quæ in mundo eſt concupiſcentiæ corruptionem*. Tanto enim quiſque propius ad diuinæ naturæ conſortium accedit, quanto amplius corruptibilis vitæ concupiſcentiam fugit. Id vero nihil eſt aliud quam ex Oriente ſuo terreno diſcedere. Quod feciſſe magnum omnium fidelium parentem Abraham Scriptura teſtatur, cum Deus apud Eſaiam de eo lo- *Eſai. 41.* quatur, *Quis ſuſcitauit ab Oriente iuſtum, vocauit eum, vt ſequeretur ſe?* Ac plane de Vr Chaldæorum in Palæſtinam profectus eſt ille vir cuius veſtigia vel fidem potius, vt Paulus loquitur, ſectatæ ſunt gen- *Rom. 4.* tes, atque adeo Abrahæ filij merito reputati ſunt ſunt Magi, qui non ſolum Chaldaica religione relicta Iudæam petiuerunt, quod fecit Abraham diuino præcepto tanquam ſtella cæleſti duce, ſed multo magis mente atque animo, Orientales opes terrenas, potentiam, delicias, honores, vt Chriſtum nouum

nouum Orientem alloqueretur, facile contempſerunt. Horum nos ſequi veſtigia adhortatur beatus Chryſoſtomus ſic hoc loco concionans: *Imitemur igitur nos ſaltem deuotionem Magorum, veroque amore philoſophiæ barbaram conſuetudinem ſubiugemus, longo itinere curramus vt Chriſtum videre mereamur. Nam & illi niſi procul regionem propriam reliquiſſent, nequaquam Chriſtum videre potuiſſent. Recedamus igitur à terrenis negotijs atque curis. Etenim Magi illi in Perſide ſtellam videre tantummodo: quia vero à Perſide receſſerunt, Solem ipſum aſpexere iuſtitiæ: qui certe nec ſtellam quidem ipſam tamdiu videre meruiſſent, niſi cito à Perſide fuiſſent profecti. Surgamus ergo & nos, & licet omnes reſiſtant, nos tamen alacres, & prompti ad pueri curramus domum.* Sic quidem nos adhortatur beatus ille pater: cuius vtinam monitis acquieſcamus. *Chryſoſt. homilia 7. in Matth.*

3 Quo vero vel incitamento acti, vel conſilio ducti rem tantam aggreſſi ſint, tamque longinquam ac incommodam peregrinationem Magi ſuſceperint, produnt ipſi: *Vidimus*, inquiunt, *ſtellam eius in Oriente, & venimus adorare eum*. Stellam ſe habuiſſe cæleſtem viæ & authorem & ducem fatentur. Magna certe eius ſtellæ vis, mirabilis atqui omni natura maior, forma, ac ſplendor extiterit, neceſſe eſt. Leonem audire placet de ea re diſputantem: *Commouet Magos remotioris Orientis habitatores ſtellis cæteris ſtella fulgentior; ac de mirandi luminis claritate, viri ad hæc ſpectanda non inſcij. magnitudinem ſignificationis intelligunt: agente hoc ſine dubio in eorum cordibus inſpiratione diuina, & eos tanta viſionis myſterium non lateret: & quod oculis oſtendebatur inſolitum, animis non eſſet obſcurum.* Quæ ſententia magni Leonis tam abſoluta eſt, vt contradicere quicquam nemo poſſit. Nam qui ſignum tam illuſtre dabat oculis Deus, lucē intelligentiāq; menti

Quo pacto ex ſtellæ conſpectu Magi, Regis in Iudæa nati intelligentiam conſecuti ſūt. *Leo ſerm. 3. de Epiphan.*

menti non obſcurâm eum tribuere æquum erat: *Intelligentia in viſione opus eſſe* Daniel dixit. Sed quoniam nullum Angeli miniſterium externum legimus in hac tota narratione Magorũ, ne tunc quidẽ de vitando Herode quemadmodum notauit Hieronymus, in ſomnis admoniti ſunt, merito quæritur, quanam ratione ea ſtellæ ſignificatio innotuerit Magis. Valde enim remota eſtà ſenſu hominũ, nouæ ſtellæ exortu, noui Regis exortum demõſtrari, idque in Iudæa. Quid enim? nonne alia in prouincia naſci aliquis Rex denuo poſſit? Et ipſum Regis natalem quare indicet ſtella, ac non rem aliam ex plurimis? Quod ſi imperiti eſſe dicent, artiſque Aſtrologiæ ignari, quid ortus ſiderum portendant neſcire, hos vero fuiſſe ea ſcientia apprime præditos, facile omnis ea opinio refellitur, quod hæc ſtella, vt docte Baſilius & Chryſoſtomus argumentantur, neque lege naturæ edita ſit, neque cæterorum aſtrorum rationibus contineri potuerit. Igitur, quod neceſſe eſt, Patres magno conſenſu prophetiam peruetuſtam Balaam præſidio fuiſſe aſſerũt Magis, quos & generis, & ſcientiæ Heredes illius ſentiunt, vt oſtenſa diuinitus ſtella ex antiquo diuque conſtruato oraculo, quid portenderet vel indicaret potius, intelligerent. Sunt eius rei authores Hieronymus, Baſilius, Cyprianus, Leo, Origenes, Chryſoſtomus. vt prætereã alios. Fuit autem Balaam prophetia ea, quæ libro numeri continetur his verbis, *Dixit Balaam filius Beor, dixit homo cuius obturatus eſt oculus, dixit auditor ſermonum Dei, qui nouit doctrinam Altiſſimi, & viſionis omnipotentis videt, qui cadẽs apertos habet oculos: videbo eũ ſed nõ modo, intuebor illum ſed non prope. Orietur ſtella ex Iacob: & conſurget virga de Iſrael, & percutiet duces Moab, vaſtabitque omnes filios Seth. Et erit Idumæa poſſeſſio eius: hæreditas Seir cedet inimicis ſuis. Iſrael vero fortiter aget.*

De

Daniel. 10.

Baſil. hom. 25. de Natiuitate: Chryſoſt. homilia 7. in Matth.

Hieronym. Chryſoſt. Orig. in hoc loco Matth. Leo ſerm. 4. de Epiphan. Cypr. ſerm. de ſtella & Magis. Baſilius homil. 25. Num. 24.

De Iacob erit qui dominabitur, & perdet reliquias ciuitatis. Et interiectis quibuſdam ad alias nationes pertinentibus, mox ait: *Heu quis victurus eſt, quando iſta faciet Deus? Venient in trieribus de Italia, ſuperabunt Aſſyrios, vaſtabuntque Hebræos, & ad extremum etiam ipſi peribunt.* Omnino eſt ſublimis ſpiritus prophetarũ, quantoque iſte vita & moribus alienior; tanto in eo altius eminet diuini maieſtas ſpiritus. Etenim præfatione illa neceſſario vſus eſt, ſe nõ oculis carneis, ſed mente videre quæ diceret, neque ex homine audire, neque ex ſuo cerebro confingere, ſed Altiſſimo Deo & docente & indicante, cuius eſſet tanta maieſtas, vt ad eius præſentiam oculis apertis per mirabilem extaſim corrueret. Iam ſe eum viſurum aliquando, ſed ſero tandem prædicit, ſine dubio de Deo loquens, neque enim alterius mentio vlla præceſſerat, vt Deum hominem futurum oſtendat. Se vero pro eo viſurum & intuiturum cõfirmat, quod ex genere & gente ipſius futuri forent quibus iſta tanta myſteria panderentur. Magos profecto ſignificans ex eius poſteritate futuros, vt probatiſſimi ſcriptores ſentiunt. Quonam veró tempore res tanta euentura, & quo indicio agnoſcenda, ſtatim dicit, quod ad cauſam plurimum refert, orituram ſtellam ex Iacob, nempe Deo Iacob nato futuram ſtatim ipſius natalis indicem ſtellam, quando virga conſurget, vel quod Septuaginta habent & plerique legunt Patres, conſurget homo de Iſrael Chriſtus, qui omnes gentes ſuo regno cæleſti adiecturus eſt virtute diuini verbi tanquam armis potentibus ſuperatas, quarum erunt oblatę primitiæ, ac tanquam obſides dati Magi. Nam ſe non victurum cum hæc fient, mox doles, prophetiam claudens ſtupenda monarchiarum commemoratione, & imperij Romani illuſtriſſima tot ante ſecula prędictione, quod affirmat, toti Orienti dominaturum, ac cædem

Chriſti Iudęis profligatis euerſiſque vindicaturum, demum ipſum quoque ceſſurum regno Chriſti, barbarorum incurſionibus fatigatum ac pene deletum: quemadmodum & Daniel vaticinatus eſt, & Ioannes in Apocalypſi ſcripſit, & nos plurima ex parte completum videmus. Hoc tanto vaticinio inſtructi (vt redeamus ad cauſam) Magi, facile potuerũt, Deo illucente, ſtellam eſſe quam cernerẽt eius indicem, quem ex Iacob oriturum acceperant deprehendere. Sentiunt etiam ſcriptores noſtræ ætatis non ignobiles ex Sybillarum libris fuiſſe Magos edoctos, Erithrææ præſertim atque Sambethes verſibus, quas ceciniſſe dicunt, ortum Chriſti in Iudæa ſtellæ nouæ exortu declarandum. Nam fuiſſe has Sybillas Chaldæas, in qua gente Magi extiterint. Non eſſe vero aſpernanda Sybillarum oracula Diuus Auguſtinus ſcribit, quas eodem Dei ſpiritu cenſet gentibus prophetaſſe, quo ſanctos Prophetas populo Hebræo. Neque vero eſt abſurdum cum Daniel longam ætatẽ inter Babylonios egerit, ac lingua Chaldaica ſcripſerit, cognitionem Meſſiæ illis etiam ſapientibus impertiſſe, qui poſteris accuratè traderẽt mundi totius ſalutem ex Iudæa aliquando petendam. Et omnino eſt mirabile illo ſeculo Saluatoris, celebrem fuiſſe opinionem, multumq; ſermonem de natalibus noui cuiuſdam Regis, cui totus orbis terræ ſubiectus futurus eſſet. Id quod indicãt externi quoque autores M. Tullius quidem in libris de diuinatione, & Maro Ecloga ſua, Suetonius vero in vita Veſpaſiani ita ſcribit: *Percrebuerat Oriente toto vetus & conſtans opinio, eſſe in fatis, vt eo tempore Iudæa profecti rerum potirentur.* Quæ documenta de Chriſti regno & natalibus vt non ſunt repudianda, ita ſine dubio illud prophetiæ Balaam oraculum iure eſt omnibus cæteris prę ferendum.

Daniel 7. Apoc. 17. Auguſt. Eugubin. de perenni philoſophia lib. 1 cap. 3. & c. 22. Cornel. Ianſen in concord. Euang. c. 9. D. Aug. lib. 18. de ciuit c. 18.

Cicer. lib. 2. de diuinat. Virgil. eclog. 4. Sueton in vita Veſpaſiani c. 4.

Qualis

Qualis autem fuerit ſtella, quæ ſubſtantia, quæ forma, quæ ratio diſcurſus, non opus eſt multa dicere. Docent Patres & certis argumentis confirmāt, eam ſtellam denuò à Conditore omnium effectam in eum tantum vſum, Chriſto demonſtrando. Itaque locum ſitumque eius non communem cum cæteris in firmamento, ſed in inferna aeris regione aſſignant. Nam & die ſplenduiſſe, non nocte ſolum, vt cæteras: & præſepe de vicino indicaſſe in quo iacebat Saluator, quod facere non poſſet, ſi in firmamento ſita eſſet. Præterea ex Septentrione meridiem verſus motam, cum ea ſit ratio itineris ab Hyeroſolymis vſque ad Bethleē: qui motionis ordo minimè reliquis ſtellis communis ſit. Poſtremo hāc ſtellam & apparere & abſcondi pro voluntate, nulla naturæ lege, vel impedimento obiecto detractoue. Tanquam enim rationis particeps foret, ita ſe Magorum vſibus accommōdaſſe vſque eo vt ſcribat Chryſologus: *Ambulante Mago, ſtella ambulat, ſedente Mago ſtat ſtella: Mago dormiente, excubat ſtella.* Quare à Deo fabricatam, ab Angelo incitatam actamque ſtellam dubitare non conuenit, Vtrū vero ex Oriente, vbi eſt conſpecta, Magos duxerit anteceſſeritq́; vſque in Iudæam, atque ibi ſe ex conſpectu Magorum receperit, quæ cauſa extiterit iis petendæ Hieroſolymę, quanquam vulgo ita homines opinantur vt etiam autor imperfecti ſentit, tamen id nequaquam certum habetur. Diuus quidem Bernardus rem eam pro comperto ſumens, in Magos culpam reijcit ſtellæ ſubductæ. Ita enim loquitur. *Cumque receßiſſent Magi. & reliquiſſent Iudæos. Ecce ſtella quam viderant in Oriente antecedebat eos. Hinc manifeſte datur intelligi, quoniam humanum flagitantes conſilium, diuinum amiſere ducatum: & conuerſos ad terrenum documentum, ſignum cæleſte deſeruit.* Ad hunc modum Bernardus Philoſophatur.

4 Cur Hieroſolymā adierint Magi.

S. Tho. 3. p. q. 36. ar. 7.

Petrus Chryſolog. ſerm. 156.

Autor imperfecti in Matth. c. 2. hom. 2.

Bern. ſer. 3. de Epiph.

Baſil. hom. de Natiuit. quæ eſt 25. ſophatur. Sed Baſilius & plerique partes, quorum mihi hac in re ſententia potior, viſam ſanè in Oriente ſtellam, at non ex Oriente eandem ductaſſe Magos ſentire videntur, ob eam enim cauſam vaticinio Balaam edoctos Magos ſcribunt, quid ſtella illa ſibi vellet, quæ ſi antecedere eos ac ductare cepiſſet in Iudæam, nullo opus profecto fuiſſet vaticinio. Atque huc ſpectare videtur (quod ſcriptores *Caiet. in 2. cap. Matth. Ianſen c. 9. concord.* docti ante nos notarunt) is ſermo Euangeliſtæ. *Et ecce ſtella quam viderant in Oriente*, non dixit, quam erant ſequuti ex Oriente, tanquam in Oriente, non in itinere conſpectam inſinuet. Quare quod Hieroſolymam petierint Magi, culpandi non ſunt, noui enim Regis exortum, vt Leo dixit humano ſenſu in vrbe regia exiſtimarunt ſibi eſſe quærendum. Interim diuino agente numine, Iudæorum negligentia & perfidia, gentilium hominum & diligentia & fide prodita reprehenſaque eſt, vt illud ſublime myſterium quod Paulus tantopere extollit, iam tunc *Roman. 9.* notaretur? *Quid ergo dicemus? Quod gentes quæ non ſectabantur iuſtitiam, apprehenderunt iuſtitiam, iuſtitiam autem quæ ex fide eſt. Iſrael autem ſectando legem iuſtitiæ, in legem iuſtitiæ non peruenit. Quare? quia non ex fide, offenderunt enim in lapidem offenſionis*: Illud præterea ea re geſta declaratum eſt, Iudæos non ſibi legem & ſacram ſcripturam, ſed eccleſiæ Chriſtianæ potius conſeruare, quemadmodum Auguſtinus ſæpenumero diſputat. Etenim vbi Chriſtus naſceretur, Iudæi ex diuina ſcriptura prodiderũt, ſed ad Chriſtum adorandum ſcripturę teſtimonio Magi eruditi incitatique ſunt: ipſi legis doctores, quem de lege docebant, quęrere adorareque neglexerunt. De quibus rebus diſſerentem egregie ſanctum Pontificem *Leo ſerm. 2. de Epiphan.* Leonem audire præſtat. *Vtique poterat ſtella Magis Hieroſolymis prætermiſſis vſque ad cunabula pueri, ſicut poſtmodum fecit, ſua ſignificatione perducere, niſi ad confutandam*

ſutandam Iudæorum duritiem pertinuiſſet! vt non ſolum ductu ſideris, ſed etiam profeßione innoteſceret natiuitatis Saluatoris. Iam ergo ad eruditionem gentium propheticus ſermo tranſibat, cum Iudæorum infidelitas, veritatem ore proferret & mendacium corde retineret. Noluerunt enim agnoſcere oculis, quem de ſacris indicabant libris. Vt quem non adorabant infantiæ infirmitate humilem, poſtea crucifigerent in virtutem ſublimitate fulgentem. Quæ iſta Iudæi tam imperita in vobis ſcientia eſt, tam indocta doctrina? Interrogati vbi Chriſtus naſceretur, veraciter & memoriter dicitis quod legiſtis. Et veſtra eruditio prodidit, quod ſtella non docuit. Cur vobis viam, quam alijs aperitis, obſtruitis? Sic ille beatus Pontifex in doctores legis, & legis nihilominus contemptores inuehitur. Quod nobis quoque metuendum eſt, ne qui alios docemus, nos ipſos minime doceamus: & cum aliorum ſalutis adminiſtri adiutoreſque ſimus, ſalute noſtra neglecta, pernitioſius ſcientia pereamus, quam ignorantia perijſſemus.

IN EODEM FESTO EPIPHANIAE,

CONCIO TERTIA.

Vidimus ſtellam eius in oriente. Matth. 2.

CAELI *enarrant gloriam Dei, & opera* 1 Vſus ab-
manum eius annuntiant firmamentum. Id uſuſque a-
quidem diuinus vates enuntiat, quòd ſtrorum.
inter res omnes cōditas his oculis ob- *Pſalm. 18.*
iectas nihil æque, vt cœleſtes orbes, Dei maieſtatem declarent, qua ſentētia alias etiam ceci-

Pſalm. 8. cecinit, *Quoniam videbo cælos tuos, opera digitorum tuorum, Lunam & ſtellas quæ tu fundaſti.* Quid enim ea contemplatione beatius? quid ad illius potentiam ſapientiamque Conditoris cognoſcendam luculentius hoc cælorum ornamento & ſplendore? Baruc. 3. *Stellæ*, ait alius Propheta, *dederunt lumen in cuſtodijs ſuis*: quod certè lumen, non tam ſe ſpectando quam Conditore indicando, ardenter ac iugiter vibrant. Atque cæleſtium luminum ea eſt pulchritudo, ea vis, vt facile, niſi ſimus inſipientiſſimi, ſupremi Regis gloriam ac magnitudinem tanquã cæleſtis Regiæ copioſus ac præclarus apparatus, oſtendat. De qua re externi etiam nobiſcum Philoſophi conſentiunt; quorum è numero Ciceronis verba præclara Cicer. lib 2. de natura Deorum. ſunt ita loquentis: *Quid enim poteſt eſſe tam apertum tamque perſpicuum, cum cælum ſuſpeximus, cæleſtiaque contemplati ſumus, quam eſſe aliquod numen præſtantiſſimæ mentis quo hæc regantur? illum vero & dominatorem rerum, & omnia nutu regentem, & vt Ennius dixit, patrem diuinumque hominumque & præſentem ac præpotentem Deum. Quod qui dubitat, haud ſane intelligo, cur non idem, Sol ſit, an nullus ſit, dubitare poſſit. Quid enim eſt hoc illo euidentius?* Qua Tullij ſententia quid diuinis noſtris literis conuenientius à Theologo dici poſſit non video. Sed, quæ eſt hominis miſeria & imbecillitas, effectum eſt, vt inde perniciem mortales caperent, vnde ſalutis ac vitæ præſidia petenda fuerunt. Nam tanquam ſeruorum ornamentis delectati, cum cæleſtia corpora ſuſpicerent, dominos putauerunt, quorum opera ad verum Dominum cognoſcendum perduci oportuit: ruſticorum more & exemplo, qui Regem de facie nunquam conſpicati, in palatium admiſſi, primus quoque aulicus pulchrè ornatus & cultus, in quem oculis incidunt, Regem ſuſpicantur. Eam mortalium amentiam cæleſtia corpora diuini-

uinitate imbuta putantium, præclarè ſapientiæ liber vituperat hiſce verbis: *Vani ſunt omnes hemines, in quibus non ſubeſt ſcientia Dei. Neque operibus attendentes, agnouerunt quis eſſet artifex. Sed aut ignem, aut ſpiritum, aut gyrum ſtellarum, aut ſolem & lunam rectores orbis terrarum Deos putauerunt* Quantus vero error, quanta inſania hæc, ſtatim oſtendit. *Si enim tantum potuerunt ſcire vt poſſent æſtimare ſæculum, quomodo huius Dominum non facilius cognouerunt? Quorum ſi ſpecie*, inquit, *delectati, deos putauerunt, ſciant quanto ijs dominator eorum ſpecioſior eſt. Speciei enim generator hæc omnia conſtituit. A magnitudine enim creaturæ & ſpecie, cognoſcibiliter creator horum videri poteſt.* Qua tam robuſta argumentatione validiſſimè concutitur omnis Philoſophorum arrogantia, omnis Aſtrologorum ſuperbia: qui curſus ſiderum certo metiri valuerunt, Dei omnia mouentis maieſtatem, non vt par erat, venerati ſunt. Itaque tum creaturam pro creatore coluerunt, tum ſcientia ſua ad res nefarias abuſi ſunt, ex aſtrorum rationibus euenta humana certo præſagire polliciti, fatorumque ſeriem inducentes, quibus vita omnis humana perturbaretur, virtutiſque cura & ſtudia omnia, & laus & pœna de moribus tollerentur, quo nihil poteſt inſanius dici. Contra importunos fati aſſertores ſiue Mathematicos ſiue Genethliacos diſputat acriter & ſæpe Auguſtinus, diu ante in eo ipſe errore verſatus Sed egregie in libris de ciuitate Dei, vbi ita habet. *Fatum homines intelligunt vim poſitionis, ſiderum, qualis eſt cum quis naſcitur aut concipitur, quod aliqui alienant à Dei voluntate, & hi ab auribus omnium repellendi ſunt, qui qualiumcunque deorum volunt eſſe cultores. Aliqui vero ſtellas hanc putant habere poteſtatem traditam ſibi à Deo: qui magnam cælo faciunt iniuriam, in cuius velut ſplendidiſſima curia opinantur ſcelera facienda*

Sap. 13.

Aug 5. de ciuit. c. 1.

facienda decerni, qualia ſi aliqua terrena ciuitas decreuiſſet genere humano decernente, fuerat euertenda. Præclare hæc Auguſtinus neque minus bene Chryſoſtomus ſiue autor ille imperfecti quem pro Chryſoſtomo recitat S. Thomas. *Si ſtella eſt quod aut mali ſumus aut boni, ergo nec bonum noſtrum laudandum eſt nec vituperandum malum: quia nec in nobis eſt voluntarius actus: Quid enim mali mei pœnam ſuſcipiam quod non voluntate ſed neceſſitate commiſi.* Ex his duobus tam magnis malis idololatriæ quidem impietatem ſcriptura reprehendit cum acerbè exagitat. Militiam cæli adoratam, à qua ſe impietate ſemper abfuiſſe Iob profitetur: *Si vidi (id eſt, ſi adoraui) ſolem, & cum fulgeret, & lunam incedentem clare.* Temeritatem vero eorum qui ex ſiderum aſpectibus futura prędicunt, propheta vituperat cùm dicit. *A ſignis cæli nolite metuere.* Sic Hieronymus; ſic Theodoretus eum locum interpretantur, in eos qui à conſtitutione ſiderum humana pendere arbitrantur.

Autor imperfecti ho. 2. in 2. Mat.

1. Reg. 21. 2. Paral. 33. Soph. 1. Iob 31. Hier. 10.

2 Aſpectū aſtrorum ſeruiſſe Magis ad Chriſti cognitionem

Sed ſapientiam Dei, vt Salomon dixit, non vincit hominū malitia. Quare de ijs ipſis, quę temeritas peruerſitaſque humana deprauarat, remedium petere lex ſumma conceſſit. *Creaturæ*, inquit, *factæ ſunt in muſcipulam pedibus inſipientium.* Sic plane rebus creatis in ſuam pernitiem abuſus homo, diuina dona in ſceleris & flagitij argumenta conuerterat. Cibo, potu, balneis, vnguentis bonis cæteris ad libidinem, ad impuritatem, ad ſuperbiam abutebatur. At hæc ipſa ſalutis præſidia effecit Deus, ſacramenta religioſa, plenaque pietatis medicamina conſtituit: pane, vino, aqua, oleo, balſamo, virtute cæleſti conſecratis & præditis. Cibo enim recreatus ac refectus eſt homo, qui cibo perierat. Ad eundem modum ſapientiæ diuinæ documenta plurima ac perſpicua ſalute hominum procuranda intueri liceat. Quo more & inſtituto Chaldæos hodie ſiderum inſpectionibus

Sap. 14.

ctionibus deditos, atque ex ijs ipſis aſtris, quæ aſtra ſpectabant, non exiguam ſuperſtitionis Magicæ impietatiſque ſyluam aſtruentes, aſtri cuiuſdam aſpectu ab errore reuocat, Deum ſibi oſtenſum & quærere & adorare perſuadet. Pulchrè Chryſologus. *Quare per ſtellam? vt per Chriſtum ipſa materia errorũ fieret ſalutis occaſio: Hoſtem proprio mucrone turbare, ſingulare eſt inſigne virtutis.* Abraham ſane Chaldæorum ciuis, inſignis & ipſe aſtrologus, iuſſus eſt patriam amicosque deſerere; in terram longe poſitam proficiſci, quam ignorabat. Idem Chriſti de eius poſteritate venturi, certam pollicitationem accepturus, iuſſus etiam diuinitus ſiderum radios contemplari. *Suſpice, ait, cœlum, & numera ſtellas eius ſi potes: ſic erit ſemen tuum,* de quo ſemine dixit. *& in ſemine tuo benedicentur omnes gentes.* Quam præclaram Dei promiſſionem non ad carnalem progeniem Iudaici populi, ſed ad ſpiritualem propagationem Chriſtianæ gentis pertinere copioſè diſputat Paulus. Aſpectu igitur ſtellarum, quo cæteri Chaldæi periclitabantur ad impietatẽ, Abraham diuino munere fidelis, eruditus ac fide corroboratus eſt. Hoc Magorum nõ diſſimile factum fuit, quos ſtella in Dei cognitionem cultumque veriſſimum attraxit, ac patria ipſa relicta Regem ſempiternum & quærere diligenter, & inuenire feliciter dedit. Sancti Leonis ea eſt ſententia quam dixi, cuius etiam oratio hæc: *Quondam beatiſſimo Patriarchæ Abrahæ innumerabilis erat promiſſa ſucceſſio, non carnis ſemine, ſed fidei fœcunditate generanda: & ideo ſtellarum multitudini comparata, vt ab omnium gentium patre, non terrena, ſed cæleſtis progenies ſperaretur. Ad creandam ergo promiſſam poſteritatem, hæredes in ſideribus deſignati, ortu noui ſideris excitantur: vt in quo cæli adhibitum fuerat teſtimonium, cæli famularetur obſequium.* Hæc ille.

Chryſolog. ſer. 157.

Gen. 12.

Gen. 15.

Galat. 3.

Leo ſerm. 3. de Epiphan. Hoc teſtimonium citatur in catena T. Tho. ex Auguſtino ſed eſt vere Leonis non Auguſtini quod ipſa

Illud præterea quod eſt conſentaneum dictis ad

etiam dictio prodit. uertite, Deum pro ſua mirabili prudentia, apud vnumquemque ea ratione vti docendi, quæ eſt ei maxime accommodata, atque eum, vt ita dicam ſermonem vſurpare, quem nouit familiarem. *Diſponit enim omnia ſuauiter.* Paſtores Angeli opera, Simeonem iuſtum & ſpiritualem virum, ſpiritu admonet Magos aſtrologiæ peritos, aſtro internuntio docet. Philoſophatur ſane hoc modo Chryſoſtomus oſtendens neque propheticis oraculis neque voce inſonante, neque Angelo apparente vocandos fuiſſe Magos. *Propterea igitur,* inquit, *omnia huiuſmodi derelinquens, per ea illos vocat, quæ familiaria eis conſuetudo faciebat, mira quidem diſpenſatione pietatis ad hominum condeſcendens ſalutem. Quia enim vnuſquiſque conſuetudinis ſuæ amicitia ligatur, & Deus & miſſi à Deo ad totius orbis ſalutem magiſtri de ipſo cuiuſque gentis more, materias ſibi aſſumunt docendi. Ne igitur opineris indignum quod Magi per ſtellam vocantur.* Sapienter omnino, Dei ſuauitatem in vocatione hominum ex hoc facto Chryſoſtomus collaudauit. Sic Petrum & Andream piſcatores, vt ad euangelicam vitam transferat, piſcationis præclare compotes Chriſtus ſe facturum promittit. Dauidem paſtorali officio intentum paſcere iubet populum ſuum. Magdalenam amoribus impuribus perditam, amore diuino inflammat. Moſem omni ſcientia Aegyptiorum eruditum: aulæ regiæ aſſuetum, ad condendas leges, & regem commonendum Aegyptium vocat. Quod de ſe Paulus profeſſus eſt, id multo præclarius diuina ſapientia præſtat, vt omnibus omnia fiat, quo omnes faciat ſaluos. De ea Sapiens. *Cum ſit vna, omnia poteſt, & in ſe permanens omnia innouat, & per nationes in animas ſanctas ſe transfert, amicos Dei & Prophetas conſtituit.* Transferre ſe in animas ſanctas pro eo dicitur, quod ſe ad cuiuſque animæ captum vſumque accom-

3 Deum ſe cuiuſque creaturæ captui accommodare.

Sapien.8.

Chryſoſt. homilia 6. in Matth.

Matth.4.

Pſal. 77.

Luc.7.

Exod.3.

1. Cor.8.

Sap.2.

accommodet, quemadmodum ſapienter Iacob virgarum colores permutabat, cum canalibus impoſitas pecus ſpectaret, vt pro rei vſu quales intuerentur virgas, tales procrearent etiam fœtus. Quam cæleſtem prudentiam imitari homines debent, vt ſeſe captui & vtilitati eorum quos Chriſto volunt lucri facere, accommodent. Norint ſe ſapientibus atque inſipientibus debitores: ſapientiam loquantur inter perfectos: lac pueris potũ tribuant, non ſolidum cibum. Non ea dicant, quæ non poſſint portare diſcipuli. Infirmis infirmi fiãt, paruulis paruuli. Nutricis officium meminerint, quæ dimidiata ac decurtata verba balbutit infantulo, vt etiam Auguſtinus animaduertit, neque nutricis exigua laus eſt, quæ in diuinam illam atque altiſſimam Dei bonitatem dicitur, cum omnium nutrix in ſacro eloquio Dei gratiã vocatur: *Auguſt. in lib. de catechiſandis rudibus.*

Iam quid ſtella ſignificet, proprius explicandum eſt. At primum ſtella Chriſtus ipſe in Scriptura appellatur. *Ego ſum radix & genus Dauid ſtella ſplendida & matutina.* Quippe cum ſit ante luciferum genitus in ſplendoribus ſanctis. De qua etiam Petrus Apoſtolus: *Benefacitis attendentes tanquam lucerna lucenti in caliginoſo loco, donec dies illuceſcat, & lucifer oriatur in cordibus veſtris.* Quod ideo eſt dictum, quod è vita mortali migrantibus, æternitatis dies illuceat, & Chriſtus radijs glorioſis corda fidelia illuſtret. Itaque Ambroſius. *Fortaſſis ſit ſtella Chriſtus, at ſua ipſe luce ſe ſignat.* Neque enim poteſt ad Chriſtum ire, niſi quem Chriſtus vocarit. Enimuero radius ſtellæ huius, qui oculos animi pulſat, fides eſt, inſpiratio diuina eſt, lux eſt menti diuinitus indita, quæ ad quærendũ adorandũque Deum excitat, & ei pro viribus obſequium præſtandum fidelemque ſeruitutẽ, muneribus pretioſiſſimis proteſtãdã. Quicũq; igitur diuinitus de deſerẽdo ſeculo, de Chriſto

Sap. 16.
4 Stellæ ductum, id eſt gratiæ vocationẽ ſequendã.
Apoc. 22.
2. Pet. 1.
Ambroſius c. 2. Lucæ.

ſequendo & eius cruce portanda impulſus eſt, quicunque de peccati conſortio dimittendo, de virtute amplexanda, de vita auſteriore inſtituenda, de vanitate contemnenda, de perfectione Chriſtiana inchoanda, de malo denique vitando, bonoque ſequendo cogitatione interna pulſatus eſt, ne dubitet is, quiſquis eſt, ſe ſtellam diuinam vidiſſe, ne diſſimulet fulgores noui ſideris ſibi emicuiſſe diuinitus. Mam ſi leoni Papæ credimus, in ſtellæ fulgore Dei gratia deſignatur. *Radiat nanque è cælo ſtella per gratiam, & tres Magi corruſcatione Euangelici fulgoris acciti, in omnibus quotidie nationibus ad adorandam potentiam ſummi Regis accurrunt.* Hic iam videndum, ne fruſtra ſtella nobis diuina fulſerit monente Paulo *Contemplantes ne quis deſit gratiæ Dei*: & eodem alias exhortante. *Ne in vacuum gratiam Dei recipiamus, ait enim tempore accepto exaudiui te.* Magorum potius imitemur ſtudium, diligentiam, induſtriam, qui quod eſt in antiquo carmine, *Leonibus fortiores, aquilis velociores*, delicijs patriæ relictis peregrinationi prolixæ ac difficili ſe accinxere, immenſa terrarum ſpacia confecere, in tyranni aures & os, nouum Regem prædicauere, omnia vitæ pericula vni quærendo Deo poſthabuere. *Conſidera* (ait hoc loco Chryſoſtomus) *horum Magorum & admirare virtutem, non modo quia tam longi itineris ſubiere laborem, ſed etiam quia tam ſimpliciter & libere egere cum Rege. Neque tumultum populi atque clamorem, neque poteſtatem reformidant tyranni. Vnde mihi videntur iſti etiam in regione propria facti eſſe poſtea ciuium ſuorum magiſtri.* Magna quidem hæc & vera Magorum laus. Et quod eſt omnium caput, ac lauſque præcipua, homines ſapientes, honorati, opulenti, in viam ſe dederunt, quam ignorabant. Neque ſe contemnendos præbere dubitarunt, dum eum quæritant, quem vbi locorum agat, ne audierunt quidem. Quæ Magorum fides ſimillima

Lio ſerm 8. de Epiphan. Idem ſerm. 5

Heb. 12.

2. Cor. 6.

2. Reg. 1.

Chryſoſt. homilia 6. in Matth.

lima illius fuit tantopere laudata Patriarchæ Abraham, quam Apoſtolus commemorat ad hunc modum: *Fide qui vocatur Abraham obediuit in locum exire, quem accepturus erat in hæreditatem: & exijt neſciens quo iret.* Et hi ergo illius veriſſimi ſectatores de Chaldæa exiunt in palæſtinam, neſcientes quo eant. Horum nos fidem atque alacritatem obediendi ſectari conuenit, ne Deo vocanti reſiſtamus, neve diu differamus atque cunctemur. *Hilarem datorem diligit Deus.* Qui vero obſeruat ventum, non ſeminat: & qui conſiderat nubes, nunquam metet. *Hebr.* 11.

Iam conſideratione atque admiratione digniſſimum illud eſt, quam bene inter iudicium ſtellæ & Scripturæ teſtimonium conueniat: quam pulchrè ſibi mutuam operam nauent iſtæ res duæ, vt ab vna doceantur Magi, quod ab altera non ſatis diſcunt. Stella quidem iam eſſe natum Regẽ cæleſtem prodit, ſuoque indicio Magos ab Oriente in Iudæam mittit: ſed qua in vrbe Iudææ ſit natus, minimè declarat, Scriptura ſacra conſulta ea de re, docet ſane qua in vrbe Rex Iſrael naſcatur, in Bethleem Iuda: ſed quo in vico, qua in domo quærendus ſit, tacet. Ergo vicariam operam præbens ſtella ſcripturæ, demonſtrat fulgore ſuo fixa & immobilis præſepi incubans, eam eſſe domum, ea cunabula noui Regis infantis, quæ niſi de cœlo oſtenderentur, nulla humana opinione Regis tanti natalibus apta iudicarentur. Meritò hic Chryſoſtomus exclamat. *Conſidera mirabilem prorſus rerum: à Perſide illos vſque Hieroſolymam ſtella deducit, poſt ſtellam ſuſcipit eos populus Iudæorum, & Rex Herodes qui adducit ad Prophetam, poſt Prophetam vero rurſus diriguntur à ſtella, & ab Hieroſolymis in Bethleem ipſa ducente perueniunt.* Et ecce ſtella, ait ſacer Euangeliſta, *quam viderant in Oriente antecedebat eos vſque dum veniens ſtaret ſupra vbi*

5 Internam Dei inſpirationem doctrina Eccleſiæ adiuuari.

Chryſoſt. homil. lib 6, in Matth.

erat puer. Nonne vobis videtur ſtella, quod diſcere poterant ſciſcitando, noluiſſe Magos ipſa docere: quod iam erant edocti, ſed nondum ad plenum aſſequi poterant, ſuo magiſterio opportune ſuppleuiſſe. Quid ſibi id velit, cupitis audire. Magiſterium nimirum Spiritus ſancti internum ac peculiare, atque vnctio arcana, nequaquam publico Eccleſiæ magiſterio repugnat, quin potius duo hæc magiſteria internum & externum mutuo ſibi adiumento ſunt, tum internum per externum, & probatur & confirmatur: tum externum interno illuſtratur, atque perficitur. Inſpiratio interior exteriorem doctrinam non repudiat. Oratio lectione iuuatur; lectio oratione perficitur, deuotioni ſcientia inſeruit, ſcientiam deuotio facit fructuoſam. Quod ſi Scriptura ſtellæ non atteſtetur, vel potius repugnet, non eſt habenda lucis ſtella, ſed Angeli tenebrarum, qui ſe in Angelum lucis transfiguret. Documentum eſt Apoſtoli Pauli ad fidei regulam exigendas eſſe reuelationes. *Siue Prophetiam*, inquit, *ſecundum rationem* *Rom. 12.*
fidei. Itaque ſtella diuina Magos mittit ad Scripturam. Chriſtus ipſe apparens Saulo, tamen eum *Actor. 9.*
iubet ab Anania illuminari. Cornelio Centurioni Angelus præcipit acceſſere Simeonem Petrum, *Actor. 10.*
& ab eo diſcere opportuna ſaluti, quæ potuiſſet Angelus facili negotio exponere. Paulus iam *Gal. 2.*
grandis Eccleſiæ doctor ſecundum reuelationem aſcendit Hieroſolymam, collaturus cum Petro Euangelium ſuum, quod non ab homine neque per hominem didiciſſe ſe gloriabatur. Quam rationem examinandi occultas inſpirationes & reuelationes ad manifeſta Scripturæ teſtimonia, beatus Papa Gregorius ſapientiſſime docet his verbis: *Aliquando autem per Scripturam loquitur Deus, aliquando per occultam inſpirationem. Reuelatione autem occulta loquitur,* *Greg. ſuper 1. Re. li. 3. c. 1. non longe ante mediū.*
cum

cum electæ menti per ſpiritum aut agenda aut docenda panduntur. Samuel ergo cum vocantem ſe Dominum audiuit, ad Heli cucurrit. quia electus ordo Prædicatorum ſanctæ Eccleſiæ hoc quod Deo reuelante cognouerat, quale eſſet, in ſacro eloquio perquirebat, Regula quippe rectæ intelligentiæ in Scripturæ ſacræ libris expreſſa eſt: quia diuina conſilia ibi per venerabiles patres noſtros expoſita ſunt, qui Spiritum ſanctum habuerunt. Vocatus ergo iam ſæpius à Domino Samuel, ad Heli cucurrit, quia ordo prædicatorum, in omni quod ſpirituali reuelatione didicit, patrum veterum dicta conſuluit: vt tunc demum à Domino ſibi fuiſſe reuelatum crederet, cum ab eo quod in ſacra Scriptura legebat, nequaquam differre cognouiſſet. Nam facile fallitur, qui hoc, quod occulta contemplatione colligit in præclara ſanctæ Scripturæ veritate neſcit diſcutere, quale ſit. Vnde & Apoſtolus denuntiat, dicens: Transfigurat ſe Sathanas in Angelum lucis. Quomodo autem falſa in veræ lucis claritate diſcernuntur? Ad Heli ergo currit Samuel quoties à Domino vocatur: quia ſancti prædicatores ne falſæ lucis imagine in intima contemplatione fallantur modum occultæ reuelationis in aperta ſcripturæ ſanctæ veritate diſcutiunt. Hactenus Gregorius: cuius ſapiens & præclara ſententia ſicut in Samuele ad ſacerdotem Heli recurrente probatur, ita etiam in Magis oſtenditur, ſtellæ lucem ſacerdotum voce & ſcripturæ teſtimonio confirmantibus. Omnino Deus ſibi conſentit, & quæ intus inſpirat externo magiſterio probat: à cuius veritate & ſpiritu longiſſime, aberrant homines ſibi placentes, contumacia ſatanica eccleſiæ magiſterio ſubeſſe renuentes. Nos vero qui filij obedientiæ fideles ſumus, ſtellam noſtram nobis diuinitus ortã, ita ſequamur, vt ad Chriſti ſacerdotes nos conferamus, quorũ monita cum probè perceperimus, atq; operæ mandauerimus, inueniemus ſine dubio ſplẽ-

dorem Dei ſuper nos, & gaudium Spiritus Sancti, vſque ad ipſum ſuum Regis optatiſſimum feliciſſimumque conſpectum.

IN EODEM FESTO EPIPHANIAE CONCIO QVARTA.

Audiens autem Herodes Rex turbatus eſt, & omnis Hieroſolyma cum illo. Math. 2.

1 Impotẽs regnandi cupido.

INTER omnes cupiditates maximè inſana eſt & furioſa regnandi cupiditas, propter quam, ſi quando foret, ius eſſe violandum Cæſar arbitrabatur. Quam ea impotens ſit, quam præceps & truculenta, & ſi ſunt plurima omnium gentium, omnium etiam ætatum documenta, vix tamen vllum aut omnino nullum extat illuſtrius & vberius hoc ipſo Herode, quem ad noui regis mentionem perturbatum vehementiſſime hodie cernimus, Qui probatas hiſtorias Egeſippi & Ioſephi grauium ſane ſcriptorum legerit, comperiet nullam fuiſſe vnquam feram Herode truculentiorem, qui regnum malis artibus per tyrannidem vſurpatum, infinita cæde ſuorum tuendũ ſibi ſemper exiſtimarit. Hircanum legitimum Regem ſummumq; ſacerdotem per inſidias ſuſtulit: alterum Hircanum leuirũ iuuenem egregiũ, quod gratus populo eſſet, dolo in piſcinam immergendum curauit. Pherorã fratrem germanum necauit. Ioſippum ſororis virũ trucidauit, chariſſimã ſibi coniugẽ Mariamnẽ regio genere

Egeſippus de euerſione Hieroſol. l. 1. 23
Ioſeph. l. 14. 15. 16. 17. antiquit. & lib. 1. de bello Iudaico.

genere atque eximia pulchritudine claram, ſuſpitionibus ductus falſis, interfecit: ipſis liberis regni appetiti inſimulatis, crudeliſſimæ necis autor fuit: Alexandrum inquam, & Ariſtobolum filios neci dedit: Antipatium natu maximum, fratrum cædis impulſorem, in vincula diu coniectum, diebus omnino quinque antequam moreretur, occidi fecit, quod exultantem audiſſet propter obitum ſuum. Quid ad huius tygridis immanitatem adijci poteſt? Sed ſuperat omnia quæ dixi, quod ijdem ſcriptores literis tradiderunt, imperaſſe Herodem cunctos nobilium Iudæorum filios comprehendi, atque in Circo Hiericuntis incluſos, ſimul atque ipſe animam egiſſet, iaculis confoſſos extingui, ea ſola de cauſa, quod obitum ſuum, quem ſentiebat Iudæis fore iucundum, volebat omnium liberorum clade reddi triſtiſſimum. Tam pium ſcilicet teſtamentum condidit ille ciuium amator eximius: his manes ſuos inferijs tam religioſis expiandos Salome ſorori mandauit. Vt iam minime mirandum ſit, quod de cæde infantium ab iſto tyranno perpetrata Euāgelia narrant. Vſque eo ſæua furioſaque eſt regnandi libido ita Erynnim & Megæram & furias omnes tartareas immanitate ſuperat ſua. Et miramur ad inopinaram Magorum vocem Regem recens natum quærentium perturbatam? ad dolos & artes conuerſum Magis ruinam, Chriſto perniciem meditatum atque molitum? Rectè Chryſoſtomus vel quiſquis is autor eſt timorem ac perturbationem Herodis exponit his verbis *Aeſtimans*, inquit, *illum Regem fore terrenum*, *quaſi de ſucceſſore Regni turbatus eſt. Semper enim grandis poteſtas maiori timori ſubiecta eſt. Sicut cacumen arborum in excelſo poſitarum, etiam ſi lenis aura flauerit, mouetur: ſic & ſublimes homines in culmine dignitatum exiſtentes, etiam leuis nuntij fama conturbat. Humiles autem ſicut in conualle plerumque in tranquilli-*

Lib. 17. de antiq. c. 8.

Autor imperfecti in Matt. ho. 2.

tate conſiſtunt, ſemper igitur regni æmulus formidini eſt, & inuidiæ. Cum Samuel Dei imperio Bethleem Dauidem vncturus deſignaturuſque Regem mitteretur, reſtitit ac repugnauit. *Quomodo vadam?* inquit, *audiet enim Saul, & interficiet me*. Nihil penſi habiturum ſciebat, æmulo regni creato, vtrum ſacerdotem & prophetam, & proprie parentem ſuum vindicaſſet. Quid Abſalon, in patrem & talē patrem infeſtus & furens? *Omniſque poteſtas impatiens conſortis erit*, Cecinit quidam poeta non ignobilis. Dionyſium Siracuſanum ferunt Siciliæ regno ſpoliatum ſcholam pueris docendis aperuiſſe, quod ſine imperio viuere ſe non poſſe fateretur, ludicra illi imperij imagine delectari. Merito cæcum malum Seneca ambitionem dixit. Ea non ſolum regna præclara atque imperia maxima euertit, verum eccleſiā Dei ſciſmate ſæpe ſæuo diſcidit, & labefactauit; neque ſenatus modo & curias turbat ac diſſipat, ſed ipſis quoque collegijs ſacerdotum ac virginum ſacrarum, ipſis domicilijs religioſiſſimis monachorum facem inijcit, incendium excitat ferox, quo cuncta pariter intereant. Quamobrem Chriſtus ab ea peſte maxime tutam cupiens ſuam familiam & crebro & aperte ita inſtituebat. *Qui voluerit inter vos maior fieri, ſit veſter miniſter.* Regnum autem illud expetere monebat, quod eſt cæleſte & ſempiternū: hoc eſt in animo ſitum docebat dicens. *Regnum celorum intra vos eſt*, quod regnum Paulus Apoſtolus immobile definit, quod minime perturbationum atq; viciſſitudinum fluctibus ſit obiectum. Qua ex re intelligi poteſt, quam ſit anguſta & miſera opum caducarum conditio, quæ tot ac tantis cum moleſtijs animi, tum fortunę ludibrijs expoſitæ ſint. Herodes Rex opulentus & potens, pueri cunas expaueſcit, neque attendit veniſſe de cælo. Seruos eſſe igitur non dominos fortunarū ſuarum eiuſmodi tyrannos

1. Reg. 16. *Lucanus.* *Valerius. Maximus.* *Matth. 20.* *Luc. 22.* *Luc. 17.* *Heb. 12.*

nos quis neget? Quam bene Boetius cantat. *Etenim licet indica longe Tellus tua iura tremiſcat. Et ſeruiat vltima Thule, Tamen atras pellere curas, Miſeroſque fugare dolores: non poſſe potentia non eſt.* Ad cantilenam puellarum Dauidis gloriam præ eo celebrantium; furit Saul rex, & inuidia tabeſcit, longe miſerior & vilior, quam cum aſinas perditas ante priuatus quæritaret Octoginta ſacerdotes veſtem ſacram indutos vno puncto tēporis obtruncat, quod æmulū Dauidē hoſpitio accepiſſent, ô plenum mille periculis, mille moleſtis imperium terræ, ô illos felices & beatos qui cęleſti regno potiuntur, in quo pax eſt & gaudiū immortale: quod communicatū alijs nō imminuitur, eoque magis floret, quo fiunt plures participes. Non timet æmulum, non recuſat ſocium, non obſcuratur conſortio, ſed tunc maxime regnum hoc viget cum plurimorum acceſſio fit, quod Paulus Sapienter indicabat, cum diceret. *Sine nobis regnatis; & vtinam regnetis, vt & nos vobiſcum regnemus*: Non vere ſcilicet regnare Corinthios voluit intelligi, quando ſoli regnarent: potius tunc regnaturos, cum regnaret ipſe cum illis. Ea nimirum ſpiritualis verique regni ratio certiſſima exiſtit.

Boet. l. 3. de conſolatione Philoſophiæ metro. 5.
1. Reg. 18.
1. Reg. 9.
1. Reg. 22.
1. Corint. 4.

Herodis perturbationem totius ciuitatis perturbatio eſt conſecuta, Id plane admiratione dignum. Namque vt Bernardus ait. *Non mirum quod turbetur Herodes: ſed quod Hieruſalem ciuitas Dei quæ viſio pacis eſt, cum Herode turbatur, quis non miretur.* Erat Herodes tyrannus, erat externus, non iure ſed vi Iudaici populi me vſurpator Imperij. Chriſtum legitimum Regem propheticis oraculis promiſſum, à populo Dei ſummis petitum, adueniſſe inditio Magorum & ſtellæ intelligebat. Se ſuoſq; pelli tāquam alieni regni inuaſores iniquos, poterat non immerito cogitare. At Hieroſolyma ciuitas Dei, vrbs ſancta, tantis diuinis beneficijs obligata, quid perturbatur? quid labo-

2 Subditorum mores pendere ex Regibus. Reges pro populi meritis contingere bonos aut malos.
Bernard. ſermo. 3. de Epiphan.

laborat? imò verò quid non exultant, ac tripudiat? quid non triumphat ſingulari gaudio eius lætiſſimi nuntij delibuta? Elucet hic ſatis quanta ſit adulandi pernicies, quæ cogat miſeros ſubditos, ad Regis & Domini mores linguam vultumque componere: vt illa probare videantur, quæ probat, illa improbare, quæ ille non probat. Non male quidam ſcripſit hoc loco: *Iudaicus populus turbatur, volens illi fauere, quem timebat. Populus enim plus iuſto eis fauet, quos crudeles ſuſtinet.* Non quidem opinor omnes ex eo nuntio Magorum moleſtiam cœpiſſe Iudæos, qua erat perculſus Herodes: ſed ſeruitute oppreſſos quoſdam falſo, partem ex animo, omnes tamen ſe perturbari præ ſe tuliſſe, Euangelium narrat. Sic Regi gratificari omnes amant. Itaque verum eſt illud Oſeæ. *In malitia ſua lætificarunt Regem, & in mendacio principes.* Neque illud obſcurum eſt, Regis vitio & malitia infici ſolere contaminarique populum vniuerſum. *Videte fratres,* ait hoc loco Bernardus, *quantum noceat iniqua poteſtas: quomodo caput impium ſubiectos quoque ſuæ conformat impietati. Miſera plane ciuitas, in qua regnat Herodes, quoniam Herodianæ ſine dubio particeps erit malitiæ, & ad nouæ ſalutis ortum Herodiana mouebitur turbatione.* Hæc Bernardus. Quocirca quanuis Hieroſolymæ Dei lege & templo præclaræ fuerint, Herodianæ tamen libidini & ſceleri diu aſſuetas, eundem tãdem habitum induiſſe, facile adducor, vt credam. Non equidem multos fuiſſe veros Iſraelitas nego, qui cum Simeone redemptionem Iſraelis expeterent: ſed præ multitudine improborum, bonorum mentio fit nulla. *Omnis,* inquit, *Hieroſolyma turbata eſt cum illo.* Ab Herode nempe deprauati erant ſenſus menſque plurimorum. Adeo Regis eſt impij grauis ac periculoſa contagio; quod Oſeas idem pulchrè admonet: *omnes,* inquit, *adulterantes, quaſi clibanus ſuccenſus à coquente*

A S. Tho. recitatur in catena nomine Chryſoſtomi, ſed nõ eſt.

Bern. ſer. 3. de Epiphan.

Oſeæ.

quente

ruēte quieuit paulùlum ciuitas à commixtione fermenti, donec fermentaretur totum. Duplici ſimili rem eleganter exponit. Vt enim coquus materiam paulatim ſubijciendo clibanum vel furnum potius tandem vniuerſum calefacit & inflammat, ſic princeps prœmia aut ſupplicia, honores aut ignominiam, opes aut inopiam inferendo, ad ſuam libidinem ciuitatem omnem Rempublicamque traducit: quod eſt planè à Rege Hieroboam factum, de quo erat ſermo prophetæ, cum à cultu Dei veri ad aureorum vitulorum venerationem populum blanditijs promiſſiſq; traduxit. Sicut etiam fermentum totam farinam immixtum, ſenſim natura ſua impertit & imbuit, ſic Regum ſtudia populo indita & communicata, eiuſdem eſſe ſaporis & ſenſus tandem efficiunt. Quapropter attendant ſibi oportet etiam atque etiam ij, qui cæteris præſunt & dominantur, ac diligenter ſapientis monita auſcultent ad hunc eos modum adhortantis: *Præbete aures vos qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum: quoniam data eſt vobis poteſtas à Domino, & virtus ab altiſſimo, qui interrogabit opera veſtra, & cogitationes ſcrutabitur: quoniam cum eſſetis miniſtri regni illius, non rectè iudicaſtis, neque cuſtodiſtis legem iuſtitiæ, neque ſecundùm voluntatem Dei ambulaſtis.* Sap. 6. Hæc quidem ad Principes & moderatores Reip. dicta ſint. Nunc ad vos conuertenda eſt oratio, vt diligenter agatis, quo Reip. principes boni cõtingant. Atqui, dicetis credo, non veſtra id intereſſe, cum naſcantur vobis principes, non veſtris ſuffragijs dentur: Imò vero ſuffragia eſſe veſtra ſcitote, in vtramque partem potentiſſima: ſuffragia inquam meritorum & precum. Nonne audiſtis aliquando ex diuinis literis, *Qui regnare facit hypocritas propter peccata populi?* Iob 34. & illud *Dabo tibi Regem in furore meo.* Oſe. 13. Peccatis ergo veſtris deputatore, ſi quando Principes, Magiſtratus, Præfecti improbe

improbe nequiterque ſe gerunt. Iam precibus & votis ſupplicibus ac perpetuis placandum numen diuinum, atque exorandum, vt det *paſtores iuxta cor ſuum*: quos cum dederit, conſeruet promoueatque bono publico. Ita plane præcepit Paul. preces obſecrationeſque fieri. *Pro regibus & pro ijs qui in ſublimitate ſunt conſtituti, vt quietam & tranquillã vitam agamus in omni pietate & caſtitate*. Videte quanti referat, bonos nanciſci principes, vt Paulus in eo ſitum putet, non ſolum quiete pacateque viuere, ſed etiam piè, religioſè, caſtè, honeſtè. Pertinet enim ad Regum proculdubio curam, Rempublicam ab omni impietate vindicare, flagitia & turpitudines omnes, exterminare, vt nulla ſit labes neque faciendi falſo de Deo neque turpiter & obſcænè corpore abutendi. Eſt autem illud notiſſimum. *Qualis Rector eſt ciuitatis, tales & inhabitantes in ea*. Neque Salomonis ſententia poteſt quicquam commodius dici, *ſicut diuiſiones aquarum, ſic cor Regis in manu Domini*. Noſtis opinor omnes qua facilitate aquæ ductus hac illuc flectantur, cum ſuo loco aquæ diuiduntur, quæ ſi rapiantur in præceps, obſiſti ſibi nullo modo patiuntur, neque ductum ſequuntur cuiuſque ſed ſuo impetu cuncta trahunt. Id plane Regibus euenit quorum cum eſt incitatus animus & curuus aliquo, repugnare velle ac reniti, ſuperuacaneum vel potius pernicioſum eſt. At molliter diuino nutu quo Deus vult, ducuntur cum diuina voluntas eorum mentem atque animum leniter flectit. Quare Deus ardenter orandus, vt bonam mentem, ac ſalutaria ſtudia Regibus ac Reipublicæ moderatoribus ſemper inſpiret.

Hier. 3. *1. Timoth. 2.* *Eccleſ. 10.* *Prouerb. 21.*

3 De lege. Dei ſacerdotes conſulendos: De Chriſti patria conſulit Scribas & Sacerdotes Herodes: ij ex diuinis ſcripturæ propheticæ oraculis reſpondent eſſe Bethleem Iuda: ſic enim ſcriptum eſſe per Michæam. *Et tu Bethleem terra Iuda nequaquam*

quaquam minima es in principibus Iuda: ex te enim exiet dux qui regat populum meum Iſrael. Quem locum non mendoſè Matthæus recitat, licet in Michæa diſcrepare videatur, Michæas enim ſic habet. *Et tu Bethleem Ephrata paruulus es in millibus Iuda.* Matthæus vero contrario modo refert, Nequaquam minima es, quæ videntur aperte repugnare, ſed minimè repugnant ſi ſenſum vt monuit Ambroſius, nō voces conſideres. Nam quod prophetica locutio ironicè vrbem minimam dixit, hoc Euāgelica narratio expoſuit negatione, quæ eſt ironiæ explanatio certiſſima. Si quis enim minime egregiam laudem tuliſſe apud poetam, venerem & Cupidinem explanaret, nullo modo poetæ repugnaret dicenti.

eoſq; non errare, cū de rebus diuinis cenſent. *Mich.* 5. *Ambroſ. li.* 5. *Epiſt.* 1.

Egregiam vero laudem & ſpolia ampla tuliſtis,
Tuque puerque tuus.

Virgilius.

Erat quidem Bethleem Ephrata ſiue Iuda, quod eodem redit, ambitu & ciuium multitudine exiguū oppidum: at Chriſti natalibus vrbs futura longe clariſſima & maxima. Id igitur vere reſponſum eſt à ſapientibus Iudæorum. Atque hic primum cognoſci animaduertique debet, quantopere Reipublicæ interſit in conſilium adhibere ſapientes, ac de quaque re eius rei peritos interrogare. *Multitudo ſapientium,* inquit, *ſanitas eſt orbis terrarum* Res difficiles & obſcuræ ad prudentes & doctos deferendæ. Si conſcientiæ ſcrupulus incidit grauior, ſi cauſa impedita, ſi contractuum, ſi æris alieni quæſtio eſt implicatior, literatum ac legis diuinæ bene peritum adire memento: ne ſimplicitate ac ruſticitate quā uis modeſta & ſancta contentus ſis, Tobiam ſenio rem audi monentem. *Conſilium ſemper à ſapiente perquire.* Præſtat ſapiens non admodum religioſus, ſancto, minimè docto, quod ad veritatem diuinæ legis cognoſcendam attinet. Non erant ſancti Scribæ ac Principes ſacerdotū: at erant in ſacris literis verſati.

4 Huic expoſitioni aſſentiuntur. *Ianſen. c.* 9. *Concordiæ* *Viues in ſcholijs. cap.* 36 *lib.* 18. *de ciuit.* *Ribera fuſe in* 5. *Mich.* *Sapien.* 16. *Tob.* 4.

oſtendit: *Ab infantia*, inquit, *ſacras literas didiciſti, quæ te poſſunt inſtruere*, ac rurſus, *Omnis ſcriptura diuinitus inſpirata vtilis eſt ad docendum. ad erudiendum, ad arguendum, & cætera*. Bene igitur Scribæ & Phariſæi de Chriſti patria cenſuere, reſponſum ſapiens verumque dedere: ſi quod verbis docebant, ſequerentur factis, felices, fortunatique futuri, ſed quia quam alijs oſtenderunt ſalutis viam, minime ipſi ingreſſi ſunt, eo maioris ſupplicij pœnas meriti, quo ſcientia ſunt ampliori prædi**ti**.

IN EODEM FESTO EPIPHANIAE, CONCIO QVINTA.

Et intrantes domum inuenerunt puerum cum Maria matre eius: & procidentes adorauerunt eum.

Matth. 2.

TRIPLEX genus hominum Euãgelica narratio prodit Chriſti cunabula perquirentium, ſed ſtudijs valde diuerſis. Herodes quidem quærit, & quærit diligenter, vt cognitum proſequatur, perdat, occidat, *Congregãs*, inquit, *omnes principes ſacerdotum & Scribas populi ſciſcitabatur ab eis vbi Chriſtus naſceretur*. Quanta ſolicitudine? qua induſtria? Mox Clam vocatis Magis diligenter didicit ab eis tempus ſtellæ quæ apparuit eis. *Ite*, inquit, *& diligenter quærite, & cum inueneritis renuntiate mihi:* Quid poteſt ad hanc curam vigilantiamque accedere? quid promptitudini tantæ addi? At doli diſſimu-

1 Herodis malitiæ in quærendo Chriſto dignè deriſę.

latione tecti inſidiæ diſſimulatione celatæ, in apertum tandem furorem proruperunt, draco inſidioſus & fallax in leonem atrocem conuerſus eſt, Chriſtum quia Magorum inditio non inuenerit in cunabulis, ſatellitũ gladio petit inter infantes. Herodem plane imitantur, qui iã dolo iam vi Chriſtũ recens natum oppugnant. Naſcitur enim hodie imo quotidie Chriſtus in eorum mentibus, qui verbo veritatis concepto, Chriſto vitam moreſque confirmant. Nam & ipſe matrem agnoſcit, qui fecerit voluntatem Patris cæleſtis: & Paulus exclamat. *Filioli mei, quos iterum parturio donec formetur Chriſtus in vobis.* Sunt autem hi Satanæ adminiſtri atq; adiutores, qui vel conſilijs prauis, vel exemplo peſſimo inſtituta religioſa piaque euertunt, ſimiles plane Pharaoni ſæniſſimo, à quo eſt de interficiendis omnibus maſculis Hebræorum lata lex impia atque crudelis. Herodis malitiam & furorem quemadmodum imitentur Satanæ miniſtri, eleganter Leo ſic ſcribit: *Permanet igitur dilectiſſimi myſticorũ forma geſtorum, & quod imagine inchoabatur, veritate completur. Radiat nãque ſtella per gratiam, & tres Magi coruſcatione Euangelici fulgoris acciti in omnibus quotidie nationibus ad adorandam potentiam ſummi Regis accurrant. Herodes in diabolo quoque fremit, & auferri ſibi iniquitatis ſuæ regnum in ijs, qui ad Chriſtum tranſeunt, ingemiſcit. Vnde ſi paruulos interficiat Ieſum ſibi videtur occidere. Quod vtique facere ſine ceſſatione molitur, dum primordiis renatorum Spiritum ſanctum eripere, & quandam teneræ fidei velut infantiam tentat extinguere.* Ergo iuxta Sancti Leonis ſententiam Herodis ſatellites ſunt, quicunque perdere Chriſti tirones paruulóſque conantur. In hos tales vaticinatur ſapiens hoc modo: *Fili mi ne ambules cũ eis: prohibe pedẽ tuũ à ſemitis eorũ. Pedes enim illorũ ad malum currunt, & feſtinant, & effundant ſanguinem, fruſtra autẽ iacitur rete ante oculos pennatorũ.*

Matth. 12. *Galat.* 4. *Exod.* 1. *Leo ſerm.* 5. *de Epiphan.* *Prouerb.* 1.

Ipſi

Ipſi quoque contra ſanguinem ſuum inſidiantur & moliuntur fraudes contra animas ſuas. Quam eſſe veriſſimam prophetiã apertiſſime Herodis facta exituſque demonſtrant. Nihil aliud agebat conſultationibus, colloquijs, adoratione Magorum, quam vt Chriſtum ſibi proditum perderet, ſanguinem funderet innoxium. Sed oculos omnia videntis numinis latere non potuit; neque vero aliis præditum pernicibus conſequi. Atq; in caput ſuum tandẽ perniciem Chriſto paratam exitiumque conuertit. Laqueo ſuo illaqueatus eſt, illudere ſe putauit Magis, ſed à Magis eſt ipſe potius illuſus: & gladius Herodis quo trucidauit infantes, in viſcera Herodis verſus eſt, cum laureati triumphent illi, iſte ſupplicijs ſempiternis addictus congemiſcat. Commode Leo beatus exclamat: *O cæca ſtultæ æmulationis impietas, quæ perturbandum putas diuinum tuo furore conſilium. Exardeſcit ſiniſtra in meditationibus ſuis Herodis inſania. Quos Rex impius eximit mundo, Chriſtus inſerit cælo.* Eum videlicet habent exitum, qui Chriſtum militia proſequuntur. *Leo ſerm. 1. de Epiphan.*

Eſt alterum genus quærentium Chriſtum, vt ſciant tantummodo: quod in Phariſæis & Scribis ab Herode conuocatis videmus. Non illi (quantum equidem arbitror) adhuc de tollendo puero Chriſto cogitabant: verum neque adeundum adorandumque ſibi cenſebant. Cognoſcere tantum volebant, & locum natalium Herodi indicare vt impio Regi gratificarentur. In iſtis cognitoribus non adoratoribus Chriſti depicta eſt ſane atque expreſſa fides ea, quam ſine operibus mortuam atque otioſã Iacobus definit. Nam & ſacris literis fidem habeant, & erant inſtructi verbo Dei, ſed quod alijs oſtendebant, ipſi minime curabant: Pulchrè rem hanc Auguſtinus his verbis declarat. *Quid dicam de infelicitate Iudæorum qui Chriſtum quærentibus Magis etiam*

2 Socordia Iudæorum Chriſti patriam indicantium, nec tamen adeuntiũ.

Iacob. 2.

Aug ſerm. 11 de Epiphan.

etiam prophetiam indicem protulerunt Bethleem ciuitatem deſignauerunt, quam ipſi non petiuerunt: ſimiles facti fabris arcæ Noe, aliis vbi euaderent præſtiterunt, & ipſo diluuio perierunt? ſimiles lapidibus milliariis viam oſtenderunt, nec ambulare potuerunt, quia ſtolidi in via remanſerunt. Audierunt, & abierunt Magi inquiſitores: dixerunt & manſerunt Iudæi doctores. Sed *non auditores legis iuſtificantur apud Deum, ſed factores legis*, Paulo teſte, imo vero *ſcienti bonum facere, & non facienti peccatum eſt illi.* Quapropter ex magiſterio maius iudicium ſubeundum Apoſtolus Iacobus etiã admonet. Nulla enim excuſatione ſe tegere poſſunt, qui Chriſtum adorandum magis prodiderunt, tamen ipſi neque adire neque adorare dignati? Caueant ſibi doctores ac Magiſtri Chriſtianæ plebis, qui ſcientia intumeſcunt, eloquentia extolluntur, ne cum aliis ſaluti præſidioque ſint, ſe ipſos ſtultiſſimè perdant. Meminerint profecto, quod Apoſtolus ſcribit. *Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum velut æs ſonans aut cimbalum tinniens.* Etenim cum æris ſonitu ac cimbali ſignificatione homines ad ſacra vocentur, diuiniſque rebus interſint, tamen ipſum cimbalum neque quo vocat ingreditur, neque bono à ſe ſignificato fruitur, ſed foris ſub dio ventorum atque imbrium iniuriis patet. Quale (quæſo vos) erit, vt cœlos aliis patefieri videant concionatores, quos concionibus ſuis permouerunt, ſe contra in tartara ruere, quod dicere nõ facere maluerunt? Præclare Auguſtinus hoc facto ſcribarum & ſacerdotũ Chriſti natalia indicantium Magis, non item ſibi requirentium, declarari dicit ſcripturas apud Iudæos manſiſſe ſpiritum ac fructum earum gentibus reſeruatum: *Quid aliud*, ait ille, *hæc ſignificauit diuina prouidẽtia niſi apud Iudæos ſolas diuinas literas remanſuras, quibus gentes inſtruerentur, illi*

Rom. 2.

Iacob. 4.

Iacob. 3.

1. Cor. 13.

Aug. ſer. 13. de tempore qui eſt 2. de Epiphania.

illi excæcarentur, quas portarent non ad adiutorium ſalutis ſuæ, ſed ad teſtimonium ſalutis noſtræ? Nam hodieque cum præmiſſas prophetias de Chriſto proferimus, iam rerum completarum luce declaratas, Iudæorum Codices recitamus vt tollatur dubitatio Paganorum: qui iam in Magis illis figurabantur, quos Iudæi de ciuitate in qua natus eſt Chriſtus, diuinis eloquijs inſtruebant, & cum ipſe nec requirebant, nec agnoſcebant. Quapropter fratres ſi qui inter vos ſcientia præditi ſunt, exemplo Iudæorum alijs prodeſſe, ita vt ſibi haud ſatis conſulant, ſcientiæ ſuæ fructum infeliciſſimum ducant.

Iam genus tertiũ piũ, æque ac fælix Chriſtũ quærentium nobis beati Magi demonſtrent. Hæc tria genera Auguſtinus ita dixit. *Magi quærebant vt inuenirent, Herodes quærebat vt perderet. Iudæi ciuitatem naſcentis legebant: tempus venientis non intelligebant. Inter Magorum pium amorem, & crudelem timorem illi euanuerunt*. & cætera. Ergo ad tertium nos genus quærentium Chriſtum iam conferamus, Magoſque ſequamur, quibus columbæ ſimplicitate cum prudentia ſerpentis coniunctam cernimus. Quid enim ijs candidius atque ſincerius qui nouum Regem in aula tyranni palam requirebant quid porro prudentius & conſultius iiſdem ipſis qui ita clam docentem Herodem cunabula Chriſti audierũt, vt ad ſuam ſalutem vterentur labore, induſtria, atque opera tyranni malitiam eius eodem indicio tectam fruſtrarentur Bene à ſapiente dictum *Simplicitas iuſtorum diriget eos, & ſupplantatio peruerſorum vaſtabit illos*. Quod in Magis & Herode apertè videmus. Itaque præclare ab apoſtolo. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*. egregie à Dauide. *Cognoſcetur Dominus iudicia faciens*. Quam hæc illuſtria iudicia? Dolos ac fraudes Herodis in ipſius caput verti. *Incidit enim in foueam quam fecit*. Dumque illudere vult illuſus eſt, deceptus qui parabat

3 Magorũ ſimplicitas & fælicitas.

Aug. ſerm. 5. de Epiphan.

Prouer. 11.

Rom. 8.

Pſal. 9.

Ibidem.

bat decipere. Quis Herodis aſtutiam non attendat, & diligentiam & induſtriam in cogendo concilio, in conſulendis peritis; inſtruendis Magis? quis non videat Scribarum literas ac peritiam, diuinorum voluminum ſtudium atque intelligentiam? Iã quis non admiretur omnia denique inimici Regis conſilia, omnem Scribarum ſcientiam opitulationi Magorum ſeruiſſe? nonne mirificè oſtendit Deus ad ſuorum gloriam etiam inimica atque infeſta arma ſolere conuerti? Velint nolint, Dei conſilio & voluntati militant aduerſarij. *Et conuerſus erat gladius vniuſcuiuſque in proximum ſuum*. Sic caſtra Allophilorum ad conſpectum Ionathæ euertit. Sic ſatrapæ Darij in eas inſidias incurrerunt, quas Danieli inſtruxerant. Sic fratres Ioſeph vendentes, in eius dominatum inuiti perducti ſunt. Sic idem Ioſeph teſtimonio falſo appetitus, atque incluſus, in carcerem, ad imperij faſtidium peruenit. Sic Laban cum ſimplicitatem Iacob defraudare parat, decuplo locupletauit. Igitur quod dixi, dico iterum, vel potius quod Paulus dixit agnoſco. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*. Meruit pietas Magorum, meruit ſimplicitas, meruit diligentia, fides, integritas, conſtantia denique illa inuicta, qua odioſiſſimam Regis noui famam tyranni impotentiſſimi auribus inferre non dubitarunt, eiuſdem tyranni conſilijs atque opibus muniri ac dirigi. *Cum enim placuerint Deo viæ hominis, inimicos quoque eius conuertet ad pacem*

1 Reg. 14. Gen. 40. Dan. 6. Gen. 42. Gen. 31. Prou. 6.

4 Gaudiũ de recuperata diuina conſolationis ſtella longe vberius

Quapropter Chriſti patriam ciuitatem edocti, nihil morantur Magi. Bethleem ſibi, e veſtigio petendam ſtatuunt. Vix Hieroſolymis pedem extulerant, ecce ſtella quam viderant in oriente: quã cõſpecta gaudio incredibili perfuſi ſunt. Gratior nimirum atque iucundior accidit cæleſtis lux inferique conſolatio velut poſtliminio recepta, quã ſi iugiter

iugiter perſeueret. *Magis enim gaudent homines, vt hoc loco Remigius animaduertit de rebus perditis, quam ſemper poſſeſſis.* Ob eam rem Dominus ſtellam ſuam interdum ſubtrahit, quam mox opportunè exhibet. Primum enim probatur fides atque conſtantia, vt cum Paulo ſeruus Dei dicat, *Et ideo contendimus, ſiue abſentes, ſiue præſentes placere illi*. Deinde ad humilitatem proficit, ad excitandam vigilantiam, ad acuendam pietatis ac deuotionis curam, quod ſponſa ſancta de ſe teſtatur: *In lectulo meo quæſiui quem diligit anima mea: quæſiui eum & non inueni. Surgam & circuibo ciuitatem, per vicos & plateas quæram, quem diligit anima mea*. Qui in lectulo quietis internæ & contemplationis, vt Gregorius exponit, non inuenit dilectum ſuum, quærat certe per vicos & plateas operationum externarum. Sciat viros etiam ſanctos ſine culpa aliquando diuinis priuari conſolationibus, audiat Iob conquerentem ac dolentem. *Quis mihi det, vt ſim iuxta menſes priſtinos ſecundum dies, quibus Deus cuſtodiebat me, quando lauabam pedes meos butyro, quando petra fundebat mihi riuos olei, quando ſplendebat lucerna eius ſuper caput meum, quando ſecreto Deus erat in tabernaculo meo.* Poſtremo tunc ſtella & lætior & lucidior apparet, cum ſuperatis Herodis inſidijs, ac relicto comitatu ſæculi, appropinquat iuſtus ad palmam, cum ad exitum laborat, ad ipſum Dei optatū Regis gloriæ conſpectum vicinus eſt. *Expectantes*, ait Petrus, *& properantes in aduentū diei domini*. Fit enim mirabili quadā ratione, vt cum finienda eſt peregrinatio vitæ mortalium, qui ductum diuini luminis ſequuti ſunt, ſtellam ſibi ſolito amplius radientem, diuinam inquam præſentiam fiduciæ atque alacritatis plenam animo cernant, ac ſingulari gaudio perfundantur. Idque ſignū cæleſtis auxilij perduret vſq; dū in cōſpectum Regis inducat, quod precatur

Remigius in catena San. Thomæ.

2. Cor. 5.

Cant 3.

Gregorius in Cantica.

Iob. 2.

2. Pet. 3.

hodie Eccleſia. *Vt qui iam te ex fide cognouimus, vſque ad contemplandam tuæ pulchritudinis ſpeciem perducamur.*

5 Magorũ fides in Chriſto Deo adorando.

Et intrantes domum inuenerunt puerum cum Maria matre eius, & procedentes adorauerunt eum. Domum quam Matthæus narrat intraſſe Magos, eandem illam ſpeluncam debemus accipere, in qua Saluatorem editum Lucas refert. Neque enim quod quidã putãt hoſpitium Mariam mutauerat, ſed in eodem ipſo quo diuerterat, permanebat, ſi quidem lege cogebatur mulier cum peperiſſet manere in eodem loco vſque dum purificatorij dies peragerentur. Cum præſertim ſancti Patres conſentiant ad præſepe Magos à ſtella perductos, Auguſtinus, Ambroſius, Fulgentius, & ipſe Hieronymus cuius eſt carmen in Epitaphio Paulæ. *Hic præſepe tuum Chriſte atque hic myſtica Magi Munera portantes, hominique Deoque dedere.* Imo vero Eccleſia tanquam rem compertam canit. *Hodie ſtella Magos duxit ad præſepium.* Neque repugnat quod Domus à Matthæo vocetur. Non enim nuda ſpelunca aut merum ſtabulum belluarum erat, vt nonnulli cogitant, ſed diuerſorium plane, hoſpitiumque etiam hominum, ſed vile & male cameratum: quale extra vrbes muliones aut agaſones & vulgus ignobile petere ſolet. In quo diuerſorio tantæ etiam fuerunt anguſtiæ, vt Ioſeph & Maria cogerentur, in infimam maximeque abiectam partem concedere, vbi præſepe iumentorum erat in ſpelunca rupe excauatum. Atque eo in loco repoſuit Virgo mater infantem, quod commodiorem haberet nullum. Hæc igitur domus eſt, in quam ſunt Magi ingreſſi, hæc cunabula Regis ſummi petierunt, hic conſtitit ſtella ardens & perſpicuos ac viuidos radios vibrans, latere cæleſtem theſaurum non paſſa eſt. *Dicere ſtella & clamare videbatur,* ait Maxim. *hic eſt puer, quẽ natum teſtabar*

Maxim, ſer.

te ſtabat è cælo. Hic eſt Rex ille magnus, qui venit cœleſti imperio regnum ſociare terrarum. Vere ſtella dominicæ natiuitatis miniſtra. Ergo obſequuntur Magi ducis ſuæ iuſſis: intrant in domum ruſticam, oſtenſum inueniunt puerum in matris pauperis gremio. Se ſe ad pueri pedes ante vile præſepe proſternunt. Quis fidem Magorum non admiretur? quis magnitudinem ſapientiæ incredibilem non ſuſpiciat? ſolium Salomonis Scriptura laudibus effert, nec fuiſſe tale opus vſquam gentium prædicat. Reginam Sabæam longa peregrinatione ſuſcepta ad magnitudinem opum Salomonis obſtupuiſſe, apparatus magnificentiam, ſeruorum multitudinem, palatij ſplēdorem, epularum delitias, veſtium ornatum, cæteram pompam oculis & cogitatione luſtrantem, mente attonitam propemodum concidiſſe. At vos ô Reges Saba; quæ gloria, quæ opum magnitudo permouit? pro ſolio Regali, vile præſepe, pro aureis ornamentis, panni deſpicabiles: pro comitatu copioſo & inſigni, abiecta animalcula: pro depicto ſublimique palatio, caſa ruſtica: & tamen adoratis infantem, ſalutatis Regem, proſternimini Deo, ſeruitutem Domino profitemini. Nimirum in exiguo corpuſculo Dei maieſtatem recognoſcitis, cætera ornamenta minime requiritis: ipſum ſibi Deum ſufficere ad immortalem gloriam ſapienter exiſtimatis. *Quod enim ſtultum eſt Dei, ſapientius eſt hominibus: & quod infirmum Dei, fortius eſt hominibus.* Clamat Cyprianus hoc loco, & tanto miraculo attonitus loquitur: *Ecce alienigenæ à fluminibus Aethiopiæ ad paruulum Chriſtum ſupplices veniunt & filij diſperſorum deferunt munera: accedunt qui longe erant, & qui prope recedunt. In loco humili & ſupellectili, vili Rex regum & Dominus dominantium, inuenitur, cognoſcitur, adoratur.* Intuere iam ſapientes, intuere opulentos & magnos principes [illegible] ad paruuli pedes abie-

mone 4. de Epiphan.

3. *Reg.* 10.

1. *Cor.* 1.

Cypr. in ſer. de ſtella & Magis.

ctos ac procumbentes, leones feroces cerne manſueſcere, & tanquam agnos ſe regi ſinere, vt merito vaticinium illud Eſaiæ occurrat. *Puer paruulus minabit eos.*

Eſai. 11.

6 Munera Magorum nobis quoque offerenda.

Neque adorant ſupplices tantum, ſed munera etiam addunt pretioſa, quibus quid de puero eo ſentiant, apertè declarant. Aurum Regi, Deo thus debitum, myrrha mortali. Sic ſpolia gentium Chriſto cedere debere declarant ſapientiſſimi Magi, primitiæ Gentilitatis, oratores nationum exterarum, paranymphi, atque internuntij orbis terrarum. Quam præclarè, quam plenè perductam ad exitum illuſtriſſimam Eſaiæ prophetiam hodie intuemur? *Concepit,* inquit, *propheti ſſa, & peperit filium, & dixit Dominus ad me. Voca nomen eius, Accelera ſpolia detrahere, Feſtina prædari. Quia antequam ſciat puer vocare patrem & matrem ſuam, auferetur fortitudo Damaſci, & ſpolia Samariæ coram Rege Aſſyriorum.* Quæ ſane tam præclara promiſſa hodie re perfecta magno conſenſu aſſerũt Patres, Iuſtinus, Irenæus, Athanaſius, Tertullianus. Auguſtini vero in quadam huiuſce diei concione verba ſunt talia: *Tunc puer priuſquam ſciret vocare patrem aut matrem, accepit virtutem Damaſci & ſpolia Samariæ. Id eſt, antequam per humanam carnem humana verba proferret, accepit virtutem Damaſci. In diuitijs quippe ſecundum ſeculum ciuitas illa florebat. In diuitijs autem principatus auro defertur, quod Chriſto Magi ſuppliciter obtulerunt. Samariæ vero ſpolia ipſi erant. Samaria quippe pro idololatria poſita eſt, hæc prima puer ſpolia idololatriæ dominationi ſpolia detraxit, vt ad ſe adorandum Magos ab illa peſte ſuperſtitionis auerteret, & in hac terra nondum loquens per linguam loqueretur de cælo per ſtellam.* Nos quoque fratres Magos hos imitari ne ſimus adorare contenti, niſi munera etiam Deo digna promamus. *Non apparebis ante conſpectum meum vacuus*: In lege præcipit, qui

Eſai. 8. Iuſtinus in colloq: Triphonis ſuſe. Tertull. lib. 3. aduerſus Marcion Athanaſ. de incarnatione Verbi. Chryſoſt. in 2. Matth. hom. 2. Euſeb. lib. 7. demonſt. 2. Aug. ſer. 4. de Epiphan. Exo 23. 24. Deut. 16.

in

qui in gratia præuenit voluntatem, dando quod demus, largiendo ipſe, quod repetat, & à nobis accipiat. *Tua ſunt enim omnia Domine* (aiebat Dauid) *& quæ de manu tua accepimus, reddimus tibi.* Illorum ſane trium munerum ex theſauris Arabicis, Perſicíſque depromptorum, auri, thuris, & myrrhæ varias ſancti Patres ſignificationes nobis accommodant, quæ ſunt omnes ſuſcipiendæ, nulla improbanda. Attamen vt nos quoque vt beatus Leo monet, munera quæ ſunt Deo digna promamus, noſtro quodam modulo exiſtimamus tria genera bonorum operum, quibus diſciplina omnis Chriſtiana continetur, his commodè muneribus intelligi poſſe. Ea ſunt eleemoſyna, oratio, ieiuniũ. Pro largitione auri eleemoſyna ſit, quoniam quicquid vitæ vſui eſſe poteſt, auro comparatur. Eſt autem optimum genus muneris eleemoſyna. *Bona eſt*, inquit, *eleemoſyna magis quam theſauros auri recondere.* Et rurſus: *Eleemoſyna viri quaſi ſacculus.* Thure orationem indicari aperta declarat Scriptura cũ dicit: *Dirigatur Domine oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo.* Et in Apocalypſi: *Et data ſunt illi incenſa multa quæ ſunt orationes Sanctorum.* Iam Myrrhæ competere ieiunium omnemque carnis caſtigationem ex ipſo Myrrhæ vſu liquet, quæ ad corrigendum humorẽ inhibendumq; carnis putorẽ valet. Quapropter ſponſa diuinitus edocta orationi mortificationẽ eſſe adiungendã, ſic loquitur, ſecum, *Vadam ad montẽ myrrhæ, & ad collem thuris.* Omnino hę tres ſpecies operum piorum in templo præferebantur, cum alij offerrent, alij ſacrificarent, alij canerent: ex quibus primum ad eleemoſynam, ſecũdum ad caſtigationẽ corporis, tertium ad precum diuinarumque laudum ſtudiũ pertinere videri poteſt. Atq; ea quæ generatim Chriſtiani omnes Chriſto offerunt, ratione quadam peculiari & propria perfectius religioſi

1. Paral. 29.
Tob. 12.
Eccleſ. 29.
Pſal. 140.
Apoc. 8.
Cant. 4.

religioſi dedicant. Aurum enim excellenter conferunt, cum paupertatis voto, omnium bonorum externorum facultate ſe abdicant propter Chriſti pauperiem conſectandam. Myrrham caſtitate atque continentia perpetua exprimunt, vt incorruptam vitam viuant, & Angelis ſimiles ſint. Thus vero nullum poteſt eſſe vel odoratius vel ſuauius obedientiæ ſacrificio, qua ſe totos mactant atque offerunt in odorem ſuauitatis. Quibus id tantum ſupereſt operæ, vt diuerſa via regrediātur in patriam, quemadmodum Magi diuinitus admoniti faciendum ſibi exiſtimarunt. Nam qui ex ſecularibus curis, & tumultu curiæ Herodianæ ad Chriſtum euaſerunt, non debent ij vel meditatione vel ſtudio rerum ſecularium iterum implicari, ſed libera & abſoluta cogitatione ac mente in cæleſtem patriam contendere, imitantes Paulum, qui ſemper priorum oblitus, in ea quæ ſupererant, nunquam intermiſſo conatu contendebat. Ita nos adhortatur Fulgentius facere hoc loco: *Nec teneamus, ait ille, viam veteris vitæ, ſed diuinis mandatis humiliter obſequentes viam mutemus, & in qua præcepit Dominus ambulemus, vt ad patriam peruenire valeamus, vbi ſine fine cum ipſo Domino gaudeamus. Ambulemus bene per fidem, vt perueniamus ad ſpeciem, vbi plenum erit gaudium noſtrum.*

Fulgent. in hom. de Epiphan.

DOMINICA INFRA OCTAVAS EPIPHANIAE.

Cum factus eſſet Ieſus annorum duodecim. Luc. 2.

Quia

QVia Saluator noſter humanam noſtram naturam, quam ſibi copulauit, non modo perditam & exciſam recuperare ſeruareque voluit, verum etiam deformatam, ornandam, atque illuſtrandam exiſtimauit, à primis exordijs vitæ humanæ, ætates ſingulas egit, vſque dum ad integerrimam perfectiſſimamque progrederetur. Itaq; & infantiam & pueritiam, & adoleſcentiam percucurrit: virilis ac ſolidæ ætatis annos eos ſumpſit, quos docendo hominum generi ac demum cruore diuino expiando, ſufficere putauit, in ipſo flore iuuentutis annum trigeſimum tertium agens, vti frequentior ac celebrior opinio tenet, mortalem vitam cùm immortali ac ſempiterna commutauit. Senectutem quidem atque ingraueſcentem ætatem non exiſtimauit attingendam, quòd corporum reſurgētium is ſtatus futurus eſſet, qui formam Chriſti corporis ſimilitudine iuuentutis exprimeret, quemadmodum, beatus Apoſtolus demōſtrat, cum ſcribit: *Donec occurramus omnes in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti.* Attamen ætates illas imperfectas pueritiæ, adoleſcentiæ non recuſauit, cum liceret ei ſi vellet, formam induere humanam ætate iam plena ac robuſta, propterea quod primus homo vigentibus membris conditus, ſuperbiæ, inobedientiæque vitio lapſus eſt, cuius vt morbo mederetur, oportuit ſecundùm hominem de cælo cæleſtem, humilitatis atque obedientiæ formam præbere, atque eo modo naſci, qui ad ſubiectionem maximè eſſet accommodatus. Quocirca Beda nos admonet in hunc modum: *Deſcribit Euangeliſta infantiam pueritiamque noſtri redemptoris, qua noſtræ particeps humanitatis dignatus eſt fieri, vt incarnationis eius humilitate ad memoriam reuocata, & ipſi contra omnium vulnera peccatorum medicamentum veræ humilitatis curemus exercere, pio ſemper animo recolentes*

1 Ob quam cauſam Deus pueritiæ ætatē ſuſceperit.

Epheſ 4.

Beda **in Lucam.**

lentes quantum nos pro diuino amore, quantum pro noſtra ſalute oporteat humiliari, qui terra ſumus & cinis, ſi tantum ſumma illa poteſtas pro nobis humiliari non reſpuit, vt ad ſuſcipienda noſtræ fragilitatis infirma deſcenderet. Bene prorſus hæc Beda. Exemplo enim non minus quam ſermone Chriſtus docendos homines cenſuit, decuplum ei rationi docendi per facta tempus, præ altera tribuens.

Quippe cum triginta totos annos paruerit, in ſilentio atque obedientia agens, tres tantummodo prædicando Euangelio impenderit. Quocirca vt nos proficere paulatim, virtutumque ac ſapientiæ gradibus aſcendere deberet doceret, ipſe etiam proficere ætate voluit, gratia etiam ac ſapientia videri. *Ieſus*, inquit, *proficiebat ætate & ſapientia & gratia apud Deum & homines.* Quod nihil eſt aliud, vti viri ſapientiſſimi ſentiunt. Gregorus Nazianzenus & Ioannes Damaſcenus, & D. Thomas, quam ea actionum ſuarum documenta dediſſe, quibus cum ætate etiam ſapientiæ & gratiæ acceſſio fieri videretur. Quod ſane Athanaſius paucis explicuit: *Augeſcente*, inquit, *magnitudine corporis, vna creſcebat in eo diuinitatis manifeſtatio, innoteſcebatque apud omnes ipſum eſſe templum Dei, Deumque in eius corpore exiſtere.* Ita enim temperabit ſummus ille Magiſter ſapientiæ ſuæ virtutumque opes, ita continebat apud ſe immenſos illos lucis diuinæ fulgores, vt pro vſu ac ratione rerum, paulatim exerceret quantum opus eſſe cenſebat. Faciunt aliquid ſimile pædagogi ac Magiſtri puerorum, qui initio literas ſigillatim pronuntiant, mox ſyllabas iungunt, tandem verſum integrum legunt, ita præeuntes pueris, vt pedetentim perfectè legere diſcant: qui ſi à principio expeditè vt norunt, paginam legerēt, nunquam diſcipulos legēdi compotes facerent. Quapropter Chriſtus nos vehementer admonuit, niſi paruuli efficeremur,

Luc. 2. Greg. Naz. orat. 20. & orat. 51. Damaſcen. lib. 3. de fide cap. 22. S. Tho. 3. p. q. 6. art. 12. ad 3. Athan. ſer. 4. contr. Arianos.

remur, regni cælorum participes eſſe non poſſe. *Niſi conuerſi fueritis*, inquit, *& efficiamini ſicut paruulus hic, non intrabitis in regnum cælorum.* Quæ verba pertractans beatus Leo dicit: *Amat Chriſtus infantiam, quam primum ſuſcepit & corpore & animo. Amat Chriſtus infantiam humilitatis magiſtram, innocentiæ regulam, manſuetudinis formam.* Sic ſe habet ratio naturaque ipſa rerum, ex alto celeriter ruimus: ex imo in altum, non niſi tardè & multo negotio euadimus. Adam præ ſuperbia, vno momento in barathrum horrendum corruit: humilitate ad ſummum ex infimo, graui ac diuturno labore nitendum. Atque hæc philoſophati quidem ſumus de pueritia Chriſti propter nos informandos acta. At Theologica ratio alioqui in promptu eſt, quod neceſſe eſſet Chriſtum ex hominum genere procedere, atq; hominis filium fieri, vt hominum delicta expiaret. Quare *non confunditur fratres eos vocare, qui nuſquam Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehẽdit.* Quod ſi ita eſſe hominum Redemptorem oportuit, vt homines haberet & fratres & parẽtes, quis non videt, gigni ac procreari ex fœmina neceſſe fuiſſe, atque adeo & naſci & nutriri, & adoleſcere ætatibus, vt homines cuncti ſolent?

Matth. 18. *Leo ſerm. 7. de Epiphan.* *Hebr. 2.*

Sed quanuis primam ac maximam vitæ partem ſilentio, humilitati obedientiæ, cõſecraſſet, tamen ne tam inopia ſcientiæ ac poteſtatis id contingere quã voluntate ac arbitratu eius, homines cogitarẽt, putauit ſibi Chriſtus, queẽadmodum Epiphanius & Cyrillus inſinuãt, in illa adhuc infirma teneraq; ætate argumentũ aliquod edendum ſapientiæ ſuæ, quo & illius tã longo tẽpore ſilentiũ ac ſummiſſionem amplius veneraremur, ac ſi quid eſſet in nobis eiuſmodi facultatis, tacere interdum atque alijs obtemperare minime grauaremur. Heliſæus ſane tantus Propheta puerum excitaturus, ſeipſum pue-

2 Signum ſapientiæ merito in pueritia datum à Chriſto. *Epiphan. in hæreſ. contra Ebionitas.* *Cyrill. li. 10. Theſau. c. 7.* *4. Reg. 4.*

rilibus

rilibus membris attemperauit, ac corpuſculo tantillo tantum eſt illud corpus admenſus. Pueritiam cum ageret filius Dei, quantus ibi lateret Deus, non nullo iudicio hodierno die conijci voluit. Itaque diuinæ legis quæſtiones magnas apud ſapientes peritiſſimosq; verſans, & interrogando & reſpondēdo eam ſapientiæ gloriam ac laudem tulit, vt ſummos magiſtros in admirationem & plauſum incredibilē verteret. Quid enim? ſi ex infinito Oceano riuulus quidam manare ac fluere permiſſus eſt? ſi tenuis radius de immenſo lumine emicuit? Nonne is eſt, in quo Paulus fatetur eſſe theſauros omnes ſcientiæ ac ſapientiæ abſconditos? Si Daniel cœleſti impulſus ſpiritu, ſenes, cum eſſet puer, & docere & iudicio ſuperare potuit. Si Ioſeph adoleſcentulus ſomnijs mirabilibus non ſolum fratres, ſed patrem ipſum ſenem Iacob admiratione perculit, quid Ieſus ipſa Dei ſapientia, vnici patris æterni gloria, non daret ſui nonnullum experimentum quo homines & ſapientem admirarentur, & puerum adamarent? Amat enim & ipſe non modo venerationi, ſed etiam amori ſe plurimum noſtro commendare.

Coloſſ. 2. *Dan.* 13. *Gen.* 37.

3 Cur Maria & Ioſeph ſemel tantum in anno templum adirent, vbi de religione & pudicitia.

Ibant parentes eius per omnes annos in Hieruſalem in die ſoleuni Paſchæ. Lex quidem Moſaica ter quotannis iubebat viros ad Dei oraculum proficiſci, vt Deum adoraret, ac pro ſe familiaque ſua precarentur. Tradunt vero legis interpretes eo præcepto obſtrictos non videri, qui regione valde diſtarent: fœminas autem omnes lege non teneri: ſed voluntate deuota piaque ſolitas templum ſacroſanctum adire, idque non crebro. Nam & Anna illa Samuelis mater ſemel per annum narratur in tabernaculum fœderis, quod erat in Silo, proficiſci ſolita, & Beata Maria Domini mater ſemel etiam tempore Paſchæ in templum Hieroſolymitanum teſte Luca ſe confert

Exod. 33. & 34. 2. *Paral.* 8. 1. *Reg.* 1.

fert. Erat apud priſcos Iudæos vnum oraculum ſingulare, neque fas erat alio loco offerre ac ſacrificare Deo, qui vt ait Pſalmus, *Aedificauit ſibi ſicut vnicornium ſanctificium in terra.* Namque vnitatem abſolutam Dei vno altari, vno templo ſignificanda: ac proinde qui duplex altare poneret, aut templa plura coleret, eum idololatriæ damnatum religio Iudaica ſecundum Moſis inſtituta cenſebat. At Euangelica luce toto terrarũ orbe diffuſa, religio Chriſtiana in omnibus vrbibus, vel etiam oppidis ac vicis templa Deo erigit, ſacrificium ſalutare immolat precibus ritè fundendis, Deoque vel adorando vel exorando ſacras ædes frequentat. Hac tanta religionis facultate & amplitudine non Deos plures, ſed vnius eiuſdemque immenſam magnitudinem ſcilicet teſtificamur, quæ vniuerſum impleat orbem terræ, neque locus ſit vſquam aliquis Dei numine vacuus. Quæ ſane res excellentiam Euangelicæ legis oſtendit; quæ vt Sol ipſe minutum aliquod aſtrum magnitudine ac ſplendore ſuperat, ſic Moſaycæ legis anguſtias ſua amplitudine & gloria antecellit. Neque obſcurè eam gloriam Malachias Propheta ſignificauit ex Dei perſona loquens: *Non eſt mihi voluntas in vobis, & munus non ſuſcipiam de manu veſtra, dicit Dominus Deus exercituum: ab ortu enim Solis vſque ad occaſum magnum eſt nomen meum in gentibus, & in omni loco ſacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum eſt nomen meum in gentibus.* Qua ex re perſpicimus? quanta ſit dignitas populi Chriſtiani: quam ampla Dei & larga indulgentia in nos, quibus licet paſſim diuina templa ingredi, ſacrorum conſpectu vſuque gaudere, quæ quanquam eſt omnibus Chriſtianis communis felicitas, tamen quodam ſuo iure gloriari vehemen ius regulares poſſunt, quibus ſit datum ſingulari mu-

Pſal.77.

Malach.1.

nere Deum in domicilijs ſuis habere ſemper contubernalem. Quid enim ad eam Dei familiaritatem comparari poteſt? aut quid amplius in ipſo cælo ac beatorum ſede requiri? Num Dauid ſecus vobis ſentire videtur, cum canit: *Beati qui habitant in domo tua Domine: in ſecula ſeculorum laudabunt te*. Quid cum cum is alio Pſalmo clamat: *Vnam petij à Domino hanc requiem, vt in habitem in domo Domini, & viſitem templum eius?* Iam quod Maria & Ioſeph ſemel ſcribuntur in templum ire ſoliti per annum, non crebrius: ſatis conſtat non religionis exiguitate accidiſſe, quorum ſtudia ſemper diuinis rebus erãt inflammata: ſed rei fortaſſe familiaris inopia cogebat victui paranda, non deeſſe: deinde Mariæ virginis ea erat verecundia ac modeſtia, vt in publicum ſe dare rarò admodũ in animũ induceret. Quocirca earum fœminarum conuerſationem atque frequentiam quæ religioſorum locorum pietatem obtendunt, paſſimque huc illuc feruntur ac diuagantur, neque ego probo neq; Hieronymus laudat, Ambroſij verba ſunt de Maria: *Diſcite virgines non circumcurſare per alienas ædes, non demorari in plateis, non aliquos in publico miſcere ſermones. Maria in Domo ſera: feſtina in publico*. Hieronymi ad Demetriadem epiſtola habet, vel cuiuſcunque autoris ea ſit, certè graui, & docti: *Superfluum arbitor te monere, quam parca in procedendo debeas eſſe, quam rara: cum te hoc etiam ſecularis ab infantia honeſtas docuerit, & facile intelligas id tibi multo magis in hac vita eſſe ſeruandum, quam maxime ſecretum decet. Illud admoneo vt ipſis quoque ſalutationibus, quæ tibi in cubiculo tuo exhibendæ ſunt: certiſſimum modum ponas: ne ſint nimiæ neq; quotidianæ*. Ergo ſecus agentes Apoſtolus vituperat, *Quæ diſcunt circuire domos, non ſolum otioſæ, ſed & verboſæ & curioſæ, loquentes quæ non oportet.* Salomon certe cum leuem ac procacem mulierem deſcri-

Pſal. 83.
Pſal. 26.
Ambroſ. in Luc. lib. 2.
1. Tim. 5.

deſcribit, illa duo verba prima ponit, & iungit. *Garrula, & vaga* quam garrientem facile videritis, quam libenter huc illuc vagantem, pudoris ac pudicitiæ non valde memorem fore, nolite dubitare. Eſt ille ſexus vitro ſimillimus. Vitreum calicem aut ampullam ſi in theca iuncea incluſam teneas, ſine vitio conſerues: ſin facile à theca nudatā multorum manibus iactari ſinas, quam ſit fragile vitrū, cito diſces. *Prou. 7.*

Remanſit puer Ieſus in Hieruſalem, & non cognouerunt parentes eius. Hoc mater conqueſta eſt, de ea re expoſtulauit cum filio, quod parētibus inſciis remanere placuiſſet. An eſſent impedimento futuri volenti diuina agere? At Chriſtus cum facto ipſo tum reſponſo ſeueriore declarauit, cum res diuinæ curandæ inſtant, eſſe carnis & ſanguinis obſequio morandum. Hieronymum audi Heliodoro vitæ ſanctioris canditato ſcribentem: *Per calcatum perge patrem, & ſiccis oculis ad vexillum crucis euola. Solum pietatis genus eſt in hac re eſſe crudelem.* Si diuinitus religionis deſiderio pulſaris adoleſcens, ſi virgo ſanctarum ſororum collegium meditaris, Chriſtiq; nuptias anteponis, ne carnē & ſanguinem in conſilium adhibe, ne parentes ne cognatos negotii arbitros ſume. Non enim ſapiunt quæ Dei ſunt. Viros ſpirituales conſule, Chriſti miniſtros adi, cum his actus tuos communica, ab his cōſilium cape, qui Deū te plus amare quam patrem & matrem & ſeculum docebunt. Qua promptitudine ſit cæleſti vocationi parendum, ex Paulo diſce: qui de ſe profitetur: *Cum placuit ei, qui me vocauit per gratiam ſuam, vt reuelaret filium ſuum in me & euangezarem illum in gentibus, continuo non acquieui carni & ſanguini*. Vides omnia vincula humana Dei gladio ſecta atque diſciſſa? Quanti eam animi magnitudinem Deus faciat, quibus laudibus ornet animū om-

4 Humana præ diuinis contemnenda.

Hieronym. epiſt. 1.

Galat. 1.

nes neceſſitudines pro eo vno aſpernantem, Scri-
Deut. 33. ptura magnificis verbis declarat: *Qui dixit patri ſuo & matri ſuæ. Neſcio vos: & fratribus ſuis, ignoro illos & neſcierunt filios ſuos: Hi cuſtodierunt eloquium tuum, & pactum tuum ſeruauerunt, iudicia tua ô Iacob & legem tuam ô Iſrael ponent thimiama in furore tuo, & holocauſtum ſuper altare tuum. Benedic Domine fortitudi-dini, & opera manuum illius ſuſcipe.* Eam à ſeculo abdicationem, quam Dionyſius Areopagita capillorum detõſione deſignare monachos ex veteri Apoſtolicoque inſtituto ſcribit, adeo exactam, vt fratres, parentes, filios, ignoret, negligat, ac deſpiciat, tot cumulatam diuinis fructibus & laudibus cernimus, vt tales eſſe legis diuinæ cuſtodes, irati nominis placatores, victimæ ſacræ antiſtites, ſcriptura prædicet: horum robur & fortitudinem Deo eſſe charam atque iucundam, actus resque illorum omnes ſecundas fortunatasque fore. *Si enim ſeparaueris pretioſum à vili, quaſi os meum erit*, ait ipſe Dominus: tanquam honeſtiſſima ac pulcherrima portio exiſtat in Chriſto, qui facies Dei atq; os appellari meruit. Eam huius Chriſti documenti vtilitatem etiam Gregorius Nyſſenus hunc locum Euãgelij tractans oſtendit his verbis: *Hinc autem poſſumus vtilitatem conſequi. Dum enim Mariam increpat Dominus quærentem ipſum inter propinquos, omiſſionem vinculorum ſanguinis apertiſſime ſuggerit, oſtendens quod non contingit metam perfectionis attingere eum, qui adhuc vagatur in his quæ corpori conferunt, & quod homo deficit à perfectione per affectum cognatorum.* Qua de re late Baſilius diſſerit in ſuis monaſticis inſtitutionibus.

Dionyſ. de Eccleſ. hier. c. 6. par. 3.

Hierem. 15.

Greg. Nyſſ. in catena S. Thomæ,

Exiſtimantes autem illum eſſe in comitatu, venerunt iter diei, & requirebant eum inter cognatos & notos. Quæ cauſa fuerit, quare iter diei puerum Ieſum abeſſe non deprehenderint parentes non ſatis liquet,

5 Ingens dolor & luctus Mariæ

Sed

Sed quæcunque extiterit, ſiue alio comitatū fœminæ, alio viri ingrederentur, pueri promiſcuè irent, quod Beda confirmat, ſiue ſequi aut antecedere puerum parētes putarint ea ratione qua alij ſcriptores opinanrur, illud in aperto eſt, & culpa Mariam Ioſephumque vacaſſe, & dolorem cepiſſe eũm, quo maiorem antea eſſent experti nunquam. Qualis is dolor fuerit Virginis matris filio dulciſſimo quæſito neque inuento, Titus autor antiquus & grauis his verbis demonſtrat: *Sed nunquid obſecro quærebant eum tanquam qui periiſſet, aut ab itinere vt pueri ſolent, aberraſſet? Abſit. Neque enim ſapientiſſimæ Virgini matri, cui plurima iam antea de eius diuinitate patefacta compertaque erant, tale quippiam in mentem venire potuit. Sed neque ipſi etiam Ioſepho. Quærebant autem illum perinde ac ſi quis Scripturam vel abditam Scripturæ cuiuſpiam ſententiam quærat. Cōſtat enim anxiè quærere non vt errantem: ſed vt abditam ſibi. Ad eum modum illi quærebant Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Soliciti enim erant, ne forſan ab eis diſceſſiſſet, ipſoſque deſeruiſſet.* Hæc S. Titus Boſtienſis, nō minus doctè quam piè. Sequutus non ſententiam modo, ſed verba pene Ogenis ponens. Libet igitur de B Virgine quærere, quis ille doloris intimi mucro fuerit, quæ caſta ac religioſa piæ matris viſcera peruaſerit, cum primũ abeſſe dulciſſimum Ieſum vidit, neque vbi ageret ille cognouit: Quo luctu quibus lachrymis, qua mentis conſternatione & mœrore opes ſuas omnes, ac lumen, ac decus ſuum, quæritare cœpit? Ac cognatos, amicoſque cum conueniret, quā anxia, quā afflicta dicebat? *Num quem diligit anima mea vidiſtis?* Cum vero veſtigium reperiet nullum, neque inueniendi ſpes eſſet magna, quo gemitu, quam flebili voce deplorat & lamentatur: *Puer non comparet, & ego quo ibo?* Si enim fratrem Ioſeph ſibi ereptum ita deflebat Rube, quid ſentiret ſuauiſſima mater vnicum

Margin notes: ex filij abſentia. — *Titus in expoſ. Euang.* — *Cant. 3.* — *Gen. 37.*

nicum ſibi filium eundemq; Dei vnicum filiũ ſublatum videns? Nã etſi Deum eſſe non dubitabat, neque puerorũ cæterorum incommoda per ignorantiam accepturum verebatur, tamẽ qua erat humilitate prædita, illa animum mentemq; ſubierat cogitatio, ne ſe immeritã tanto bono æternus Pater priuare fortaſſe vellet. Itaq; anxia & gemebũda clamaſſe mihi videtur ad Deũ. *Ego plorans & oculus meus deducens aquas, quia longe factus eſt à me cõſolator cõuertens animã meam, Factus eſt perditus filius meus. Vide Domine quoniam tribulor, conturbatus eſt venter meus: ſubuerſum eſt cor meum in memetipſa, quoniã amaritudine plena ſum.*

Thren.1.

Iam quia apud neceſſarios & propinquos minime inueniebat, Hieroſymam reuerti conſilium fuit, quod totum iter, quo illa virgo vultu, qua doloris ſignificatione confecit, quis ſatis cogitatione aſſequi queat? Aiebat ipſa ſecum. *Quæſiui quem diligit anima mea. quæſiui illum & non inueni. Surgam & circuibo ciuitatem: per vicos & plateas quæram quem diligit anima mea.* Et cum ab obuijs forte rogaretur, quid eſſet? quonam dilectus abijſſet? quanto cum dolore referebat? *Quæſiui illum & non inueni.* Denique in ipſum mente ac cogitatione Ieſum cõuerſa, quem vtpote Dei filium, doloris ſui minimè ignarum intelligebat, vt ſe tandem oſtenderet, poſtulabat, votiſque ſummis inclamabat: *Reuertere ſimilis eſto dilecte mi capræ hinnuloque ceruorum.* Se ceruam amore ac dolore ſauciam, non alium fontem petere, nullas gratiores aquas requirere, quam vt matri amantiſſimæ filius ſe dulciſſimus ſiſteret,

Cant.3.

Cant.2.

6 Gaudiũ beatæ Virginis de inuento Ieſu *Pſal 93.*

Sed huic tanto tamque cruento vulneri non impar medecina ſubuenit: ſucceſſit dolori incredibili gaudium eximium & ſingulare. *Secundum multitudinem dolorum meorum*, ait, *conſolationes tuæ lætificauerunt animam meam.* Reperit puerum Ieſum, neque reperit modo

modo, ſed plenum dignitatis reperit, gloria præſtantem, conſeſſu ſapientum decoratum, omnium vocibus celebratum, maieſtatis ac ſapientiæ laude tanta, vt ſapientiſſimos ſenes ac diuinarum legum diſquiſitores acerrimos reſponſis ſuis in admiratione ac ſtuporem verterit. Quæ eo ex aſpectu lætitia matris? quanta de filij gloria exultatio? ſi enim filius ſapiens eſt gaudium eſt matris, quale quantũque gaudium tali matri ex tãto filio tanta laude ſapientiæ? Itaq; cum finis eſſet factus diſputationis, & ad parentes reuerſus puer, complexus illos atq; oſcula ſuauiſſima matris. & præ gaudio manantes lachrymas, melius vos cogitare poteritis quam ego dicere. Illud mihi ſanctiſsimam Virginem dicentem atque identidem repetentem audire videor: *Inuenit quem diligit anima mea: tenui eum, nec dimittam,* Quo facto vniuerſo Chriſtus non ſolum matrem optimã exercuit, ſed omnes etiam fideles docuit, Deum interdum à ſuis abeſſe ſolere, nulla culpa ipſorũ, nullo vitio: probandæ fidei atq; excitandæ gratia, tum vt pati triſtitiam conſueſcant, & læta gratius ac tutius redeant. Itaq; debent quod Paulus monet. ſiue abſentes, ſiue præſentes contendere Deo placere: ne non tam Deum, quam ſe amare videantur. Omnino poſt tempeſtatem eſt iucundior multo tranquillitas: & nocti obſcuræ dies ſuccedit hilarior. Quod ſi in medio doctorum diſputantem Ieſum videre tantæ gloriæ fuit. quid erit cum in throno celſiſsimo agnus ille aſpicietur, ſenatoribus cœli ampliſſimis coronas ante pedes eius iacentibus, & laudes illius ſapientiæ & maieſtati ſempiternas ſummo conſenſu celebrantibus? Quid Angelorum infinitam multitudinem audire concinentem? *Sedenti in throno & agno, benedictio, & honor, & gloria, & poteſtas in ſecula ſeculorum?* Id nobis tribuat Ieſus Mariæ filius, Deus ex Deo ſempiterno. Amen.

Prou. 10.

Cant. 3.

2. Cor. 5.

Apoc. 5.

IN EADEM DOMINICA CONCIO SECVNDA.

De educatione liberorum.

Et erat ſubditus illis. Luc. 2.

1 Chriſti actus perfectæ virtutis eſſe formam.

CHRISTVS Ieſus Dominus noſtri non fuit modo autor & doctor fidei ſinceriſſimæ atque veriſſimæ, ſed etiam morum honeſtiſſimorum inſtitutor. Idque officium amplius ac luculentius vitæ integerrimæ actibus præſtitit, quam tradendis idoneis præceptis, tametſi hac quoque parte vehementer incubuit. Quare cum docendi munus trigeſimo tandem anno ineundum ſibi ſeruaſſet, agendi atque alijs vitæ inſtituto prælucendi, ab ipſis ſtatim ætatis exordijs curam operãque ſuſcepit. *Cœpit*, inquit, *facere & docere*. Et apud Prophetam quendam: *Ducem ac præceptorem dedi eum.* Dux viæ non eſt is, qui docet modo qua ſit eundum niſi ipſe ingrediatur ac præeat. Vt enim magnus Athanaſius tradit, *Quod facit, idipſum & vtile eſt hominibus & aliter fieri non decuit. Porro quod vtile & decorum eſt, id prouidentia ſua inſtruit Deus. Venit igitur, non vt ſibi miniſtraretur, ſed vt ipſe miniſtraret, noſtramque ſalutem operaretur*. Et idem copioſius alio loco: *Cæleſtem*: inquit, *& probatiſſimam viuendi rationem nobis oſtendere volens, eam in ſeipſo expreſſã exhibuit: Ideoq; non ſolũ docuit, ſed & fecit, vt & ipſũ audiremus loquentẽ, eumque veluti imaginem formamque intuentes, faciendi*

Actor: 1.
Eſai. 55.

Athan. ſer. 3. contra Arianos.

Athanaſius de interpretatione pſalmorum.

exemplum

exemplum mutuaremur, dum audimus ex eo. Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde. Neque eſt vt quiſquam inueniat perfectiorem virtutis diſciplinã, quam eam, quam Dominus exhibuit in ſemetipſo, vt nullum ei exemplar ad virtutem deſit, qui in humanam Domini vitam oculos intendat. Ideo Paulus dicebat: Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti. Hæc Athanaſius.

Cæterum quoniam ſenectutis ea certiſſima ratio eſt, quam quiſque ab adoleſcentia tenuerit, cum Salomon ita pronuntiet, *Adoleſcens iuxta viam ſuam, etiam cum ſenuerit non recedet ab ea*, non putauit Dominus ſenectutem ſuo eſſe peculiari exemplo inſtituendam atque erudiendam: ſed ſufficere ad vitæ vniuerſæ curſum rectè peragendum ſtatuit, fundamenta ieciſſe ineuntis ætatis, caſtè ac religiosè actæ. Itaque quod ſummi eſſet præſidij & fructus ad vitam omnem, pueritiæ atque adoleſcentiæ rectiſſmam moderandam, dignatus eſt & ipſe puerilem ſuſcipere agereque perſonam, & educatione ſua educandorum liberorum parentibus formam præſcribere eximiam. Ergo inſpicienda eſt nobis accuratè & explicanda Chriſti pueritia atque adoleſcentia: quæ communis eſt vitæ perfecta & abſoluta quædam ſpecies. De qua quidem quo pauciora reperimus tradita diuinis literis, eo magis idonea atque opportuna ad docendum exiſtimare debemus. Ac mihi attentius ea de recogitanti quatuor eius vitæ quam Chriſtus velut priuatam egit, documenta veniunt in mentem, ad quæ puto equidem (& rectè puto) tanquam capita pertinere pueritiæ atque adoleſcentiæ omnem inſtitutionem. Prima eſt temperantia, ſecunda taciturnitas vel linguæ potius moderatio, tertia obedientia & pietas in maiores, quarta religio in Deum. Quibus quidem virtutibus qui probe ſubiectam ſibi iuuentutem inſtruxerit munitam eam vallatamque omni ex parte ſine dubio reddet.

Prouerb. 22.

2 Quæ virtutes in pueritia Christi præluxerunt.

Qua temperantia & ſobrietate Chriſtus à teneris annis ſit vſus, declarabat abunde quod pauperem & laboribus exercitatam vitam elegerit. Id Pſalmus prædicit: *Pauper ſum ego & in laboribus à iuuente mea:* Id Euangelia prædicant: *Et dicebant, Nonne hic eſt faber, & fabri filius?* non modo fabri filius, quod ad humilitatem pertinebat, ſed etiam faber re & opera extitit, vt durum ac frugale genus vitæ tenuiſſe conſtet. Nam qui natus, pannis eſt vilibus obuolutus, præſepi impoſitus, dura hyeme? tugurio ſemiruto tectus, qui victum denique manu parabat, quales ei delitias fuiſſe exiſtimamus? quæ cupediæ, quæ potuit eſſe indulgẽtior cibi potuſq; ratio? Baſilium audi de Chriſti laboribus diſſerentem. *Ab ipſa,* inquit, *primæua ætate Chriſtus parentibus obediens, quemlibet laborem corporeum humiliter & reuerenter ſuſtinuit. Cum enim homines eſſent honeſti & iuſti, & egeni tamen, neceſſariorum penuriam patientes, teſte præſepi partus venerandi miniſtro, manifeſtum eſt, quod ſudores corporeos frequentabant continuo, neceſſaria vitæ ſibi quærentes. Ieſus autem obediens illi, vt ſcriptura teſtatur, etiam in ſuſtinendo labores ſubiectionem plenariam exhibebat.* Ita quidem Baſilius. De ſilentio & taciturnitate Chriſti dicere quid attinet, cum per totos triginta annos verbum illius verbi æterni legamus nullum, niſi quod hodie doctores interrogat, ipſe ſapienter reſpondebat, matrem de Patris obſequio ſibi expetendo admonebat. Quam pauca, quam ea præclara & illuſtria puer Ieſus verba fecit? Hic opportunè admodum Beda philoſophatur: *Quaſi fons ſapientiæ,* inquit, *doctorum medius ſedet, ſed quaſi exemplar humilitatis audire prius & interrogare doctores, quam inſtruere quærit indoctos. Ne etenim paruuli à ſenioribus erubeſcant diſcere, & ipſe ob ætatis humanæ congruentiam hominibus obauſcultare non erubeſcit Deus. Ne infirmus docere quis audeat, & ille puer doceri interrogando*

Pſalm 87.
Marc. 6.
Baſilius in Reg. Et in conſtit. monaſt. c. 5.
Beda in Expoſit. Euang.

gando voluit, qui per diuinitatis potentiam verbum ſcientiæ ipſis ſuis doctoribus miniſtrauit. Eadem quæ Beda, & Gregor. tradit in Ezechielem ſcribens. *Quia iuxta ætatem*, inquit, *adoleſcentiæ doctrinæ ſermo non ſuppetit. & ipſe Dominus non docens, ſed interrogans inueniri in templo voluit.* Iam obedientiam Chriſti perpetuam obſeruantiamque parentum mirabilem, nos obſcurare neceſſe eſt, ſi breuiſſima atque abſolutiſſima Euangeliſtæ oratione amplius requiramus. *Erat ſubditus illis.* Quis quæſo? quibus? quouſque? Deus, hominibus, vſque ad annum triceſimum. Quis ad hęc non obſtupeſcat, cum ſtupidum prorſus exiſtimemus neceſſe eſt. *Greg. hom. 1. in Ezech.*

Rectè Origenes his verbis Euangelicis illa adiungit ſua. *Diſcamus filij ſubiecti eſſe parentibus noſtris, maior enim minori ſubijcitur. Nam quia maiorem Ioſeph videbat ætate, & propterea eum parentis honore coluit: omnibus filijs exemplum tribuens, vt ſubijciantur parentibus. Quod ſi patres eis non fuerint, ſubijciantur his qui patrum ætatem habent. Quid loquor de parentibus & filijs? ſi Ieſus filius Dei ſubijcitur Ioſeph & Mariæ, ego non ſubijciar Epiſcopo, qui mihi à Deo ordinatus eſt pater? Non ſubijciar præsbytero qui mihi Domini voluntate præpoſitus eſt?* Valde hæc bene Origenes. Poſtrema erat virtus, quæ dignitate ac loco prima eſt, religio pietaſque in Deum. Hanc Chriſtus eo actu oſtendit, quem vnum ex tanto annorum interuallo ſcribi voluit, quod quotannis duceretur in ttemplum à parentibus, eoque prætextu de diuinis legibus diſſerendi aliquando occaſionem arripuit: quam rem ita ſibi eſſe cordi demonſtrauit, vt parentes argueret, quod abſentem inter cognatos quæſiſſent, ac non in templo quam primum inueniendum ſibi perſuaſiſſent. Quę Chriſti plena grauitatis oratio, perſpicuum facit nunquã cum à Dei patris cultu & religione ceſſaſſe, neque *Origen. ho. 20. in Luc.*

priuatam

priuatam vitæ rationem ab ea cura & cogitatione vllis vnquam impedimentis auocaſſe. Namque (vti ſcripſit Epiphanius) *Ab ipſa pueritia & templum agnouit & Patrem*, quod hodierno facto teſtatum voluit.

Epiphan. contra Hæbionitarum hæreſim.

3 Quantopere referat pueritiam bene inſtituere.

Quoniam de Chriſti pueri virtutibus dictum eſt, deinceps qua ratione pueritia ſit earum ſtudio & imitatione imbuenda, dicendum eſt. Sed antequam ad hæc venio, operæ pretium arbitror me facturū, ſi quanti referat ad publicum priuatumque bonum, pueritiam accurate recteque inſtituere, non ſolum ex noſtris, ſed etiam ex autoribus externis oſtendero. Summi quidem inter Philoſophos habentur Plato atque Ariſtoteles, neque immerito: nemo enim vel ſubtilius diſſeruit, vel copioſius de natura, de moribus, de Republica. Hi igitur in hac re conſentiunt valde, nihil ad ciuitatis ſiue Reipublicæ ſtatum optime conſtituendum perinde valere, ac iuuentutis teneriorisque ætatis præclaram inſtitutionem: quam proinde non priuatis tamen parentum ſtudijs relinquendam cenſent: ſed communi & publica magiſtratum etiam cura diligentiaque adiuuandam. At Socrates ſane apud Platonē multa magna bona vna educatione proba cõtineri confirmat, additque educatione bona ſeruata ingenia quoque effici bona. *Etenim Reſpublica*, inquit, *ſi ſemel ceperit benè, progredietur tanquam circulus ſemper augeſcens.* Vt enim qui filium conglomerant, non poſſunt orbiculos bene rotundos formare, niſi initia probe rotunda ſint, ſic de ætatibus inſtituendis fieri Plato cenſet: vt circulus augeatur conuenienter. Ariſtoteles vero dubitatione omni carere dicit, maximam legiſlatoris curam eſſe debere circa iuuentutis diſciplinam, qua neglecta plurimum Reipublicæ detrimentum dari. Atque *oportet*, inquit, *huius curam eſſe publicam & non priuatam : quemadmodum nunc*

Plato. lib. 3. dialog. 4. de Rep. ſiue de iuſto.

Ariſt. 8 lib. Pol. c. 1.

nunc quidem vnuſquiſque curam habet ſuorum filiorum, priuatimque docet, & priuatam diſciplinam prout ei videtur. Quo in genere laudandos cenſet Lacedæmonios, quod plurimam pueris educandis ex recta diſciplina curam adhibeant eamque publicam. Neque Lacedæmonios ſolum iuuentutis ac pueritiæ inſtitutionem accuratiſſimam publicè ſuſcepiſſe, ſed Perſas etiam in id vehementius incubuiſſe conſtat, ſiquidem vera ſunt, quæ illuſtris hiſtoricus perituſque Philoſophus Xenophon tradit in ijs libris, quos de Cyri inſtitutione conſcripſit. Nam Plutarchi volumen de recta educatione liberorum notius eſt, quam vt à nobis ſit indicandum. Neque externorum vero ea eſt propria laus neque noſtrorum inferior aut remiſſior de iuuentute bene inſtituenda non oratio modo, ſed etiam exercitatio & effectio, cum legamus non paucorum Conciliorum decretis ſanctionibuſque inductum in Eccleſia, vt pueris erudiendis ac bene educandis collegia, ac contubernia publica conderentur, tum viri ſapientes & graues ijs docendis præficerentur, ac publico Eccleſiarum ſumptu alerentur. Quæ tanquam Chriſtianæ Eccleſiaſticæquè Reipubl. ſeminaria ſummopere cum veterum Patrum ſententijs, tum nouiſſimi Tridentini Concilij grauiſſimis inſtitutis, commendata, confirmataque videmus. Sed ſiue publica Magiſtratus cura, ſiue priuata parentum opera iuuentus inſtituatur, certe bene inſtitui, omnino placitum refert. Idq; & lex Moyſis docet, quæ pueros improbos ac contumaces à parentibus deferri, ac magiſtratibus puniendos tradi præcipit. Abraham autem valde ſcriptura laudat, quod familiæ ſuæ de Deo rectè colendo præciperet diligenter: contra Heli Pontificem negligentiæ eius rei non ſolũ arguit, ſed graues etiam pœnas dediſſe narrat. Sapientis demũ preceptũ eſt: *Fili tibi ſunt? erudi illos, & curua*

Xenoph. l. 1. de Cyropædia.

Conc. Trid. ſeſſ. 23. c. 18.

Deut. 21.

Geneſ. 18.

1. Reg. 2. 3. 4

curua

Eccleſ.7. *curua illos à pueritia illorum*, & alio loco: *Doce filium tuum & operare in illo, ne in turpitudinem illius offendas.*

Eccleſ.30. *Curua ceruicem eius in iuuentute; & tum de latere eius dum infans eſt: ne forte induret, & non credat tibi, &*

Epheſ.6. *erit tibi dolor animæ.* His conſentanea Apoſtolus præcipit, nimirum liberos in diſciplina & timore

Matth.19. Dei educandos. Neque aliud ſenſiſſe ipſa ſeruator noſter debet exiſtimari, cum paruulos iuberet, ad ſe venire, diſcipuli ſinerent. Atque eſt grauis ſanè diuinæ iracundiæ ſignificatio in eos, qui liberos à ſeruitute Dei vel prauis exemplis vel conſilijs improbis auocant: quippe cum prophetæ cuiuſdam

Amos 2. verbis adhunc modum Dominus quæratur: *Suſcitauit de filijs veſtris in prophetas, & de iuuenibus veſtris Nazareos: nunquid non ita eſt filij Iſrael? dicit Dominus. Et propinabitis Nazaræis vinum, & prophetis mandabitis, dicentes, Ne prophetis. Ecce ego ſtridebo ſubter vos, ſicut ſtridet plauſtrum onuſtum fœno.* Quibus verbis & magnum beneficium commemorat, quo in præſides paſtoreſque Eccleſiæ magiſtroſque ſapientes legit Chriſtianam iuuentutem, & parentum maiorumque fraudes arguit, quod à vitæ Sanctioris inſtitutis, à clericatu, à monaſtica profeſſione reuocant quos maximè iuuare deberent: & vero ſe ſub ea ſcelerum mole veluti oppreſſum non poſſe non grauiſſimè ingemiſcere aduerſus ingratos & impios religionis aſpernatores.

4 Pueritiam tẽperanter educãdam. Quæ planè cum vniuerſe de cura rectè educandi liberos dicta ſint, ad ſpecies educationis & familiaria magis præcepta veniendum eſt. Quod ſi illa quatuor quæ anteà propoſui bene teneantur, ſatisfactum abunde arbitror pueritiæ rectè inſtituendæ. Temperantiam primum eſſe ſeruandam cenſeo, nec pueri nimis delicatè, nimis indulgenter nutriantur, neve ingluuiem ac voracitatem à teneris diſcant. Neque enim exiguum id malum

lum putandum, neque quod imperitæ matres faciunt, libidini puerorum facile obſequendum. Nam & corpus habitudini plurimum nocet, & animi mores ſolutos & procaces parit. Quare Ariſtoteles durioribus aſſuefaciendos pueros cenſet, *Ad cuncta*, inquit, *ad quæ poſsibile eſt, melius eſt, ſtatim ab initio aſſueſcere*. Neque Plato diſſentit, qui cupedias & mellita non iis paſſim offerenda affirmat. Qua de cauſa Lacedæmoniorum auſteritas ac cibi parcitas vehementer laudatur, neque Perſarum, vti Xenophon tradit, diſciplina mollior, ex qua iuuentus prodibat ad bella robuſta, vitiorum expers multorum atque magnorum, quæ aſſidua eſitatione eaque illecebroſa adgenerantur. De parca & frugali viuendi ratione ſcribit Clemens Alexandrinus in Pædagogo ad hunc modum: *Hominibus autem ſæpenumero damnum & moleſtiam procreauit voluptas. Graues autem affectiones & obliuionem, & inſipientiam in animæ parit nimia alimenti copia. Iam vero dicunt etiam puerorum corpora rectè creſcere in longitudinem, ſi non abundet nutrimentum.*

Ariſt. 7. Polit. c. 17.
Plato.
Xenophon. 1. lib. de Cyro pæd.
Clem. Alex. in pædagogo, lib. 2. cap. 1. ad finem.

Neque enim prohibetur ſpiritus vitalis recurrens ad incrementum. Recitat quoque Clemens Platonis ſententiam dānantis vitā gulæ & Veneri deditā: *Ex talibus*, inquit Plato, *nullus homo ſub cælo potens eſſe prudens, ſi hæc à iuuentute exercet*. Hæc Clemētis Alexādrini, hęc etiam Platonis ſententia eſt, & animo & corpori officere nimiam eſcam, quod Salomon etiam confirmat. *Qui delicate*, ait Salomon, *à pueritia nutrit ſeruum ſuum, poſteà ſentiet illum contumacem*. Nam illorum Heli filiorum corruptiſſimos mores, ob quos & ipſi & parens & vniuerſus Iſraeliticus populus miſerrimè tandem concidit, cum ſcriptura ſacra deſcribit, in gluuiem maxime memorat, qua in ipſa ſacrificia, importune quoque graſſabantur, tum flagitioſam in fœminas pro foribus taberbaculi

Prou. 29.
1. Reg. 2.

naculi ſancti excubantes libidinem adiungit, tanquam idoneam appendicem, propterea quod cognata ſane vitia ſunt luxuria, edacitas, & veneris turpitudo. Ergo mores integri à teneris induendi, mediocritate victus pueritia ad continentiam virtutemque regenda: exercenda pro modo ſuò laboribus honeſtis. Ita Nicolaum, ita Baſilium, ita inter antiquos Samuelem, Danielem, tres illos nobiliſſimos pueros nutritos accipimus: quorum eſt omnium immortalis ac præſtantiſſima gloria.

5 Loqui impudica aut mendacia pueri nullo modo permittendi.

Linguæ moderationem ſecundo loco ponebamus: quam indocti ac vulgares homines pro nihilo habent, vel potius libertatem acumenque dicendi res turpes atque improbas in pueris & admirantur & plaudunt. At rerum vſu præſtantes ſapientiaque inſignes nullos magis ſcopulos timent pueris, nullam voraginem perinde cauendam ſentiunt, atque turpitudinis cuiuſque obſcæniqúe ſermonis licentiam. Philoſophus planè ea de re ſic traditum literis reliquit: *Omnino obſcænitas verborum per legiſlatorem exterminanda eſt de ciuitate. Ex turpiter enim loquendi licentia, ſequitur & turpiter facere. Potiſſimum igitur à pueris neque audiant neq; dicãt quicquam turpe. Si quis deprehenſus fuerit cõtra facere, verberibus caſtigetur. Sed aſpicere aut picturas aut actus deformes prohibemus. Sit igitur cura magiſtratibus nullam eſſe neque picturam neque ſtatuam talium rerum imitatricem*, & poſt pauca: *Omniũ prima nos magis delectat. Quapropter oportet à pueris omnia turpia procul remouere, maximè quæ habent in ſe vel obſcænitatem vel improbitatem.* Hæc Ariſtoteles prorſus philoſophicè atque ſapienter. Nam vt poeta ille dixit. *Quo primum eſt imbuta recens ſeruabit odorem, Teſta diu.* Itaque ſe idem poeta gloriatur pudicè à parente inſtitutum, ipſum pædagogi officio functum. *Quid multa? pudicum: Qui primus virtutis honos, ſeruauit ab omni, Non ſolum facto, verum opprobrio quoq; turpi.*

Ariſt. 7. Pol. c. 17.

Horatius.

turpi. Ergo pudor ſummopere conſeruandus eſt puerorū. qui teſte Ambroſio perpetuus eſt comes virtutis. Pudicitiam qui dictis non ſeruet, eum factis impudicum fore nullo modo dubitandum, Actionis vmbra exiſtit oratio, vt Democritus dixit: quod Plutarchus hoc loco commemorat. Hieronymi præceptum eſt, cum inſtituit Lætæ filiam paruulam. *Nihil aliud diſcat audire, nihil loqui, niſi quod ad timorem Dei pertineat. Turpia verba non intelligat, cantica mundi ignoret, Procul ſit ætas laſciua puerorum. Ipſæ pediſequæ & puellæ à ſecularibus conſortijs arceantur.* Quod Hieronymus de ſolatio vitando laſciuo monet, id Ariſtoteles commendat etiam ne ſit ſeruile & improbum: quod facillime ſimiles mores pueri imbuant: quod vero cantica profana vetat, Platonis eſt probata ſententia, hymnos ſacros pueris canendos, nullo modo inimicos & impuros, Sicut autem turpia verba permitti minime debent, ſic mendacijs aſſuefieri nequaquam ſinendi pueri. Plutarchi placet recitare teſtimonium. *Præter hæc omnia, inquit, quod ſanctiſſimum, pueri vera proferri conſueſcant, Mentiri enim ſeruile eſt vitium, à cunctis mortalibus odio inſectandum, nec quod apud mediocres etiam ſeruos veniā promereatur.* In eo vitio ſi quando deprehenderentur, Perſarum pueri egregie vapulabant, Iurare præterea prohibendi ſunt, quod eſt procliue, ne conſuetudine peierent. Vix enim extingui poteſt deprauata cōſuetudo iurandi ſi à pueritia inoleuerit. Iam quæ ad modeſtiam & vrbanitatem pertinent, ad rectam pronuntiationem, ad purum caſtigatumque ſermonem, etſi contemnenda ea cura non eſt, tamen non eſt nobis modo magnopere laborandum: qui non modo nobiles ſed Chriſtianos omnes alloquimur.

Ambroſ.

Plutarc. lib. de educat. liberorum.

Hierony. in epiſt. ad Lætam.

Ariſt. 7. Polit. c. 17.

Plat in dialog. 3 de Repub. vel de iuſto, lib. 3.

Plutarch. de educat. liberorum.

Herodot. in Clio.

Hieronymus ad Lætam.

Sequitur pietas & obſeruantia in parentes atque maiores, quam partem qui negligunt excolere pue- 6 Obſeruantia in

IN EADEM DOMINICA CONCIO SECVNDA.

De educatione liberorum.

Et erat ſubditus illis. Luc. 2.

1 Chriſti actus perfectæ virtutis eſſe formam.

CHRISTVS Ieſus Dominus noſtri non fuit modo autor & doctor fidei ſinceriſſimæ atque veriſſimæ, ſed etiam morum honeſtiſſimorum inſtitutor. Idque officium amplius ac luculentius vitæ integerrimæ actibus præſtitit, quam tradendis idoneis præceptis, tametſi hac quoque parte vehementer incubuit. Quare cum docendi munus trigeſimo tandem anno ineundum ſibi ſeruaſſet, agendi atque alijs vitæ inſtituto prælucendi, ab ipſis ſtatim ætatis exordijs curam operāque ſuſcepit. *Cœpit,* inquit, *facere & docere.* Et apud Prophetam quendam: *Ducem ac præceptorem dedi eum.* Dux viæ non eſt is, qui docet modo qua ſit eundum niſi ipſe ingrediatur ac præeat. Vt enim magnus Athanaſius tradit, *Quod facit, idipſum & vtile eſt hominibus & aliter fieri non decuit. Porro quod vtile & decorum eſt, id prouidentia ſua inſtruit Deus. Venit igitur, non vt ſibi miniſtraretur, ſed vt ipſe miniſtraret, noſtramque ſalutem operaretur.* Et idem copioſius alio loco: *Cæleſtem:* inquit, *& probatiſſimam viuendi rationem nobis oſtendere volens, eam in ſeipſo expreſſā exhibuit: Ideoq; non ſolū docuit, ſed & fecit, vt & ipſū audiremus loquentē, eumque veluti imaginem formamque intuentes, faciendi exemplum*

Actor: 1.
Eſai. 55.

Athan. ſer. 3. contra Arianos.

Athanaſius de interpretatione pſalmorum.

exemplum mutuaremur, dum audimus ex eo. Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde. Neque eſt vt quiſquam inueniat perfectiorem virtutis diſciplinā, quam eam, quam Dominus exhibuit in ſemetipſo, vt nullum ei exemplar ad virtutem deſit, qui in humanam Domini vitam oculos intendat. Ideo Paulus dicebat: Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti. Hæc Athanaſius.

Cæterum quoniam ſenectutis ea certiſſima ratio eſt, quam quiſque ab adoleſcentia tenuerit, cum Salomon ita pronuntiet, *Adoleſcens iuxta viam ſuam, etiam cum ſenuerit non recedet ab ea*, non putauit Dominus ſenectutem ſuo eſſe peculiari exemplo inſtituendam atque erudiendam: ſed ſufficere ad vitæ vniuerſæ curſum rectè peragendum ſtatuit, fundamenta ieciſſe ineuntis ætatis, caſtè ac religioſè actæ. Itaque quod ſummi eſſet præſidij & fructus ad vitam omnem, pueritiæ atque adoleſcentiæ rectiſſimam moderandam, dignatus eſt & ipſe puerilem ſuſcipere agereque perſonam, & educatione ſua educandorum liberorum parentibus formam præſcribere eximiam. Ergo inſpicienda eſt nobis accuratè & explicanda Chriſti pueritia atque adoleſcentia: quæ communis eſt vitæ perfecta & abſoluta quædam ſpecies. De qua quidem quo pauciora reperimus tradita diuinis literis, eo magis idonea atque opportuna ad docendum exiſtimare debemus. Ac mihi attentius ea de recogitanti quatuor eius vitæ quam Chriſtus velut priuatam egit, documenta veniunt in mentem, ad quæ puto equidem (& rectè puto) tanquam capita pertinere pueritiæ atque adoleſcentiæ omnem inſtitutionem. Prima eſt temperantia, ſecunda taciturnitas vel linguæ potius moderatio, tertia obedientia & pietas in maiores, quarta religio in Deum. Quibus quidem virtutibus qui probe ſubiectam ſibi iuuentutem inſtruxerit munitam eam vallatamque omni ex parte ſine dubio reddet.

Prouerb. 22.

 Qua-

2 Quæ virtutes in pueritia Chriſti præluxerunt.

Qua temperantia & ſobrietate Chriſtus à teneris annis ſit vſus, declarabat abunde quod pauperem & laboribus exercitatam vitam elegerit. Id Pſalmus prædicit: *Pauper ſum ego & in laboribus à iuuente mea:* Id Euangelia prædicant: *Et dicebant, Nonne hic eſt faber, & fabri filius?* non modo fabri filius, quod ad humilitatem pertinebat, ſed etiam faber re & opera extitit, vt durum ac frugale genus vitæ tenuiſſe conſtet. Nam qui natus, pannis eſt vilibus obuolutus, præſepi impoſitus, dura hyeme? tugurio ſemiruto tectus, qui victum denique manu parabat, quales ei delitias fuiſſe exiſtimamus? quæ cupediæ, quæ potuit eſſe indulgentior cibi potuſq; ratio? Baſilium audi de Chriſti laboribus diſſerentem. *Ab ipſa,* inquit, *primæua ætate Chriſtus parentibus obediens, quemlibet laborem corporeum humiliter & reuerenter ſuſtinuit. Cum enim homines eſſent honeſti & iuſti, & egeni tamen, neceſſariorum penuriam patientes, teſte præſepi partus venerandi miniſtro, manifeſtum eſt, quod ſudores corporeos frequentabant continuo, neceſſaria vitæ ſibi quærentes. Ieſus autem obediens illi, vt ſcriptura teſtatur, etiam in ſuſtinendo labores ſubiectionem plenariam exhibebat.* Ita quidem Baſilius. De ſilentio & taciturnitate Chriſti dicere quid attinet, cum per totos triginta annos verbum illius verbi æterni legamus nullum, niſi quod hodie doctores interrogat, ipſe ſapienter reſpondebat, matrem de Patris obſequio ſibi expetendo admonebat. Quam pauca, quam ea præclara & illuſtria puer Ieſus verba fecit? Hic opportunè admodum Beda philoſophatur: *Quaſi fons ſapientiæ,* inquit, *doctorum medius ſedet, ſed quaſi exemplar humilitatis audire prius & interrogare doctores, quam inſtruere quærit indoctos. Ne etenim paruuli à ſenioribus erubeſcant diſcere, & ipſe ob ætatis humanæ congruentiam hominibus obauſcultare non erubeſcit Deus. Ne infirmus docere quis audeat, & ille puer doceri interro-* gando

Pſalm 87.
Marc. 6.
Baſilius in Reg. Et in conſtit. monaſt. c. 5.
Beda in Expoſit. Euang.

gando voluit, qui per diuinitatis potentiam verbum ſcientiæ ipſis ſuis doctoribus miniſtrauit. Eadem quæ Beda, & Gregor. tradit in Ezechielem ſcribens. *Quia iuxta ætatem*, inquit, *adoleſcentiæ doctrinæ ſermo non ſuppetit. & ipſe Dominus non docens, ſed interrogans inueniri in templo voluit.* Iam obedientiam Chriſti perpetuam obſeruantiamque parentum mirabilem, nos obſcurare neceſſe eſt, ſi breuiſſima atque abſolutiſſima Euangeliſtæ oratione amplius requiramus. *Erat ſubditus illis.* Quis quæſo? quibus? quouſque? Deus, hominibus, vſque ad annum triceſimum. Quis ad hęc non obſtupeſcat, cum ſtupidum prorſus exiſtimemus neceſſe eſt. *Greg. hom. 1. in Ezech.*

Rectè Origenes his verbis Euangelicis illa adiungit ſua. *Diſcamus filij ſubiecti eſſe parentibus noſtris; maior enim minori ſubijcitur. Nam quia maiorem Ioſeph videbat ætate, & propterea eum parentis honore coluit: omnibus filijs exemplum tribuens, vt ſubijciantur parentibus. Quod ſi patres eis non fuerint, ſubijciantur his qui patrum ætatem habent. Quid loquor de parentibus & filijs? ſi Ieſus filius Dei ſubijcitur Ioſeph & Mariæ, ego non ſubijciar Epiſcopo, qui mihi à Deo ordinatus eſt pater? Non ſubijciar presbytero qui mihi Domini voluntate præpoſitus eſt?* Valde hæc bene Origenes. Poſtrema erat virtus, quæ dignitate ac loco prima eſt, religio pietaſque in Deum. Hanc Chriſtus eo actu oſtendit, quem vnum ex tanto annorum interuallo ſcribi voluit, quod quotannis duceretur in ttemplum à parentibus, eoque prætextu de diuinis legibus diſſerendi aliquando occaſionem atripuit: quam rem ita ſibi eſſe cordi demonſtrauit, vt parentes argueret, quod abſentem inter cognatos quæſiſſent, ac non in templo quam primum inueniendum ſibi perſuaſiſſent. Quę Chriſti plena grauitatis oratio, perſpicuum facit nunquā cum à Dei patris cultu & religione ceſſaſſe, neque *Origen. ho. 20. in Luc.*

priuatam

priuatam vitæ rationem ab ea cura & cogitatione vllis vnquam impedimentis auocaſſe. Namque (vti ſcripſit Epiphanius) *Ab ipſa pueritia & templum agnouit & Patrem*, quod hodierno facto teſtatum voluit.

Epiphan. contra Hæbionitarum hæreſim.

3 Quantopere referat pueritiam bene inſtituere.

Quoniam de Chriſti pueri virtutibus dictum eſt, deinceps qua ratione pueritia ſit earum ſtudio & imitatione imbuenda, dicendum eſt. Sed antequam ad hæc venio, operæ pretium arbitror me facturũ, ſi quanti referat ad publicum priuatumque bonum, pueritiam accurate recteque inſtituere, non ſolum ex noſtris, ſed etiam ex autoribus externis oſtendero. Summi quidem inter Philoſophos habentur Plato atque Ariſtoteles, neque immerito: nemo enim vel ſubtilius diſſeruit, vel copioſius de natura, de moribus, de Republica. Hi igitur in hac re conſentiunt valde, nihil ad ciuitatis ſiue Reipublicæ ſtatum optime conſtituendum perinde valere, ac iuuentutis teneriorisque ætatis præclaram inſtitutionem: quam proinde non priuatis tamen parentum ſtudijs relinquendam cenſent: ſed communi & publica magiſtratum etiam cura diligentiaque adiuuandam. At Socrates ſane apud Platonẽ multa magna bona vna educatione proba cõtineri confirmat, additque educatione bona ſeruata ingenia quoque effici bona. *Etenim Reſpublica*, inquit, *ſi ſemel cæperis benè, progredietur tanquam circulus ſemper augeſcens.* Vt enim qui filium conglomerant, non poſſunt orbiculos bene rotundos formare, niſi initia probe rotunda ſint, ſic de ætatibus inſtituendis fieri Plato cenſet: vt circulus augeatur conuenienter. Ariſtoteles vero dubitatione omni carere dicit, maximam legiſlatoris curam eſſe debere circa iuuentutis diſciplinam, qua neglecta plurimum Reipublicæ detrimentum dari. Atque *oportet*, inquit, *huius curam eſſe publicam & non priuatam: quemadmodum nunc*

Plato. lib. 3. dialog. 4. de Rep. ſiue de iuſto.

Ariſt. 8 lib. Pol. c. 1.

nunc quidem vnuſquiſque curam habet ſuorum filiorum, priuatimque docet, & priuatam diſciplinam prout ei videtur. Quo in genere laudandos cenſet Lacedæmonios, quod plurimam pueris educandis ex recta diſciplina curam adhibeant eamque publicam. Neque Lacedæmonios ſolum iuuentutis ac pueritiæ inſtitutionem accuratiſſimam publicè ſuſcepiſſe, ſed Perſas etiam in id vehementius incubuiſſe conſtat, ſiquidem vera ſunt, quæ illuſtris hiſtoricus perituſque Philoſophus Xenophon tradit in ijs libris, quos de Cyri inſtitutione conſcripſit. Nam Plutarchi volumen de recta educatione liberorum notius eſt, quam vt à nobis ſit indicandum. Neque externorum vero ea eſt propria laus neque noſtrorum inferior aut remiſſior de iuuentute bene inſtituenda non oratio modo, ſed etiam exercitatio & effectio, cum legamus non paucorum Conciliorum decretis ſanctionibuſque inductum in Eccleſia, vt pueris erudiendis ac bene educandis collegia, ac contubernia publica conderentur, tum viri ſapientes & graues ijs docendis præficerentur, ac publico Eccleſiarum ſumptu alerentur. Quæ tanquam Chriſtianæ Eccleſiaſticæque Reipubl. ſeminaria ſummopere cum veterum Patrum ſententijs, tum nouiſſimi Tridentini Concilij grauiſſimis inſtitutis, commendata, confirmataque videmus. Sed ſiue publica Magiſtratus cura, ſiue priuata parentum opera iuuentus inſtituatur, certe bene inſtitui, omnino placitum refert. Idq; & lex Moyſis docet, quæ pueros improbos ac contumaces à parentibus deferri, ac magiſtratibus puniendos tradi præcipit. Abraham autem valde ſcriptura laudat, quod familiæ ſuæ de Deo rectè colendo præciperet diligenter: contra Heli Pontificem negligentiæ eius rei non ſolũ arguit, ſed graues etiam pœnas dediſſe narrat. Sapientis demũ præceptũ eſt: *Fili tibi ſunt? erudi illos, & curua*

Xenoph. l. 1. de Cyropædia.

Conc. Trid. ſeſſ. 23. c. 18.

Deut. 21.

Geneſ. 18.

1. Reg. 2. 3. 4.

Eccleſ. 7. *curua illos à pueritia illorum*, & alio loco: *Doce filium tuum & operare in illo, ne in turpitudinem illius offendas.*
Eccleſ. 30. *Curua ceruicem eius in iuuentute; & tum de latere eius dum infans eſt: ne forte induret, & non credat tibi, &*
Epheſ. 6. *erit tibi dolor animæ*. His conſentanea Apoſtolus præcipit, nimirum liberos in diſciplina & timore
Matth. 19. Dei educandos. Neque aliud ſenſiſſe ipſa ſeruator noſter debet exiſtimari, cum paruulos iuberet, ad ſe venire, diſcipuli ſinerent. Atque eſt grauis ſanè diuinæ iracundiæ ſignificatio in eos, qui liberos à ſeruitute Dei vel prauis exemplis vel conſilijs improbis auocant: quippe cum prophetæ cuiuſdam
Amos 2. verbis adhunc modum Dominus quæratur: *Suſcitauit de filijs veſtris in prophetas, & de iuuenibus veſtris Nazareos: nunquid non ita eſt filij Iſrael? dicit Dominus: Et propinabitis Nazaræis vinum, & prophetis mandabitis, dicentes, Ne prophetis. Ecce ego ſtridebo ſubter vos, ſicut ſtridet plauſtrum onuſtum fœno.* Quibus verbis & magnum beneficium commemorat, quo in præſides paſtoreſque Eccleſiæ magiſtroſque ſapientes legit Chriſtianam iuuentutem, & parentum maiorumque fraudes arguit, quod à vitæ Sanctioris inſtitutis, à clericatu, à monaſtica profeſſione reuocant quos maximè iuuare deberent: & vero ſe ſub ea ſcelerum mole veluti oppreſſum non poſſe non grauiſſimè ingemiſcere aduerſus ingratos & impios religionis aſpernatores.

4 Pueritiam tēperanter educādam. Quæ planè cum vniuerſe de cura rectè educandi liberos dicta ſint, ad ſpecies educationis & familiaria magis præcepta veniendum eſt. Quod ſi illa quatuor quæ anteà propoſui bene teneantur, ſatisfactum abunde arbitror pueritiæ rectè inſtituendæ. Temperantiam primum eſſe ſeruandam cenſeo, nec pueri nimis delicatè, nimis indulgenter nutriantur, neve ingluuiem ac voracitatem à teneris diſcant. Neque enim exiguum id malum

lum putandum, neque quod imperitæ matres faciunt, libidini puerorum facile obſequendum. Nam & corpus habitudini plurimum nocet, & animi mores ſolutos & procaces parit. Quare Ariſtoteles durioribus aſſuefaciendos pueros cenſet, *Ad cuncta*, inquit, *ad quæ poſſibile eſt, melius eſt, ſtatim ab initio aſſueſcere*. Neque Plato diſſentit, qui cupedias & mellita non ijs paſſim offerenda affirmat. Qua de cauſa Lacedæmoniorum auſteritas ac cibi parcitas vehementer laudatur, neque Perſarum, vti Xenophon tradit, diſciplina mollior, ex qua iuuentus prodibat ad bella robuſta, vitiorum expers multorum atque magnorum, quæ aſſidua eſitatione eaque illecebroſa adgenerantur. De parca & frugali viuendi ratione ſcribit Clemens Alexandrinus in Pædagogo ad hunc modum: *Hominibus autem ſæpenumero damnum & moleſtiam procreauit voluptas. Graues autem affectiones & obliuionem; & inſipientiam in animæ parit nimia alimenti copia. Iam vero dicunt etiam puerorum corpora rectè creſcere in longitudinem, ſi non abundet nutrimentum.* Ariſt. 7. Polit. c. 17. Plato. Xenophon. 1. lib. de Cyro pæd. Clem. Alex. in pædagogo, lib. 2. cap. 1. ad finem.

Neque enim prohibetur ſpiritus vitalis recurrens ad incrementum. Recitat quoque Clemens Platonis ſententiam dãnantis vitã gulæ & Veneri deditã: *Ex talibus*, inquit Plato, *nullus homo ſub cælo potens eſſe prudens, ſi hæc à iuuentute exercet.* Hæc Clemẽtis Alexãdrini, hęc etiam Platonis ſententia eſt, & animo & corpori officere nimiam eſcam, quod Salomon etiam confirmat. *Qui delicate*, ait Salomon, *à pueritia nutrit ſeruum ſuum, poſteà ſentiet illum contumacem.* Nam illorum Heli filiorum corruptiſſimos mores, ob quos & ipſi & parens & vniuerſus Iſraeliticus populus miſerrimè tandem concidit, cum ſcriptura ſacra deſcribit, in gluuiem maxime memorat, qua in ipſa ſacrificia, importune quoque graſſabantur, tum flagitioſam in fœminas pro foribus taber- Prou. 29. 1. Reg. 2.

naculi

turpi. Ergo pudor ſummopere conſeruandus eſt puerorũ. qui teſte Ambroſio perpetuus eſt comes virtutis. Pudicitiam qui dictis non ſeruet, eum factis impudicum fore nullo modo dubitandum, Actionis vmbra exiſtit oratio, vt Democritus dixit: quod Plutarchus hoc loco commemorat. Hieronymi præceptum eſt, cum inſtituit Lætæ filiam paruulam. *Nihil aliud diſcat audire, nihil loqui, niſi quod ad timorem Dei pertineat. Turpia verba non intelligat, cantica mundi ignoret, Procul ſit ætas laſciua puerorum. Ipſæ pediſequæ & puellæ à ſecularibus conſortijs arceantur.* Quod Hieronymus de ſolatio vitando laſciuo monet, id Ariſtoteles commendat etiam ne ſit ſeruile & improbum: quod facillime ſimiles mores pueri imbuant: quod vero cantica profana vetat, Platonis eſt probata ſententia, hymnos ſacros pueris canendos, nullo modo inimicos & impuros, Sicut autem turpia verba permitti minime debent, ſic mendacijs aſſuefieri nequaquam ſinendi pueri. Plutarchi placet recitare teſtimonium. *Præter hæc omnia,* inquit, *quod ſanctiſſimum, pueri vera proferri conſueſcant, Mentiri enim ſeruile eſt vitium, à cunctis mortalibus odio inſectandum, nec quod apud mediocres etiam ſeruos veniã promereatur.* In eo vitio ſi quando deprehenderentur, Perſarum pueri egregie vapulabant, Iurare præterea prohibendi ſunt, quod eſt procliue, ne conſuetudine peierent. Vix enim extingui poteſt deprauata cõſuetudo iurandi ſi à pueritia inoleuerit. Iam quæ ad modeſtiam & vrbanitatem pertinent, ad rectam pronuntiationem, ad purum caſtigatumque ſermonem, etſi contemnenda ea cura non eſt, tamen non eſt nobis modo magnopere laborandum: qui non modo nobiles ſed Chriſtianos omnes alloquimur.

Ambroſ.

Plutarc. lib. de educat. liberorum.

Hierony. in epiſt. ad Lætam.

Ariſt. 7. Polit. c. 17.

Plat in dialog. 3 de Repub. vel de iuſto, lib. 3.

Plutarch. de educat. liberorum.

Herodot. in Clio.

Hieronymus ad Lætam.

Sequitur pietas & obſeruantia in parentes atque maiores, quam partem qui negligunt excolere pueritias

6 Obſeruantia in

ritiæ, pænas ijdem iuuentuti improbæ & contumaci grauiſſimas dent oportet. Nihil eſt nimia indulgentia in filios procaces crudelius. *Qui diligit.* inquit Scriptura, *filium, aſſiduat illi flagella. Equus indomitus euadet durus: & filius remiſſus euadet præceps. Puer qui relinquitur voluntati ſuæ, confundet matrem ſuam.* In ſuperbos & contumaces filios vaticinatus eſt Salomon ad hunc modum: *oculum qui ſubſannat patrem, qui & deſpicit partum matris ſuæ, effodiant eum corui de torrentibus, & comedant eum filij aquilæ.* Mortem ſcilicet tetram & crudelem patibuli obituros eiuſmodi impios filios, ac ſepultura carituros, coruis cæteriſque vulturibus eſcæ prædæque fore: quod latronibus ſicariiſque contingit. Documento eſt Abſalon in patrem rebellans, ſuis ipſe aureis capillis illaqueatus atque ſuſpenſus. Quantum vero proteruiæ in parentes crimen ſit, declarat ſeueriſſima lex quæ ita habet: *Si genuerit homo filium contumacem & proteruum, qui non audierit patris ac matris imperium, & coercitus obedire contempſerit: apprehendent eum & ducent ad ſeniores ciuitatis illius, & ad portam iudicij, dicentque ad eos. Filius iſte noſter proteruus ac contumax eſt, monita noſtra audire contemnit comeſſationibus vacat, & luxuria atque conuiuijs: lapidibus eum obruet populus ciuitatis, & morietur, vt auferatis malum de medio veſtri & vniuerſus Iſrael audiens pertimeſcat.* Quam acerbum ſit, parentes filiorum effici ſuorum accuſatores ac necis autores, vos cogitate. Quapropter à teneris obedire docendi ſunt nonnullo metu propoſito, neque plagis parcendum ſi opus ſit: vultu tamen ſeueriore plerumque ætas illa melius caſtigatur. Ita inſtituti liberi parentes pro Deo colunt, idque in laude cuiuſdam præclara ſummus orator ſapienter commemorauit *Parentē* inquit. *veneratur vt Deum: neque enim multo ſecus. Nā me quidem iudicio pietas omnium virtutum fundmentū*

Margin notes: parentes & maiores. — *Eccl. 30,* — *Prou, 29.* — *Prou 30.* — *2. Reg. 18.* — *Deut. 21* — *Cicero pro plantio.*

eſt. Præclare id Cicero dixit & vere. Quare videmus filijs pijs & in parentes obſequentibus fortunatè vitam agi, Deo & hominibus eſſe charos: vitæ præſentis ſimul ac futuræ præmijs vbertim potiri, quemadmodum etiam Apoſtolus admonuit. *1. Tim. 4.*

Sed parentes ita ſe coli à filijs velle debent, in Deum omnium autorem & parentum veriſſimum multò amplius pios ac religioſos velint. Id in laudibus Abrahæ, & Iob & aliorum patrum maxime ponitur, Tobiæ præſertim, quem refert ſacra hiſtoria filium ſibi cognominem ab infantia *Deum* timere docuiſſe: Samuel mater Anna ſanctiſſima vt primum ingredi potuit, diuinis miniſterijs accommodauit. Sunt felices certe, qui, vt *Iob*, ab infantia timorem Domini toto pectore imbibunt. Timotheum Paulus eam ob rem beatum prædicat, matremque Loidem maxime laudat. Vt ſunt autem tenera ingenia puerorum & eorum ætas imbecilla, ita rudiora quædam diuinæ religionis exercitamenta doceri debent: vt ſignum Crucis pingere in fronte nouerint, vt ſacris imaginibus poplite flexo, & capite aperto reuerentiã exhibeant, vt memoriter ſymbolum, orationem dominicam, ſalutationem angelicam, decalogum, ac cætera ſi quæ ſunt his ſimilia, reddant: vt preces aliquas mane primo, tum antequam eant cubitum, fundant: vt cibum ſumpturi aliquid precentur: vt Chriſti eiuſque genitricis Mariæ nomen reuerenter pronuntient. Denique imbuendi ſunt: vt natu grandes religionem & fidem Catholicam non didiciſſe vdeantur, ſed ex materno vtero ſumpſiſſe. aut certe cum matris lacte ſuxiſſe. Quam rem de ſe Baſilius glorioſe commemorat, qui Macrinæ nutrici vniuerſam Theologiam ſuam acceptam refert. *Fidei vero noſtræ* (ait ille) *quæ poterit eſſe euidentior probatio, quã quod à nutrice beata fæmina Macrina educati ſumus?*

7. Religioſe & Chriſtiane educãdi pueri. *Tob. 1.* *1. Reg. 2.* *Iob. 30.* *2. Timot. 1.* *Baſil. in epiſtol. 75. ad Neocæſarienſes, & epiſtol. 79.*

Et idem in alia epiſtola. *Quam à puero de Deo ſententiam à beata matre & nutrice mea Macrina accepi, illam iuſtis incrementis auctam in meipſo conſeruaui*. Neque vero conniuendum eſt, aut vllo modo aſſentiendum iis, qui ineptam ad hæc ſeria & grauia puerilem ætatem cauſantur, quippe cum vtramque partem ſit plurimum in prima illa tinctura momenti. Contra iſtorum ineptam pernitioſamque ſententiam declamauit, vel ſcripſit potius Diuus Ioãnes Chryſoſtomus elegantiſſimam orationem, quam in eis libris eruditi cum legerint, vehementer probabunt Quid enim? Nonne puerum vel infantem potius quinquennem blaſphemijs aſſuetum è ſinu patris abreptum, atque necatum à dæmonibus, idoneus certe autor & teſtis Gregorius litteris prodidit? Cuius tanti Patris verba quoque recitare iuuat, vt horribili documento parentes paruulorum etiam vitia extimeſcant. *Quidam vir cunctis in hac vrbe notiſſimus, ante triennium filium habuit annorum ſicut arbitror, quinque, quem nimis carnaliter diligens remiſſe nutriebat. atque idem paruulus, quod dictum graue eſt, mox vt eius animo aliquid obtitiſſet, maieſtatem Dei blaſphemare conſueuerat, qui in hac ante triennium mortalitate percuſſus venit ad mortem. Cumque eum ſuus pater in ſinu teneret: malignos ad ſe veniſſe ſpiritus trementibus oculis puer aſpiciens cæpit clamare: obſta pater, obſta pater, Mauri homines venerunt, qui me tollere volunt. Cui cum hoc dixiſſet, maieſtatis nomen protinus blaſpemauit, & animam reddidit, Vt enim omitto; ni Deus oſtenderet pro quo reatu, talibus fuiſſe traditus executoribus, vnde viuentem pater ſuus noluit corrigere, hoc morientem permiſit iterare: quatenus reatum ſuum pater agnoſceret, qui paruuli filij animam negligens, non paruulum peccatorem gehennæ ignibus nutriſſet*. Huc vſque Gregorius cui fidem habere tam propinqua narranti, inuerecundum ſit non parere religioſè ac ſanctè me-

Chryſoſt.

Greg. 4. dialog. c. 18,

ſte monenti, ſceleſtum. Extrema iam orationis de recte educandis liberis habitæ Pauli autoritas ſit;ſic & parentes, & liberos cohortantis: *Filij obedite parentibus veſtris in Domino, hoc enim iuſtum eſt: Honora patrem tuum & matrem tuam (quod eſt mandatum primum in promiſsione) vt bene ſit tibi, & ſis longæuus ſuper terram. Et vos patres nolite ad iracundiam prouocare filios veſtros: ſed educate illos in diſciplina & corruptione Domini.* Cuius rei documentum Chriſtus, vt initio diximus, ſe præbuit optimum & maximum: quem propterea agnum Dei vocitatū ſentit Clemens Alexādrinus, quod pueros agnorum verbo ſcriptura ſignificet. *De hoc*, inquit, *puello fert quoque teſtimonium Ioannes, qui eſt maior propheta inter natos mulierum, ecce agnus Dei. Quoniam enim ſcriptura pueros ac infantes agnos vocat, Deum, qui eſt verbum, qui propter nos homo factus eſt, qui nobis in omnibus aſsimulari volebat, vocauit agnum Dei, filium Dei, infantem Patris.* Itaque qui filius erat Patris ſempiterni, filius eſſe matris humilis non eſt dedignatus, vt obedientiam ac pietatem factis ipſis, non verbis tantum mortales doceret.

Epheſ. 6.

Clem. Alexand. lib. 1 pædagog. c. 5.

IN OCTAVA EPIPHANIAE

Vidit Ioannes Ieſum venientem ad ſe & ait. Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.

Ioan. 1.

Diuinæ declarationis illuſtrem diem Epiphaniæ verbo, à veteribus appellatū, non ſo-

1 Quid ſit videre

Chriſtum ad ſe venientem.

lum Magorum aduentu atque adoratione Eccleſia inſignitum celebrat, ſed etiam baptiſmo Chriſti ac miraculo aquæ in vinum mutatę conderatum, quemadmodum cum Patrum frequentes conciones, tum ipſius Eccleſiæ voces eius diei teſtantur: quæ quamnis vno die tradantur diuinitus peracta, diuerſis tamen annis accidiſſe conſtat, Cum igitur Magorum rebus commemorandis per hoſce dies Matthæi Euangelium recitauerit, hodierno die Ioannis Euangelium adhibet Eccleſia, quo baptiſmi Chriſti gloria innoteſcat, quem Ioannes ille Baptiſta prædicat, & ſanguinis ſui effuſione peccata delere, & beptiſmi à ſe inſtituti virtute & vi Spiritũ ſanctum hominibus conferre. Itaq; ait Ioannem Baptiſtam Chriſtum ad ſe venientem vidiſſe, quando id contigerit, non admodum moror. quidam enim proximo poſt legationem Iudæorum ſuſceptã die, alij longo poſt interuallo contigiſſe volunt. Vt vt ſit, certe iã baptizauerat Chriſtum Ioãnes, cũ hic ad ſe euntem ſpectauit. Atque eam ob rem hic vir non ſolum propheta, ſed etiam pluſquam propheta celebratur, quemadmodum hoc loco Cyrillus expoſuit, quod alij plerique prophetæ venturum quidem Chriſtum viderint: hic & venientem vidit & alijs indicauit. Quid enim non agnoſceret & proderet in illa ætate, qui vix perfecte formatus in vtero materno, venientem olim non modo cognouit, verum etiam ſaltu & pulſu, quia voce non poterat, matri demonſtrauit? Idcirco enim ſe veniſſe profitetur, vt sũmi Regis Chriſti & præco eſſet & nuntius. Sed quæ hodie collata eſt Ioãni gratia, vidit enim Ieſum venientem ad ſe, ſuoq; modo iuſtis confertur omnibus. Eſt autem grande quidem Dei beneficium, quod ad hominem venit, ſed neceſſarium plane propterea quod nequit homo ad Deum venire, niſi ad ſe venientem primum exceperit Deũ,

Cyrill. Alexãd. in expoſit. Euang.

Ioan. 1.

quare

quare à ſapiente ſcriptum eſt: *Praoccupat eos qui ſe concupiſcunt: quoniam dignos ſei pſa circuit quærens.* At non minoris beneficij loco numerandum, ſi datur homini venientem ad ſe Deum videre, hoc eſt Dei gratiam vt oportet, agnoſcere, quod Ioanni contingit, qui venientem Chriſtum cognouit. Fit ſæpenumero, vt aduentus Dei non innoteſcat homini, niſi putemus ſanctum Iob falli ita dicentem, *ſi venerit ad me, non intelligam: & ſi abierit, non cognoſcam.* Aut Pſalmiſtam non vere pronuntiaſſe. *Semitæ tuæ in aquis multis: & veſtigia tua non cognoſcentur.* Nam & potentiæ Dei mirabiles & inſcrutabiles ſunt progreſſus, & gratiæ occultæ ſubtileſque motiones. Itaque nouo beneficio aſcribendum eſt, quod interdum ipſa Dei beneficia diuina homini patefiunt, vt digne quoad vtatur, & gratiam habeat, quam referre non poteſt. Inſpirationi cœleſti paret, conſilia vitæ perfectionis ſuſcipit: mortalibus anteponit ſempiterna. Quod Paulus monet, *Contemplantes ne quis deſit gratiæ Dei.* quo Amos Propheta prædicat, *Præparare in occurſum Dei tui.* Sapientum vox eſt, occaſionem boni non eſſe ſinendam è manibus elabi. Id præſtari recte non poteſt niſi bonum pateat. Cum ſatis perſpectum ſit, tenendum fortiterque figendum *Inueni,* inquit, *quem diligit anima mea: tenui eum, nec dimittam.* Ioannes ſane qui Chriſtum videbat venire, & ipſe tanto munere fruebatur, & alijs non inuidebat. Itaque clamabat, *Ecce agnus Dei.* Id enim proximum eſt, vt qui Dei maieſtatem ſentit, quibus poteſt, annuntiet, quo liceat pluribus ijs opibus frui, quæ in multos diſtributæ, minime imminuuntur. *Quam ſine fictione didici,* aiebat Salomon, *& ſine inuidia communico: infinitus enim eſt theſaurus hominibus.* Quid enim non ſit, qui Dei ipſa ſapientia, ipſa gloria & felicitas ſit?

Sapient. 6. *Iob. 9.* *Pſal. 76.* *Heb. 12.* *Amos. 4.* *Cant. 3.* *Sapien. 7.*

2 Quid Agnus Dei in Christo ſignificet.

Ecce, inquit, *agnus Dei*. Delicias mihi videtur ipſas Dei dicere: quod Chriſtus proprie is ſit, qui Deo charus, iucundus, ac gratus ſit: ſine quo nihil illi iucundum & gratum. *Ecce puer meus quem elegi, dilectus meus, in quo bene complacuit ſibi anima mea.* Sic Matthæus recitat Iſaiæ teſtimonium, partim Hebraicæ veritati partim ſeptuaginta interpretum editioni conſentiens. Tanquam ergo puerum Dei, vnicum filium eius Ieſum Chriſtum agnum Dei nominauit Ioannes, vt Clementi placet Alexandrino. Appellatus quidem eſt Salomon, amabilis Domino, at cum in tanta flagitia prolapſus ſit, ſignificaſſe potius quam exhibuiſſe eum; qui vnicè Deo charus ſit, facile intelligi poteſt. Vnus Chriſtus vere amabilis Deo, quique omnes eius voluptates implet; ſolus per ſe Patri acceptus & gratus. Nam etſi ſunt agni, alij ſancti, tamen agnus Dei ille ſingularis, ſolus eſt Chriſtus: quod Auguſtinus dicit his verbis: *Vtique ſingulariter iſte agnus: nam & diſcipuli dicti ſunt agni. Ecce ego mittam vos ſicut agnos in medio luporum. Agnus ſingulariter, ſine macula, ſine peccato: non cuius maculæ abſterſæ ſunt, ſed cuius macula nulla fuerit. Ipſe Ioannes non erat Agnus? non erat vir ſanctus? non erat amicus ſponſi? Ergo ſingulariter ille, hic eſt agnus Dei, quia ſingulariter huius agni ſanguine ſolo homines redimi potuerunt.* Ergo agni nomen præcipuè Chriſto tributum, quod immolatus pro nobis ſit: quem Moyſes figurauit, quem Eſaias prædixit: cuius agni deſiderio homines tenebantur. Atque vt Cyrillus & Theophilactus ſentiunt, ideo agnus ille cum Emphaſi & articulo Græco dicitur, vt intelligatur is eſſe agnus, quem lex & prophetæ denuntiarant. Itaque propter ſacrificium maxime Chriſtus dictus eſt agnus Dei, vel Deo oblatus, vel etiā à Deo traditus propter nimiā charitatē ſuam qua dilexit nos, eodem Theophilacto autore.

Eſai 24. *Matth.21.* *Clemens Alexand. lib. pædagog 1.c.5.* *2.Reg.25.* *Aug tract. 7.in Ioan.* *Exod.12.* *Eſa.53.* *Cyrill. hic. Theophil. ibidem.*

Sed

Sed mores nihilominus ſuauiſſimos, Deoque gratiſſimos in Chriſto agni verbum declarat. Ergo id vt exprimat Ioannes, Agnum vocat Dei, quod ſoleant vulgo iucunda eſſe & amica, quæ ſimplicitatem quandam, ac manſuetudinem inter animalia præſeferunt, ita catellos, paſſerculos, & auiculas, aut animalcula id genus placida atque facilia inter delitias haberi plerunque videmus. In quo genere excellit ſane agni candor ac ſimplicitas quædam, valde delectans. Eſt enim præ cæteris animal mite, innoxium, tractabile, iniuriæ patiens, aculei omnis atque fellis expers. Quæ plane omnia in hunc cæleſtem agnum mirificè conueniunt. Cuius innocentiam, manſuetudinem, iniuriarum tolerantiam Petrus explicat illis verbis: *Qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius: qui cum male diceretur, non maledicebat, cum pateretur non comminabatur, tradebat autem iudicanti ſe iniuſte.* Neque Hieremias aliud declarat, cum Chriſti ex perſona loquitur, *& ego quaſi agnus manſuetus, qui portatur ad victimam.* Nos igitur ſi Deo grati eſſe cupiamus, hunc agnum quem nobis indicat Ioannes, geſtemus in manibus, Patri offeramus munus omnium longe gratiſſimum. Idcirco in templo agnus offerebatur bis quotidie, mane & veſpere, quod fidei noſtræ & autor & conſummator ſit, vt loquitur Paulus, Chriſtus Ieſus. Hunc proinde Daniel in conſpectum altiſsimi obtuliſſe ſcribit gentes, ac nationes omnes. Per hunc nos habere acceſſum ad Deum Paulus prædicat: ſine hoc nihil Deo acceptum, nihil poteſt eſſe iucundum, Denique vt idem ſcribit Colloſſenſibus, *Ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ, qui eſt principium, primogenitus ex mortuis: vt ſit in omnibus ipſe primatum tenens, quia in ipſo complacuit omnem plenitudinem inhabitare & per eum reconciliare omnia in ipſum.* Quapropter cum è baptiſmo emerſiſſet Chriſtus, columbæ ſpecie ſpiritus S.

1. Pet. 2. *Hierem. 11* *Exod 29.* *Num. 28.* *Hebr. 12.* *Daniel. 7.* *Ephes. 3.* *Coloſſ. 1.*

in eum deſcendit, & patris æterni audita vox eſt. *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Agnum enim columba aduolauit merito, quod ſimilia vt dixit Nazianzenus bene ſibi conueniant: præconium vero Patris, vnice ſe huius puritate & ſanctitate delectatum, declarauit: quod Ioannes bene edoctus, vno verbo vim immenſam ſenſus ſui exprompſit, aiens *Ecce agnus Dei*, quod non ſimpliciter ſed cum emphaſi dixit quod Græcus articulus magis declarat Ecce, inquit, agnus ille Dei.

Nazian. in orat. de Baptiſmo Chriſti.

3 Quid per Agnum Dei homines conſequantur.

Quamobrem aptiſſimè adiecit. *Ecce qui tollit peccata mundi*, tametſi græca ſecundum ecce non habeant, ſed illud præclare docuit, cum agnum qui eſſet Deo gratiſſimus, mundi ſcelera omnia ſanguine ſuo eluere atque expiare. Quare quantum nobis in Chriſto ſalutis, fortunarum, opumque ſit, vno item verbo expreſſit. Vt enim olim è ſeruitute Aegyptiaca filij Iſrael non ſunt ante liberati quam agnus eſt legitimus immolatus, ita nos diaboli ac peccatorũ noſtrorum miſerrimam ſeruitutem nõ euadimus, niſi Chriſti ſanctiſſima victima & ſanguine. *Omnes enim nos ſicut oues errauimus, & poſuit Dominus iniquitates omnium noſtrum ſuper eum. Oblatus eſt quia ipſe voluit. & non aperuit os ſuum ſicut ouis ad occiſionem ducetur, & quaſi agnus coram tondente obmuteſcet, & non aperiet os ſuum.* Quam ſuam per Chriſti ſanguinem redemptionem cœleſtes illi ciues & libenter agnoſcunt, & ſingulari cum gaudio confitentur, in hæc verba canentes: *Dignus es Domine accipere librum & aperire ſignacula eius, quoniam occiſus es, & redemiſti nos in ſanguine tuo ex omni tribu & lingua & populo & natione, & feciſti nos Deo noſtro regnum & ſacerdotes & regnabimus ſuper terram.* En quanta per Chriſti ſanguinem adepti fuerimus: vt non modo è miſera peccati ac tartari ſempiterni ſeruitute erepti, atque ad libertatem & patriam redierimus, verumetiam

Eſai. 53.

Apoc. 3.

etiam regni immortalis & ſacerdotij præſtantiſſimi munere decorati ſimus: vt ſimul regnemus cum Chriſto.

Quam inauditam Chriſti atque incredibilem erga mortales munificentiam, etiam Angelorum ordines perpetuo cantu ac laude digniſſima proſequuntur, ita exclamantes: *Dignus eſt agnus qui occiſus eſt, accipere virtutem & diuinitatem, & ſapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam & benedictionem.* Apocal. 5. Cæleſtibus terrena conſentiunt, excelſis illis iſta infima, omnem enim creaturam terrenam & ſubterraneam concinuiſſe his vocibus refert Apocalypſis: *Sedenti in throno & agno, benedictio, & honor, & gloria, & poteſtas in ſeculorum.* Apoc. 5. Quo pacto peccata mundi tollat hic agnus, venerabilis Beda luculentiſſimè docet his verbis: *Dilexit nos, & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo. Non ſolum autem lauit nos in ſanguine ſuo, quando ſanguinem ſuum dedit in cruce pro nobis, vel quando vnuſquiſque noſtrum myſterio paſſionis illius baptiſmo aquæ ablutus eſt, verumetiam quotidie tollit peccata mundi, lauatque nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo, cum eiuſdem beatæ paſſionis ad altare memoria replicatur, cum panis & vini creatura in ſacramentum carnis & ſanguinis eius ineffabili ſpiritus ſanctificatione transfertur, ſicque corpus & ſanguis illius non infidelium manibus ad perniciem ipſorum funditur, ſed fidelium ore ſumitur ad ſalutem. Cuius recte figuram agnus ille paſchalis oſtendit.* Beda in expoſ. Euang.

Hæc Beda, cui Theophylactus conſentit ſic dicens: *Non dixit, Qui abſtulit peccata, ſed qui tollit in præſenti peccata noſtra. Quotidie enim tollit peccata noſtra: & aliorum quidem per baptiſmum, aliorum autem per pœnitentiam.* Quæ cũ ita ſint, nulla erit venia dignus peccator qui oblatam ſibi ſalutẽ per Chriſtum vel contẽpſerit, vel etiã neglexerit. Nam infinito peccatorũ pondere quanuis obruatur, licet venire ad gratiam,

fas

parentes & maiores. ritiæ, pænas iidem iuuentuti improbæ & contumaci grauiſſimas dent oportet. Nihil eſt nimia indulgentia in filios procaces crudelius. *Qui diligit*, inquit Scriptura, *filium, aſsiduat illi flagella. Equus indomitus euadet durus: & filius remiſſus euadet præceps.* (*Eccl. 30.*) *Puer qui relinquitur voluntati ſuæ, confundet matrem ſuam.* (*Prou. 29.*) In ſuperbos & contumaces filios vaticinatus eſt Salomon ad hunc modum: *oculum qui ſubſanat patrem, qui & deſpcijt partum matris ſuæ, effodiant eum corui de torrentibus, & comedant eum filij aquilæ.* (*Prou 30.*) Mortem ſcilicet tetram & crudelem patibuli obituros eiuſmodi impios filios, ac ſepultura carituros, coruis cæteriſque vulturibus eſcæ prædæque fore: quod latronibus ſicariiſque contingit. Documento eſt Abſalon in patrem rebellans, ſuis ipſe aureis capillis illaqueatus atque ſuſpenſus. (*2. Reg. 18.*) Quantum vero proteruiæ in parentes crimen ſit, declarat ſeueriſſima lex quæ ita habet: *Si genuerit homo filium contumacem & proteruum, qui non audierit patris ac matris imperium, & coercitus obedire contempſerit: apprehendent eum & ducent ad ſeniores ciuitatis illius, & ad portam iudicij, dicentque ad eos. Filius iſte noſter proteruus ac contumax eſt, monita noſtra audire contemnit comeſſationibus vacat, & luxuria atque conuiuijs: lapidibus eum obruet populus ciuitatis, & morietur, vt auferatis malum de medio veſtri & vniuerſus Iſrael audiens pertimeſcat.* (*Deut. 21*) Quam acerbum ſit, parentes filiorum effici ſuorum accuſatores ac necis autores, vos cogitate. Quapropter à teneris obedire docendi ſunt nonnullo metu propoſito, neque plagis parcendum ſi opus ſit: vultu tamen ſeueriore plerumque ætas illa melius caſtigatur. Ita inſtituti liberi parentes pro Deo colunt, idque in laude cuiuſdam præclara ſummus orator ſapienter commemorauit *Parentē* inquit, *veneratur vt Deum: neque enim multo ſecus. Nā me quidem iudicio pietas omnium virtutum fundmentū* (*Cicero pro plantio.*)

eſt. Præclare id Cicero dixit & vere. Quare videmus filijs pijs & in parentes obſequentibus fortunatè vitam agi, Deo & hominibus eſſe charos: vitæ præſentis ſimul ac futuræ præmijs vbertim potiri, quemadmodum etiam Apoſtolus admonuit. *1. Tim. 4.*

Sed parentes ita ſe coli à filijs velle debent, vt in Deum omnium autorem & parentum veriſſimum multò amplius pios ac religioſos velint. Id in laudibus Abrahæ, & Iob & aliorum patrum maxime ponitur, Tobiæ præſertim, quem refert ſacra hiſtoria filium ſibi cognominem ab infantia Deum timere docuiſſe: Samuel mater Anna ſanctiſſima vt primum ingredi potuit, diuinis miniſterijs accommodauit. Sunt felices certe, qui, vt Iob, ab infantia timorem Domini toto pectore imbibunt. Timotheum Paulus eam ob rem beatum prædicat, matremque Loidem maxime laudat. Vt ſunt autem tenera ingenia puerorum & eorum ætas imbecilla, ita rudiota quædam diuinæ religionis exercitamenta doceri debent: vt ſignum Crucis pingere in fronte nouerint, vt ſacris imaginibus poplite flexo, & capite aperto reuerentiã exhibeant, vt memoriter ſymbolum, orationem dominicam, ſalutationem angelicam, decalogum, ac cætera ſi quæ ſunt his ſimilia, reddant: vt preces aliquas manè primo, tum antequam eant cubitum, fundant: vt cibum ſumpturi aliquid precentur: vt Chriſti eiuſque genitricis Mariæ nomen reuerenter pronuntient. Denique imbuendi ſunt: vt natu grandes religionem & fidem Catholicam non didiciſſe vdeantur, ſed ex materno vtero ſumpſiſſe. aut certe cum matris lacte ſuxiſſe. Quam rem de ſe Baſilius glorioſe commemorat, qui Macrinæ nutrici vniuerſam Theologiam ſuam acceptam refert. *Fidei vero noſtræ* (ait ille) *quæ poterit eſſe euidentior probatio, quã quod à nutrice beata fæmina Macrina educati ſumus?*

7. Religioſe & Chriſtiane educãdi pueri.

Tob. 1.

1. Reg. 2.

Iob. 30.

2. Timot. 1.

Baſil. in epiſtol. 75. ad Neocæſarienſes, & epiſtol. 79.

Et idem in alia epiſtola. *Quam à puero de Deo ſententiam à beata matre & nutrice mea Macrina accepi, illam iuſtis incrementis auctam in meipſo conſeruaui,* Neque vero conniuendum eſt, aut vllo modo aſſentiendum iis, qui ineptam ad hæc ſeria & grauia puerilem ætatem cauſantur, quippe cum vtramque partem ſit plurimum in prima illa tinctura momenti. Contra iſtorum ineptam pernitioſamque ſententiam declamauit, vel ſcripſit potius Diuus Ioãnes Chry-

Chryſoſt. ſoſtomus elegantiſſimam orationem, quam in eis libris eruditi cum legerint, vehementer probabunt Quid enim? Nonne puerum vel infantem potius quinquennem blaſphemiis aſſuetum è ſinu patris abreptum, atque necatum à dæmonibus, idoneus certe autor & teſtis Gregorius literis prodidit? Cuius tanti Patris verba quoque recitare iuuat, vt hor-

Greg. 4. dialog. c. 18, ribili documento parentes paruulorum etiam vitia extimeſcant. *Quidam vir cunctis in hac vrbe notiſſimus, ante triennium filium habuit annorum ſicut arbitror, quinque, quem nimis carnaliter diligens remiſſe nutriebat. atque idem paruulus, quod dictum graue eſt, mox vt eius animo aliquid obtitiſſet, maieſtatem Dei blaſphemare conſueuerat, qui in hac ante triennium mortalitate percuſſus venit ad mortem. Cumque eum ſuus pater in ſinu teneret: malignos ad ſe veniſſe ſpiritus trementibus oculis puer aſpiciens cæpit clamare: obſta pater, obſta pater, Mauri homines venerunt, qui me tollere volunt. Cui cum hoc dixiſſet, maieſtatis nomen protinus blaſphemauit, & animam reddidit, Vt enim omitto; ni Deus oſtenderet pro quo reatu, talibus fuiſſe traditus executoribus, vnde viuentem pater ſuus noluit corrigere, hoc morientem permiſit iterare: quatenus reatum ſuum pater agnoſceret, qui paruuli filij animam negligens, non paruulum peccatorem gehennæ ignibus nutriſſet.* Huc vſque Gregorius cui fidem habere tam propinqua narranti, inuerecundum ſit non parere religioſè ac ſan-

ctè mo-

ctè monenti, ſceleſtum. Extrema iam orationis de rectè educandis liberis habitæ Pauli autoritas ſit;ſic & parentes, & liberos cohortantis: *Filij obedite parentibus veſtris in Domino, hoc enim iuſtum eſt: Honora patrem tuum & matrem tuam (quod eſt mandatum primum in promiſsione) vt bene ſit tibi, & ſis longæuus ſuper terram. Et vos patres nolite ad iracundiam prouocare filios veſtros: ſed educate illos in diſciplina & corruptione Domini.* Cuius rei documentum Chriſtus, vt initio diximus, ſe præbuit optimum & maximum: quem propterea agnum Dei vocitatũ ſentit Clemens Alexãdrinus, quod pueros agnorum verbo ſcriptura ſignificet. *De hoc,* inquit, *puello fert quoque teſtimonium Iaannes, qui eſt maior propheta inter natos mulierum, ecce agnus Dei. Quoniam enim ſcriptura pueros ac infantes agnos vocat, Deum, qui eſt verbum, qui propter nos homo factus eſt, qui nobis in omnibus aſsimulari volebat, vocauit agnum Dei, filium Dei, infantem Patris.* Itaque qui filius erat Patris ſempiterni, filius eſſe matris humilis non eſt dedignatus, vt obedientiam ac pietatem factis ipſis, non verbis tantum mortales doceret.

Epheſ. 6.

Clem. Alexand. lib. 1. pædagog. c. 5.

IN OCTAVA EPIPHANIAE

Vidit Ioannes Ieſum venientem ad ſe & ait. Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.

Ioan. 1.

Diuinæ declarationis illuſtrem diem Epiphaniæ verbo, à veteribus appellatũ, non ſo- 1 Quid ſit videre

Chriſtum ad ſe venientem.

lum Magorum aduentu atque adoratione Eccleſia inſignitum celebrat, ſed etiam baptiſmo Chriſti ac miraculo aquæ in vinum mutatę conderatum, quẽadmodum cum Patrum frequentes conciones, tum ipſius Eccleſiæ voces eius diei teſtantur: quæ quamuis vno die tradantur diuinitus peracta, diuerſis tamen annis accidiſſe conſtat, Cum igitur Magorum rebus commemorandis per hoſce dies Matthæi Euangelium recitauerit, hodierno die Ioannis Euangelium adhibet Eccleſia, quo baptiſmi Chriſti gloria innoteſcat, quem Ioannes ille Baptiſta prædicat, & ſanguinis ſui effuſione peccata delere, & beptiſmi à ſe inſtituti virtute & vi Spiritũ ſanctum hominibus conferre. Itaq; ait Ioannem Baptiſtam Chriſtum ad ſe venientem vidiſſe, quando id contigerit, non admodum moror. quidam enim proximo poſt legationem Iudæorum ſuſceptã die, alij longo poſt interuallo contigiſſe volunt. Vt vt ſit, certe iã baptizauerat Chriſtum Ioãnes, cũ hic ad ſe euntem ſpectauit. Atque eam ob rem hic vir non ſolum propheta, ſed etiam pluſquam propheta celebratur, quemadmodum hoc loco Cyrillus expoſuit, quod alij plerique prophetæ venturum quidem Chriſtum viderint: hic & venientem vidit & alijs indicauit. Quid enim non agnoſceret & proderet in illa ætate, qui vix perfecte formatus in vtero materno, venientem olim non modo cognouit, verum etiam ſaltu & pulſu, quia voce non poterat, matri demonſtrauit? Idcirco enim ſe veniſſe profitetur, vt ſũmi Regis Chriſti & præco eſſet & nuntius. Sed quæ hodie collata eſt Ioãni gratia, vidit enim Ieſum venientem ad ſe, ſuoq; modo iuſtis confertur omnibus. Eſt autem grande quidem Dei beneficium, quod ad hominem venit, ſed neceſſarium plane propterea quod nequit homo ad Deum venire, niſi ad ſe venientem primum exceperit Deũ, quare

Cyrill. Alexãd. in expoſit. Euang.

Ioan. 1.

quare à ſapiente ſcriptum eſt: *Praeoccupat eos qui ſe concupiſcunt: quoniam dignos ſeipſa circuit quærens.* At non minoris beneficij loco numerandum, ſi datur homini venientem ad ſe Deum videre, hoc eſt Dei gratiam vt oportet, agnoſcere, quod Ioanni contingit, qui venientem Chriſtum cognouit. Fit ſæpenumero, vt aduentus Dei non innoteſcat homini, niſi putemus ſanctum Iob falli ita dicentem, *ſi venerit ad me, non intelligam: & ſi abierit, non cognoſcam.* Aut Pſalmiſtam non vere pronuntiaſſe. *Semitæ tuæ in aquis multis: & veſtigia tua non cognoſcentur.* Nam & potentiæ Dei mirabiles & inſcrutabiles ſunt progreſſus, & gratiæ occultæ ſubtileſque motiones. Itaque nouo beneficio aſcribendum eſt, quod interdum ipſa Dei beneficia diuina homini patefiunt, vt digne quoad vtatur, & gratiam habeat, quam referre non poteſt. Inſpirationi cœleſti paret, conſilia vitæ perfectionis ſuſcipit: mortalibus anteponit ſempiterna. Quod Paulus monet, *Contemplantes ne quis deſit gratiæ Dei.* quo Amos Propheta prædicat, *Præparare in occurſum Dei tui.* Sapientum vox eſt, occaſionem boni non eſſe ſinendam è manibus elabi. Id præſtari recte non poteſt niſi bonum pateat. Cum ſatis perſpectum ſit, tenendum fortiterque figendum *Inueni*, inquit, *quem diligit anima mea: tenui eum, nec dimittam.* Ioannes ſane qui Chriſtum videbat venire, & ipſe tanto munere fruebatur, & alijs non inuidebat. Itaque clamabat, *Ecce agnus Dei.* Id enim proximum eſt, vt qui Dei maieſtatem ſentit, quibus poteſt, annuntiet, quo liceat pluribus iis opibus frui, quæ in multos diſtributæ, minime imminuuntur. *Quam ſine fictione didici*, aiebat Salomon, *& ſine inuidia communico: infinitus enim eſt theſaurus hominibus.* Quid enim non ſit, qui Dei ipſa ſapientia, ipſa gloria & felicitas ſit?

Sapient. 6. *Iob. 9.* *Pſal. 76.* *Heb. 12.* *Amos. 4.* *Cant. 3.* *Sapien. 7.*

2 Quid Agnus Dei in Chriſto ſignificet. *Ecce*, inquit, *agnus Dei*. Delicias mihi videtur ipſas Dei dicere: quod Chriſtus proprie is ſit, qui Deo charus, iucundus, ac gratus ſit: ſine quo nihil illi iucundum & gratum. *Ecce puer meus quem elegi, dilectus meus, in quo bene complacuit ſibi animæ meæ.* (*Eſai* 24. *Matth.* 21.) Sic Matthæus recitat Iſaiæ teſtimonium, partim Hebraicæ veritati partim ſeptuaginta interpretum editioni conſentiens. Tanquam ergo puerum Dei, vnicum filium eius Ieſum Chriſtum agnum Dei nominauit Ioannes, vt Clementi placet Alexandrino. (*Clemens Alexand. lib. Pædagog* 1. c. 5. 2. *Reg.* 25.) Appellatus quidem eſt Salomon, amabilis Domino, at cum in tanta flagitia prolapſus ſit, ſignificaſſe potius quam exhibuiſſe eum: qui vnicè Deo charus ſit, facile intelligi poteſt. Vnus Chriſtus vere amabilis Deo, quique omnes eius voluptates implet; ſolus per ſe Patri acceptus & gratus. Nam etſi ſunt agni, alij ſancti, tamen agnus Dei ille ſingularis, ſolus eſt Chriſtus: quod Auguſtinus dicit his verbis: (*Aug tract.* 7. *in Ioan.*) *Vtique ſingulariter iſte agnus: nam & diſcipuli dicti ſunt agni. Ecce ego mittam vos ſicut agnos in medio luporum. Agnus ſingulariter, ſine macula, ſine peccato: non cuius maculæ abſterſæ ſunt, ſed cuius macula nulla fuerit. Ipſe Ioannes non erat Agnus? non erat vir ſanctus? non erat amicus ſponſi? Ergo ſingulariter ille, hic eſt agnus Dei, quia ſingulariter huius agni ſanguine ſolo homines redimi potuerunt.* (*Exod.* 12. *Eſa.* 53.) Ergo agni nomen præcip: Chriſto tributum, quod immolatus pro nobis ſit: quem Moyſes figurauit, quem Eſaias prædixit: cuius agni deſiderio homines tenebantur. Atque vt Cyrillus & Theophilactus ſentiunt, (*Cyrill. hic. Theophil. ibidem.*) ideo agnus ille cum Emphaſi & articulo Græco dicitur, vt intelligatur is eſſe agnus, quem lex & prophetæ denuntiarant. Itaque propter ſacrificium maxime Chriſtus dictus eſt agnus Dei, vel Deo oblatus, vel etiã à Deo traditus propter nimiã charitatẽ ſuam qua dilexit nos, eodem Theophilacto autore

Sed

Sed mores nihilominus ſuauiſſimos, Deoque gratiſſimos in Chriſto agni verbum declarat. Ergo id vt exprimat Ioannes, Agnum vocat Dei, quod ſoleant vulgo iucunda eſſe & amica, quæ ſimplicitatem quandam, ac manſuetudinem inter animalia præſeferunt, ita catellos, paſſerculos, & auiculas, aut animalcula id genus placida atque facilia inter delitias haberi plerunque videmus. In quo genere excellit ſane agni candor ac ſimplicitas quædam, valde delectans. Eſt enim præ cæteris animal mite, innoxium, tractabile, iniuriæ patiens, aculei omnis atque fellis expers. Quæ plane omnia in hūc cæleſtem agnum mirificè conueniunt. Cuius innocentiam, manſuetudinem, iniuriarum tolerantiam Petrus explicat illis verbis: *Qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius: qui cum male diceretur, non maledicebat, cum pateretur non comminabatur, tradebat autem iudicanti ſe iniuſte.* Neque Hieremias aliud declarat, cum Chriſti ex perſona loquitur, *& ego quaſi agnus manſuetus, qui portatur ad victimam.* Nos igitur ſi Deo grati eſſe cupiamus, hunc agnum quem nobis indicat Ioannes, geſtemus in manibus, Patri offeramus munus omnium longe gratiſſimum. Idcirco in templo agnus offerebatur bis quotidie, mane & veſpere, quod fidei noſtræ & autor & conſummator ſit, vt loquitur Paulus, Chriſtus Ieſus. Hunc proinde Daniel in conſpectum altiſsimi obtuliſſe ſcribit gentes, ac nationes omnes. Per hunc nos habere acceſſum ad Deum Paulus prædicat: ſine hoc nihil Deo acceptum, nihil poteſt eſſe iucundum, Denique vt idem ſcribit Colloſſenſibus, *Ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ, qui eſt principium, primogenitus ex mortuis: vt ſit in omnibus ipſe primatum tenens, quia in ipſo complacuit omnem plenitudinem inhabitare & per eum reconciliare omnia in ipſum.* Quapropter cum è baptiſmo emerſiſſet Chriſtus, columbæ ſpecie ſpiritus S.

1. Pet. 2.
Hierem. 11
Exod 29.
Num. 28.
Hebr. 12.
Daniel. 7.
Ephes. 3.
Coloſſ. 1.

etiam regni immortalis & ſacerdotij præſtantiſſimi munere decorati ſimus: vt ſimul regnemus cum Christo.

Quam inauditam Chriſti atque incredibilem erga mortales munificentiam, etiam Angelorum ordines perpetuo cantu ac laude digniſſima proſequuntur, ita exclamantes: *Dignus eſt agnus qui occiſus eſt, accipere virtutem & diuinitatem, & ſapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam & benedictionem.* Cæleſtibus terrena conſentiunt, excelſis illis iſta infima, omnem enim creaturam terrenam & ſubterraneam concinuiſſe his vocibus refert Apocalypſis: *Sedenti in throno & agno, benedictio, & honor, & gloria, & poteſtas in ſeculorum.* Quo pacto peccata mundi tollat hic agnus, venerabilis Beda luculentiſſimè docet his verbis: *Dilexit nos, & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo. Non ſolum autem lauit nos in ſanguine ſuo, quando ſanguinem ſuum dedit in cruce pro nobis, vel quando vnuſquiſque noſtrum myſterio paßionis illius baptiſmo aquæ ablutus eſt, verumetiam quotidie tollit peccata mundi, lauatque nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo, cum eiuſdem beatæ paßionis ad altare memoria replicatur, cum panis & vini creatura in ſacramentum carnis & ſanguinis eius ineffabili ſpiritus ſanctificatione transfertur, ſicque corpus & ſanguis illius non infidelium manibus ad perniciem ipſorum funditur, ſed fidelium ore ſumitur ad ſalutem. Cuius recte figuram agnus ille paſchalis oſtendit.*

Apocal. 5.

Apoc. 5.

Beda in expoſ. Euang.

Hæc Beda, cui Theophylactus conſentit ſic dicens: *Non dixit, Qui abſtulit peccata, ſed qui tollit in præſenti peccata noſtra. Quotidie enim tollit peccata noſtra: & aliorum quidem per baptiſmum, aliorum autem per pœnitentiam.* Quæ cũ ita ſint, nulla erit venia dignus peccator qui oblatam ſibi ſalutẽ per Chriſtum vel contẽpſerit, vel etiã neglexerit. Nam infinito peccatorũ pondere quãuis obruatur, licet venire ad gratiam,

fas

1. Ioan. 2. faſ eſt Deo reconciliari per agnum. *Ipſe eſt enim propitiatio pro peccatis noſtris, non ſolum autem pro noſtris, ſed & pro totius mundi.* Hic eſt ergo qui baptizat in Spiritu ſancto: qui demergit culpas omnes noſtras in mare: vt Aegypti nos perſequentes minime exiſtant, baptiſmi tanquam maris rubri Chriſti, ſcilicet, cruore tincti fluctibus, penitus abſumpti ac deuorati. Hic eſt ille Ieſus qui lætiſſimum populum & diuinitus data victoria ouantem in terram promiſsionis inducit, in regna lacte & melle manantia: ſiquidem *Agnus qui in medio throni eſt, reget eos,* (ait Ioannes Apoſtolus) *& deducet eos ad vitæ fontes aquarum.* Apoc. 7.

4 Quales nos exhibere erga Agnũ Dei debeamus.

Huic igitur Agno, fratres, gratias ſempiternas agamus, quod nos in gregem ſuorum adnumerauerit, quod ſanguine ſuo & carne pauerit, quod vellere mundiſsimo veſtierit atque exornarit, quod munus ſeſe nobis ipſe præbuerit: quod quidem munus pro nobis, pro noſtris, pro impetrandis proſperis, & auertendis aduerſis, Patri iuge ſemper offerre poſsimus. Quis enim tot ac tantis beneficijs Chriſti non dicam exſoluendis, non dicam etiam commemorandis, ſed cogitandis ſaltem par eſſe queat? Pſal. 115. *Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi?* At illud omnino retineamus & maneat, ne Agnum hunc cæleſtem ferinis moribus affligamus, ne lupos nos aut vulpes exhibeamus. Agnus eſt, agnorum ſocietatem & gregem amat: delectatur ſynceris & candidis animis: mites atque manſuetos ſibi aſciſcit, patientes & tolerantes iniuriarum cohoneſtat. Matth. 11. Diſcere à ſe omnes iubet, qui ſit mitis atque humilis corde. Cum agnis agnum ludere videmus ac feſtiuè verſari. Eſai. 40. De eo Eſaias canit: *In brachio ſuo congregabit agnos: fœtas ipſe portabit,* vt blandientē agnis teneroque ac ſimplici gregi indulgentem perſpicientemque intelligamus Hieronymi commentarij id ha-

id habent: *In brachio*, inquit, *ſuo congregabit agnos. Non tauros, & arietes, & hircos, & grandes oues, quibus per Ezechielem comminatur, quod lacte veſcantur, & operiantur lanis, & infirmum conterant gregem, ſed agnos adhuc tenellos, & rudis in Chriſto infantiæ.* Ac fuit vetuſtus mos Eccleſiæ primæuæ Chriſtum inter agnos coronatos pingere, quod Romana nonnulla hodie quoque monumenta oſtendunt, præſertim in æde ſancti Clementis: quo ex inſtituto illud præterea manauit, quod tempore Reſurrectionis Eccleſia Romana canit: *Iſti ſunt agni nouelli qui annuntiauerũt: modo venerunt ad fontes: repleti ſunt claritate in conſpectu agni amicti ſunt ſtolis albis & palma in manibus eorum.* Quod carmen in Apoſtolos atque Apoſtolorum ſimiles dici perſpicuum eſt. Demus igitur operam fratres, vt agni velleribus, id eſt,leniſsimis nos moribus induamus, magiſque Iacob ſimiles, quam Eſau eſſe velimus. Neque enim venatores aſtutos & truculentos mitiſsimus agnus amat: fugit potius ac deuitat feroces, ſuperbos, crudeles. Procul ſint veſpertini lupi de quibus loquuntur Habacuch, & Sophonias Prophetæ, nihil aliud quam prædam meditantes, atque ſanguini innoxio inhiantes: recedant longe vulpes inſidioſæ ac fallaces, tenero gregi minime parcentes, Rapinam, dolum, cruoris ſitim odit atque execratur ille agnus. Nulla rapacium volucrum, nulla aduncis vnguibus auis ſacrificio Dei idonea habebatur lege. Mundus quidem iſtos leones admiratur, aquilas prædictas potentia tollit in cælum: at Chriſto cordi eſt puſillus grex, quem demulcet, ac bene ſperare iubet. *Nolite timere*, inquit, *puſillus grex: quia complacuit Patri veſtro dare vobis regnum.* De ſuperbis autem & potentibus quid refert? quid? *Ibi*, inquit, *fuerunt gigantes nominati illi qui ab initio fuerunt, ſtatura magna, ſcientes bellum. Non hos elegit Dominus.* Quare faſtu omni atque ambitione

Hieron. lib. 11. in Eſai.

Habac. 1. Sophon. 3.

Luc. 12.

Baru. 3.

Et idem in alia epiſtola. *Quam à puero de Deo ſententiam à beata matre & nutrice mea Macrina accepi, illam iuſtis incrementis auctam in meipſo conſeruaui*, Neque vero conniuendum eſt, aut vllo modo aſſentiendum ijs, qui ineptam ad hæc ſeria & grauia puerilem ætatem cauſantur, quippe cum vtramque partem ſit plurimum in prima illa tinctura momenti. Contra iſtorum ineptam pernitioſamque ſententiam declamauit, vel ſcripſit potius Diuus Ioãnes Chryſoſtomus elegantiſſimam orationem, quam in eis libris eruditi cum legerint, vehementer probabunt Quid enim? Nonne puerum vel infantem potius quinquennem blaſphemijs aſſuetum è ſinu patris abreptum, atque necatum à dæmonibus, idoneus certe autor & teſtis Gregorius literis prodidit? Cuius tanti Patris verba quoque recitare iuuat, vt horribili documento parentes paruulorum etiam vitia extimeſcant. *Quidam vir cunctis in hac vrbe notiſſimus, ante triennium filium habuit annorum ſicut arbitror, quinque, quem nimis carnaliter diligens remiſſe nutriebat. atque idem paruulus, quod dictum graue eſt, mox vt eius animo aliquid obtitiſſet, maieſtatem Dei blaſphemare conſueuerat, qui in hac ante triennium mortalitate percuſſus venit ad mortem. Cumque eum ſuus pater in ſinu teneret: malignos ad ſe veniſſe ſpiritus trementibus oculis puer aſpiciens cœpit clamare: obſta pater, obſta pater, Mauri homines venerunt, qui me tollere volunt. Cui cum hoc dixiſſet, maieſtatis nomen protinus blaſphemauit, & animam reddidit, Vt enim omitto; ni Deus oſtenderet pro quo reatu, talibus fuiſſe traditus executoribus, vnde viuentem pater ſuus noluit corrigere, hoc morientem permiſit iterare: quatenus reatum ſuum pater agnoſceret, qui paruuli filij animam negligens, non paruulum peccatorem gehennæ ignibus nutriſſet*. Huc vſque Gregorius cui fidem habere tam propinqua narranti, inuerecundum ſit non parere religioſè ac ſanctè mo-

Chryſoſt.

Greg. 4. dialog. c. 18.

ᶏe monenti, ſceleſtum. Extrema iam orationis de recte educandis liberis habitæ Pauli autoritas ſit;ſic & parentes, & liberos cohortantis: *Filij obedite parentibus veſtris in Domino, hoc enim iuſtum eſt: Honora patrem tuum & matrem tuam (quod eſt mandatum primum in promiſsione) vt bene ſit tibi, & ſis longæuus ſuper terram. Et vos patres nolite ad iracundiam prouocare filios veſtros: ſed educate illos in diſciplina & corruptione Domini.* Cuius rei documentum Chriſtus, vt initio diximus, ſe præbuit optimum & maximum: quem propterea agnum Dei vocitatū ſentit Clemens Alexādrinus, quod pueros agnorum verbo ſcriptura ſignificet. *De hoc, inquit, puello fert quoque teſtimonium Iaannes, qui eſt maior propheta inter natos mulierum, ecce agnus Dei. Quoniam enim ſcriptura pueros ac infantes agnos vocat, Deum, qui eſt verbum, qui propter nos homo factus eſt, qui nobis in omnibus aſsimulari volebat, vocauit agnum Dei, filium Dei, infantem Patris.* Itaque qui filius erat Patris ſempiterni, filius eſſe matris humilis non eſt dedignatus, vt obedientiam ac pietatem factis ipſis, non verbis tantum mortales doceret.

Epheſ. 6.

Clem. Alexand. lib. 1 pædagog. c. 5.

IN OCTAVA EPIPHANIAE

Vidit Ioannes Ieſum venientem ad ſe & ait. Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.

Ioan. 1.

Diuinæ declarationis illuſtrem diem Epiphaniæ verbo, à veteribus appellatū, non ſo- 1 Quid ſit videre

 lum

Chriſtum ad ſe venientem.

lum Magorum aduentu atque adoratione Eccleſia inſignitum celebrat, ſed etiam baptiſmo Chriſti ac miraculo aquæ in vinum mutatę conderatum, quemadmodum cum Patrum frequentes conciones, tum ipſius Eccleſiæ voces eius diei teſtantur: quæ quamuis vno die tradantur diuinitus peracta, diuerſis tamen annis accidiſſe conſtat. Cum igitur Magorum rebus commemorandis per hoſce dies Matthæi Euangelium recitauerit, hodierno die Ioannis Euangelium adhibet Eccleſia, quo baptiſmi Chriſti gloria innoteſcat, quem Ioannes ille Baptiſta prædicat, & ſanguinis ſui effuſione peccata delere, & beptiſmi à ſe inſtituti virtute & vi Spiritũ ſanctũm hominibus conferre. Itaq; ait Ioannem Baptiſtam Chriſtum ad ſe venientem vidiſſe, quando id contigerit, non admodum moror. quidam enim proximo poſt legationem Iudæorum ſuſceptã die, alij longo poſt interuallo contigiſſe volunt. Vt vt ſit, certe iã baptizauerat Chriſtum Ioãnes, cũ hic ad ſe euntem ſpectauit. Atque eam ob rem hic vir non ſolum propheta, ſed etiam pluſquam propheta celebratur, quemadmodum hoc loco Cyrillus expoſuit, quod alij plerique prophetæ venturum quidem Chriſtum viderint: hic & venientem vidit & alijs indicauit. Quid enim non agnoſceret & proderet in illa ætate, qui vix perfecte formatus in vtero materno, venientem olim non modo cognouit, verum etiam ſaltu & pulſu, quia voce non poterat, matri demonſtrauit? Idcirco enim ſe veniſſe profitetur, vt ſũmi Regis Chriſti & præco eſſet & nuntius. Sed quæ hodie collata eſt Ioãni gratia, vidit enim Ieſum venientem ad ſe, ſuoq; modo iuſtis confertur omnibus. Eſt autem grande quidem Dei beneficium, quod ad hominem venit, ſed neceſſarium plane propterea quod nequit homo ad Deum venire, niſi ad ſe venientem primum exceperit Deũ,

Cyrill. Alexãd. in expoſit. Euang.

Ioan. 1.

quare

quare à ſapiente ſcriptum eſt: *Praeoccupat eos qui ſe concupiſcunt: quoniam dignos ſeipſa circuit quærens.* *Sapient.6.*
At non minoris beneficij loco numerandum, ſi datur homini venientem ad ſe Deum videre, hoc eſt Dei gratiam vt oportet, agnoſcere, quod Ioanni contingit, qui venientem Chriſtum cognouit. Fit ſæpenumero, vt aduentus Dei non innoteſcat homini, niſi putemus ſanctum Iob falli ita dicentem, *ſi venerit ad me, non intelligam: & ſi abierit, non cognoſcam.* Aut Pſalmiſtam non vere pronuntiaſſe. *Semitæ tuæ in aquis multis: & veſtigia tua non cognoſcentur.* Nam & potentiæ Dei mirabiles & inſcrutabiles ſunt progreſſus, & gratiæ occultæ ſubtileſque motiones. Itaque nouo beneficio aſcribendum eſt, quod interdum ipſa Dei beneficia diuina homini patefiunt, vt digne quoad vtatur, & gratiam habeat, quam referre non poteſt. Inſpirationi cœleſti paret, conſilia vitæ perfectionis ſuſcipit: mortalibus anteponit ſempiterna. Quod Paulus monet, *Contemplantes ne quis deſit gratiæ Dei.* quo Amos Propheta prædicat, *Præparare in occurſum Dei tui.* Sapientum vox eſt, occaſionem boni non eſſe ſinendam è manibus elabi. Id præſtari recte non poteſt niſi bonum pateat. Cum ſatis perſpectum ſit, tenendum fortiterque figendum *Inueni*, inquit, *quem diligit anima mea: tenui eum, nec dimittam.* Ioannes ſane qui Chriſtum videbat venire, & ipſe tanto munere fruebatur, & alijs non inuidebat. Itaque clamabat, *Ecce agnus Dei.* Id enim proximum eſt, vt qui Dei maieſtatem ſentit, quibus poteſt, annuntiet, quo liceat pluribus ijs opibus frui, quæ in multos diſtributæ, minime imminuuntur. *Quam ſine fictione didici*, aiebat Salomon, *& ſine inuidia communico: infinitus enim eſt theſaurus hominibus.* Quid enim non ſit, qui Dei ipſa ſapientia, ipſa gloria & felicitas ſit?

Iob. 9. *Pſal.76.* *Heb.12.* *Amos.4.* *Cant.3.* *Sapien.7.*

2 Quid Agnus Dei in Christo ſignificet. *Ecce*, inquit, *agnus Dei*. Delicias mihi videtur ipſas Dei dicere: quod Chriſtus proprie is ſit, qui Deo charus, iucundus, ac gratus ſit: ſine quo nihil illi iucundum & gratum. *Ecce puer meus quem elegi, dilectus meus, in quo bene complacuit ſibi anima mea*. Sic Matthæus recitat Iſaiæ teſtimonium, partim Hebraicæ veritati partim ſeptuaginta interpretum editioni conſentiens. Tanquam ergo puerum Dei, vnicum filium eius Ieſum Chriſtum agnum Dei nominauit Ioannes, vt Clementi placet Alexandrino. Appellatus quidem eſt Salomon, amabilis Domino, at cum in tanta flagitia prolapſus ſit, ſignificaſſe potius quam exhibuiſſe eum: qui vnicè Deo charus ſit, facile intelligi poteſt. Vnus Chriſtus vere amabilis Deo, quique omnes eius voluptates implet; ſolus per ſe Patri acceptus & gratus. Nam etſi ſunt agni, alij ſancti, tamen agnus Dei ille ſingularis, ſolus eſt Chriſtus: quod Auguſtinus dicit his verbis: *Vtique ſingulariter iſte agnus: nam & diſcipuli dicti ſunt agni. Ecce ego mittam vos ſicut agnos in medio luporum. Agnus ſingulariter, ſine macula, ſine peccato: non cuius maculæ abſterſæ ſunt, ſed cuius macula nulla fuerit. Ipſe Ioannes non erat Agnus? non erat vir ſanctus? non erat amicus ſponſi? Ergo ſingulariter ille, hic eſt agnus Dei, quia ſingulariter huius agni ſanguine ſolo homines redimi potuerunt*. Ergo agni nomen præcip[ue] Chriſto tributum, quod immolatus pro nobis ſit: quem Moyſes figurauit, quem Eſaias prædixit: cuius agni deſiderio homines tenebantur. Atque vt Cyrillus & Theophilactus ſentiunt, ideo agnus ille cum Emphaſi & articulo Græco dicitur, vt intelligatur is eſſe agnus, quem lex & prophetæ denuntiarant. Itaque propter ſacrificium maxime Chriſtus dictus eſt agnus Dei, vel Deo oblatus, vel etiã à Deo traditus propter nimiã charitatẽ ſuam qua dilexit nos, eodem Theophilacto autore.

Eſai 24. *Matth. 21.* *Clemens Alexand. lib. Pædagog l. c. 5.* *2. Reg. 25.* *Aug tract. 7. in Ioan.* *Exod. 12.* *Eſa. 53.* *Cyrill. hic. Theophil. ibidem.*

Sed

Sed mores nihilominus ſuauiſſimos, Deoque gratiſſimos in Chriſto agni verbum declarat. Ergo id vt exprimat Ioannes, Agnum vocat Dei, quod ſoleant vulgo iucunda eſſe & amica, quæ ſimplicitatem quandam, ac manſuetudinem inter animalia præſeferunt, ita catellos, paſſerculos, & auiculas, aut animalcula id genus placida atque facilia inter delitias haberi plerunque videmus. In quo genere excellit ſane agni candor ac ſimplicitas quædam, valde delectans. Eſt enim præ cæteris animal mite, innoxium, tractabile, iniuriæ patiens, aculei omnis atque fellis expers. Quæ plane omnia in hunc cæleſtem agnum mirificè conueniunt. Cuius innocentiam, manſuetudinem, iniuriarum tolerantiam Petrus explicat illis verbis: *Qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius: qui cum male diceretur, non maledicebat, cum pateretur non comminabatur, tradebat autem iudicanti ſe iniuſte.* Neque Hieremias aliud declarat, cum Chriſti ex perſona loquitur, *& ego quaſi agnus manſuetus, qui portatur ad victimam.* Nos igitur ſi Deo grati eſſe cupiamus, hunc agnum quem nobis indicat Ioannes, geſtemus in manibus, Patri offeramus munus omnium longe gratiſſimum. Idcirco in templo agnus offerebatur bis quotidie, mane & veſpere, quod fidei noſtræ & autor & conſummator ſit, vt loquitur Paulus, Chriſtus Ieſus. Hunc proinde Daniel in conſpectum altiſsimi obtuliſſe ſcribit gentes, ac nationes omnes. Per hunc nos habere acceſſum ad Deum Paulus prædicat: ſine hoc nihil Deo acceptum, nihil poteſt eſſe iucundum, Denique vt idem ſcribit Colloſſenſibus, *Ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ, qui eſt principium, primogenitus ex mortuis: vt ſit in omnibus ipſe primatum tenens, quia in ipſo complacuit omnem plenitudinem inhabitare & per eum reconciliare omnia in ipſum.* Quapropter cum è baptiſmo emerſiſſet Chriſtus, columbæ ſpecie ſpiritus S.

1. Pet. 2. *Hierem. 11* *Exod. 29.* *Num. 28.* *Hebr. 12.* *Daniel. 7.* *Epheſ. 3.* *Coloſſ. 1.*

etiam regni immortalis & ſacerdotij præſtantiſſimi munere decorati ſimus: vt ſimul regnemus cum Chriſto.

Quam inauditam Chriſti atque incredibilem erga mortales munificentiam, etiam Angelorum ordines perpetuo cantu ac laude digniſſima proſequuntur, ita exclamantes: *Dignus eſt agnus qui occiſus eſt, accipere virtutem & diuinitatem, & ſapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam & benedictionem.* Cæleſtibus terrena conſentiunt, excelſis illis iſta infima, omnem enim creaturam terrenam & ſubterraneam concinuiſſe his vocibus refert Apocalypſis: *Sedenti in throno & agno, benedictio, & honor, & gloria, & poteſtas in ſeculorum.* Quo pacto peccata mundi tollat hic agnus, venerabilis Beda luculentiſſimè docet his verbis: *Dilexit nos, & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo. Non ſolum autem lauit nos in ſanguine ſuo, quando ſanguinem ſuum dedit in cruce pro nobis, vel quando vnuſquiſque noſtrum myſterio paßionis illius baptiſmo aquæ ablutus eſt, verumetiam quotidie tollit peccata mundi, lauatque nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo, cum eiuſdem beatæ paßionis ad altare memoria replicatur, cum panis & vini creatura in ſacramentum carnis & ſanguinis eius ineffabili ſpiritus ſanctificatione transfertur, ſicque corpus & ſanguis illius non infidelium manibus ad perniciem ipſorum funditur, ſed fidelium ore ſumitur ad ſalutem. Cuius recte figuram agnus ille paſchalis oſtendit.*

Apocal. 5.

Apoc. 5.

Beda in expoſ. Euang.

Hæc Beda, cui Theophylactus conſentit ſic dicens: *Non dixit, Qui abſtulit peccata, ſed qui tollit in præſenti peccata noſtra. Quotidie enim tollit peccata noſtra: & aliorum quidem per baptiſmum, aliorum autem per pœnitentiam.* Quæ cũ ita ſint, nulla erit venia dignus peccator qui oblatam ſibi ſalutẽ per Chriſtum vel contẽpſerit, vel etiã neglexerit. Nam infinito peccatorũ pondere quanuis obruatur, licet venire ad gratiam,

fas

id habent: *In brachio*, inquit, *ſuo congregabit agnos. Non tauros, & arietes, & hircos, & grandes oues, quibus per Ezechielem comminatur, quod lacte veſcantur, & operiantur lanis, & infirmum conterant gregem, ſed agnos adhuc tenellos, & rudis in Chriſto infantiæ.* Ac fuit vetuſtus mos Eccleſiæ primæuæ Chriſtum inter agnos coronatos pingere, quod Romana nonnulla hodie quoque monumenta oſtendunt, præſertim in æde ſancti Clementis: quo ex inſtituto illud præterea manauit, quod tempore Reſurrectionis Eccleſia Romana canit: *Iſti ſunt agni nouelli qui annuntiauerũt: modo venerunt ad fontes: repleti ſunt claritate in conſpectu agni amicti ſunt ſtolis albis & palma in manibus eorum.* Quod carmen in Apoſtolos atque Apoſtolorum ſimiles dici perſpicuum eſt. Demus igitur operam fratres, vt agni velleribus, id eſt, leniſsimis nos moribus induamus, magiſque Iacob ſimiles, quam Eſau eſſe velimus. Neque enim venatores aſtutos & truculentos mitiſsimus agnus amat: fugit potius ac deuitat feroces, ſuperbos, crudeles. Procul ſint veſpertini lupi de quibus loquuntur Habacuch, & Sophonias Prophetæ, nihil aliud quam prædam meditantes, atque ſanguini innoxio inhiantes: recedant longe vulpes inſidioſæ ac fallaces, tenero gregi minime parcentes. Rapinam, dolum, cruoris ſitim odit atque execratur ille agnus. Nulla rapacium volucrum, nulla aduncis vnguibus auis ſacrificio Dei idonea habebatur lege. Mundus quidem iſtos leones admiratur, aquilas prædictas potentia tollit in cælum: at Chriſto cordi eſt puſillus grex, quem demulcet, ac bene ſperare iubet. *Nolite timere*, inquit, *puſillus grex: quia complacuit Patri veſtro dare vobis regnum.* De ſuperbis autem & potentibus quid refert? quid? *Ibi*, inquit, *fuerunt gigantes nominati illi qui ab initio fuerunt, ſtatura magna, ſcientes bellum. Non hos elegit Dominus.* Quare faſtu omni atque ambitione

Hieron. lib. 11. in Eſai.

Habac. 1. Sophon. 3.

Luc. 12.

Baru. 3.

tione depoſita, rapacitate auaritiaque detracta, abiecta fallacia & dolo omni, ſimplicem, ac candidam mentem recipiamus, agno vitę innocentia & manſuetudine congruamus, quo liceat agni beatiſſimi conſpectu ſempiterno frui.

IN DOMINICA SECVNDA POST EPIPHANIAM,

De Matrimonio.

Nuptiæ factæ ſunt in Chana Galilææ: & erat mater Ieſu ibi: vocatus eſt autem & Ieſus & diſcipuli eius ad nuptias. Ioan. 2.

1 Matrimonium à Deo inſtitutum à Chriſto honoratũ atque perfectum.

CVM Euangelicæ legis Conditor Chriſtus, perfectiorem ſanctioremque vitæ gradum, continentia rerumque ſecularium contemptu, inducturus vel ſermone vel exemplo ſuo eſſet, ne præſtantioris boni electione inferiorem conditionem improbare ac repudiare videretur, ſummo conſilio legitimas neceſſariaſque vitæ mortalium nuptias, non ſolum verbis confirmandas, ſed ſua quoque præſentia ac dignitate decorandas exiſtimauit. Rectè enim Cyrillus atque Auguſtinus & vtroque antiquior Gaudentius Brixienſis epiſcopus eius facti, hanc quam dixi rationem eſſe confirmant. Nam matrimonij iuſtum ſanctumque fœdus & vinculum ipſe Chriſtus primum diuina autoritate inſtituit in ipſis humani generis primordijs: deinde prauis opinionibus abuſuſque hominum deformatum Euangelicis præceptis

Cyrill. in expoſit. Euãg. Aug. tract. 9. in Ioan. Gaudentius tract. 1. in hoc Euang.

›oſtremo paſſione ſua ac ſanguine eo
‚t atque ita perfecit, vt non modo na-
ſtatem contineret, ſed diuinæ etiam
hriſtianis coniugibus, vtpote ſacra-
iſsimum more cæterorum adferret.
lo amplius explico, attendite. Auto-
ıtrimonij primum ac ſummum fuiſ-
iſtus ipſe aperte declarat. Nam cum
n ex coſta ſibi detracta aſpexiſſet, qui
: animantibus perſpectis, nullius co-
ortium concupiuit, in mulierem in-
ım ſibi importunam conſiderans, ita
Hoc nũc os ex oſsibus meis. & caro de carnẽ
:linquet homo patrẽ ſuũ. & matrem & ad-
‹æ: & erũt duo in carne vna. Ille autem,
:x oſſibus meis. & caro de carne mea,
c ſibi gratulantis verba ſunt, quaſi prę
ıtibus quæ cõſpexerat, hoc vnũ ſibi eſ-
ıraret, cuius perpetuã ſocietatẽ & vitæ
inẽ ſatis ſequentibus verbis indicauit.
æ primi noſtri parẽtis verba Chriſtus
:o propriè tribuat. Rogatus enim cau-
›nij atq; diuortij, ad hunc modũ reſpõ- *Matth 19.*
ſ, quia qui fecit hominẽ ab initio, maſculum *Conc. Trid.*
·cit eos, & dixit: Propter hoc dimittet homo *ſeſſ. 24 c. 1.*
rem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo *1 Timot. 4.*
·taque iam non ſunt duo, ſed vna caro. Quod *Gaudentius*
iunxit, homo non ſeparet. Adæ verba, *tractat. 1 in*
:e Chriſtus dixit, propterea quod A- *hoc Euang.*
nſtinctu locutus eſt, magis diuinæ le- *& tract. 8.*
omulgator ipſe quã Conditor. Quem- *in 7. tom.*
ıtres in Cõcilio Tridentino ſentiunt. *bibli 55.*
eus nuptiarũ autor ſit, non poteſt eſſe *Patrum.*
ı vituperatores matrimonij Satanę mi *Epi hær. 46*
: diabolico inſtinctu loquãtur, in quos *& 47. de*
edent, inquit, *quidam à fide attendentes* *Tatianis &*
ſpiri-

Encratitis. Idem hæreſi 67. de Hieracitis. *ſpiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum, nubere.* Manichæos nimirum & Tatiar titas hęreticos prædicens, qui nuptias ta turpem & prauam repudiabant, aut eti Euangelica ſublatas aſſerebant, vt Hier tici. Pulchrè autem B. Gaudentius hoc l nichæos inuehitur: *Manichæus perditiſ ma Deo conſtitutum diſplicet, quibus ego ob immun puto non vtique rem nuptialem diſplicere, ſe non multas fœminas vni viro coniungit.* Quai

Plato. in dialogo 5. de Repub. alioque eximij Philoſophi, non modo ir da, ſed irridenda atque explodenda eſt ſt ſententia, communes vxores: remque on iugalem incertam introducentis, qui dum tem ac beneuolentiam omnium ergo om parentum augere, & Rempublicam arctius

Ariſt. lib. 2. Polit. c. 2. ſtringere putat, nihil aliud agit, vt Ariſtote me oſtendit, quam vt nullus ſit amor patern la prouidentia in filios: quo nihil poteſt dementius. Quis enim parentis amorem cu præſtet in eum, quem minime ſuum eſſe arbi Plane res ea atque Socratis ſiue Platonis tam error in re tanta ſatis declarant, quam ſint num eorum etiam qui ſibi ſapientes videntu ſurdæ ſæpe ſententię, cum humano tantum i nituntur. Quorum debet eſſe tanto minor aut quoties diuinis inſtitutis, quæ fides Chriſtian bet, repugnant. Quoniam vero matrimoni

Aug. tract. 9. in Ioan. Deo eſſe conſtat, rectè B. Auguſtinus conſeq cenſet, vt ſit diuortium à diabolo. Non enim quos Deus coniunxit, ſeparatio & diuulſio al habere impulſorem & autorem magis idoneum teſt, quam diabolum, perpetuum diuinorum c rum hoſtem atque euerſorem. Neque tamen ca quaſdam interdum improbamus, quas Eccleſia p bat, legitimaſque ducit, vt quoad thorum poſſ

con

coniuges ſeparari, retento ſemper vinculo matrimonij, vt alias nuptias inire non liceat. Sed hæc peculiares, eaſque raras habent cauſas quibus demptis tenendum eſt Apoſtoli ſanctum præceptum: *Alligatus es vxori, noli quærere ſolutionem*. Qui au- 1. *Cor*.7.
tem facile ſe coniugibus diſtrahendis miniſtros autoresve præbent, quod humanæ miſeriæ vitium eſt perquam frequens, ſciant ſe Deo aduerſari, diabolo opitulari; meminerintque ſubinde cæleſti oraculo pronuntiatum: *Quod Deus coniunxit, homo non ſeparet*.

Sed quamuis diuina autoritate coniugium indu- 2 Matri-
ctum ſit, tamen culpa hominum diuino imperio monij o-
violato multas ac magnas difficultates habet, gra- nera.
ues moleſtias ærumnasque vix tolerandas hominibus inuehit. Manifeſtum id fit ſententia Dei in primos homines diuini fœderis violatores pronũtiata Nam in Euam ita loquitur Deus: *Multiplicabo ærum-* *Gen*.3.
nas tuas, & conceptus tuos: in dolore paries filios: & ſub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui. Nihil matribus dulcius amore filiorum. Nihil vtilius & potius, ſocietate atque auxilio virorum. At ijs quæ ſunt præcipua bona matrimonij ijs ipſis pœnam atque aſperitatem aſperſit peccati vindex Deus: vt nihil ſit ac partus filiorum quod æque cruciet, nihil ſit geſtatione vteri moleſtius. Viri quoque imperio & dominatu nihil acerbius, cuius libidini parendũ ſit, & iniuria pro iure ferenda.

Matri longa decem tulerunt faſtidia menſes. *Virgilius*.

Et *quæ appropinquat ad partum dolens clamat*. Et ſer- *Eſai*.26.
uitutis tabulas, nuptiales tabulas ſapienter Monica *Aug.lib.* 9.
Auguſtini mater appellabat. Iam vir ipſe vacuus *conf*,19.
vindictæ non manſit: pœna dicta eſt in eum vt cuius eſſet munus victum quærere, & alendæ familiæ opportuna ſubſidia parare, laborioſam ſibi ac *Geneſ*,3.
durã eam operam futurã audiret. *Maledicta terra in*

opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunct
tuæ. Spinas & tribulos germinabit tibi, &
bas terræ. In ſudore vultus tui veſceris pan
niam ergo difficultates coniugij ho
tas ac magnas experti ſunt, illius nexu
lum rumpere, ne inuiti diutius tenerent
ſunt. Atque onus ſibi impoſitum tanqu
ceruicibus excutiendum putauerunt. Q
pudium introduxerunt, vt fas eſſet alter
priore reiecta: & plerique complures ſin
non dubitarunt ducere, vt libidini ampl
pum offerrent. Hebræi quidem quamuis
raculis eruditi, tamen matrimonij primæ
ſtitutionẽ valde laxauerunt. Nam licere c
pudiata vxore, alteram ducere opinabantu
res ſimul vxores habere paſſim. Quominu
dum eſt, ſi & poſterius hoc perſis, & illud p
manis fas eſſe viſum ſit. Etenim Perſas a
nonnullas alias barbaras coniugium cum p
ſimul tenuiſſe cum prophanæ tum ſacræ lite
dũt. De iure vero repudiandi vxorẽ apud Ro
nemo in eorum literis vel tenuiter verſatu
tare poterit: vnde illud tanquam non mod
ſed optime etiam conſultum.

In libro Eſther. *Catonis. verſus.*

Vxorem haud retine, ſi cœperit eſſe moleſta.

Sed Chriſtus matrimonij leges eas eſſe ra
firmas ſanxit, quæ ſunt olim ab initio diuinit
ſtitutæ. Itaque abuſu correcto, multitudinem
rum vetuit, quanquam S. Patriarchis, plures ha
ſe vxores nullo modo vitio vertendum eſt. Cu
propagandum populum Dei pro eius ſeculi n
bus diuinitus conceſſum fuerit, cum illa prot

Geneſ. 2. *Matth. 19.* *Cõcil. Trid. ſeſſ. 24. c. 1.*

Et erunt duo in carne vna. Quod Concilio Trident
his verbis explicatum eſt. *Hoc autẽ vinculo duos ta*
modo copulari & cõiungi Chriſtus Dominus apertius do
cũ poſtrema illa verba tanquã à Deo prolata referẽs d

Q

Quod Deus coniunxit, homo non ſeparet. Quod plane Phariſæos non latuit, qui Moſem tanquam contrarium ſtatim obiecerunt: *Quid ergo*, inquiũt, *Moyſes mandauit dare libellum repudij?* Quibus dominus reſpondit, permiſſum id quidem fuiſſe à Moyſe propter duritiam eorum, ne vxores ſe retinere cogerentur occiderent: *Ab initio autem non fuit ſic.* Itaque reformans matrimonium, & ad primum ſtatum reducens præcipit. *Dico autem vobis, quia quicunque dimiſerit vxorem ſuam niſi ob fornicationem, & alteram duxerit mæchatur; & qui dimiſſam duxerit, mæchatur.* Hic exceptum eſſe voluit caſum fornicationis, vt poſſit dimitti thorus vxoris, quemadmodum Auguſtinus prudenter docet, non vt aliam ea ſuperſtite ducere poſſit. Id enim mœchari intelligit. Quare matrimonij Chriſtus non inſtitutor ſolum, ſed etiam reformator ac reſtitutor firmum, eſſe voluit duorum atque indiſſolubile vinculum, quẽadmodum ab initio maſculus & fœmina humani generis parentes primi diuinitus conditi ſunt.

Matth. 19.

Auguſt. de ſerm. Domini in monte lib. 1. c. 25.

Verum enimuero Apoſtoli quoque ipſi arctas atque conſtrictas matrimonij leges à Chriſto accipientes, rem duram imponi ſibi arbitrati, iugum eiuſmodi excutiendum potius quam ſubeundum ſentiebant: *Si ſic eſt*, inquiunt, *cauſa hominis cum vxore, non expedit nubere.* Illud volentes intelligi, difficillimum eſſe factum, vt cuiquam idonea ad totam vitam coniux legatur: quod ſi inepta vel etiam infeſta contigerit, nihilominus perpetuo retinendum id quidẽ eſſe duriſſimum. At Dominus in ſentẽtia perſtans, *Non omnes*, inquit, *capiunt verbũ iſtud, ſed quibus datũ eſt.* Quibus ſane verbis duas res mirifice cõplexus eſt. Primum non eſſe id quidem omniũ. Sunt enim qui ſe continere non admodum queũt. Quibus Apoſtolus atque in Apoſtolo Chriſtus loquitur. *Si non ſe continet, nubat, melius eſt enim nubere*

3 Felicius eſſe coniugio liberũ agere, ſed non cõcedi id omnibus.

Matth. 19.

2. Cor. 7.

 quam

quam vri. Eſſe autem continentiæ do
Sapien. 8. neque omnibus paſſim datum, Salom
clarat, *Et vt ſciui quoniam aliter non poſſum*
niſi Deus det, & hoc ipſum erat ſapientiæ, ſ
Auguſt. lib. 10. confeſſ. c. 29. *hoc donum.* Auguſtinus vero idem ſen
precatur: *Continentiam iubes: da quod iubes,*
vis. Sed continentiam ab vxore ducend
eſt eũ ſtatũ capeſcere quẽ malit, Deus nõ
Idcirco neque omnibus dat: quibus aut
ceſſaria, ſi petatur vt debet, non negatur
Multis autem diuinitus conceditur ſe
Ob id addidit ſecundum Chriſtus, quibus
ſit, magno eos bono frui, magnis incon
berari vxore non ducta. Onera matrimo
Hieron. moleſtiasque ingentes ac plurimas elega
ronymus egregius cœlibatus aſſertor, deſc
ribus locis. Legite illius librum aduerſus I
epiſtolam quoque ad Furiam viduam, tum
ſtochium virginem: copioſè ac deſertè qui
ptarum labores, ærumnæque diſcetis, ex
ex filijs, ex familia, ex re ipſa familiari. Paul
vno verbo plurima comprehendit: *Si accepe*
1. Cor. 7. *rem, inquit, non peccaſti: & ſi nupſerit virgo, no*
uit: tribulationem autem habebunt huiuſmodi.
tribulationem, coniugatorum curas; & mol
& mille faſtidia cruciatusque intelligi volens
non ſolum ſpiritus incommoda, ſed etiam c
ris miſerias & labores inuehit neceſſario con
um. Nam de ſpirituali incommodo, dixerat p
Quæ autem nupta eſt, cogitat quæ ſunt mũdi, quomod
ceat viro, & diuiſa eſt. Solicitudinem & angorem
dicit nuptarum ob ingeniũ ſæpe difficile vir
ob rei familiaris varias curas, quibus eſt libera q
nõ nubit. *Mulier enim, ait, innupta, & virgo cogitat*
1. Cor. 7. *Domini ſunt, quomodo placeat Deo.* Qua re quid po
eſſe felicius? Imitatur. n. quodãmodo ac refert ca

ſte

ſtem vitam ac beatam, quæ nullis curis diſtinguitur, nulla ægeſtate præmitur: in vno Deo ſibi conceſſo, omnia ſimul bona nanciſcitur. Nuptiæ porro ſeruitutem quandam, honeſtam illam quidem, ſed tamen perpetuam afferunt. Quamobrem cui id datum ſit, vt coniugio liber ſit, magnum ſibi ſciat donum diuinitus conceſſum. Præclare enim Plato *Plato.* matrimonij vſum eſſe bonum dixit, perinde atque medicinæ. Vt enim cui ſalus conſtat bene natura, medicina carens felicior eſt: at cui opus ſit medicina, ea vti etiã debet, ſed profecto medicamenti acerbitas aut moleſtia neceſſario toleranda eſt: ita certe res etiam coniugiorum ſe habet. Etenim qui fluctionibus capitis laborat, recte ſibi brachij partem adurit, atque eo euocat humorem reduntantem. Præſtat enim id moleſtiæ perpeti: quam vel cæcum fieri, vel cerebro laborare. At quanto ille felicior, qui ſanus & dolore caret, & moleſtia quotidianæ expurgationis? Quam ob rem Apoſtolus tandem eo colligit vniuerſa matrimonij ineundi, vel non ineundi cauſam *Alligatus es vxori, noli quærere ſolutionem: ſolutus es ab vxore, noli quærere vxorem. Vnuſquiſque donum habet ex Deo: Cæterum, beatior,* inquit, *erit ſi ſic permanſerit.* 1.Cor.7.

4 Chriſti munere matrimonio collatum, vt nõ honeſtum modo, ſed etiam ſanctum ſit.

Ne vero coniugati ſuã nimium ſortem dolerent, ac ſe miſerijs laboribusque multis expoſitos grauiter ferrent, neve Chriſtum conquererentur matrimonij onera feciſſe grauia, legesque duras admodũ ſanxiſſe, ſumma illa ſapientia ita reformandũ coniugium putauit, vt quidquid difficultatis accederet, nouo gratiæ munere compenſaretur ac molliretur. Itaque quod erat antea officiũ quoddam naturę honeſtum, id Chriſtus efficit ſacramentũ gratiæ ſuæ ac naturalem nexum diuina vi ac virtute muniuit. Iugo huic oleum inunxit ſpiritualis gratiæ tantum vt in Chriſto non ſolũ ferri poſſit, ſed etiã meriti ac ſan-

ac ſanctitatis plurimũ habeat. Quam re
Cyrillus in expo. huius Euangelij. Cyrillus explanat his verbis: *Oportebat cert totam naturam hominis ad melius reſtaurabat, n tis iam hominibus benedicere, verumetiã naſcitur præparare, & aditum illorum ad hanc vitã, auto raculi & præſentia ſua ſanctum efficere. Præterea bus parere filios ad mulierem propter peccatum dic Quomodo ergo aliter hæc maledictio depellenda er demnata nuptiarũ ſanctimonia videretur quam S præſentia? qui cum ſit verum gaudium priſcum mu mœrorem præſentia ſui depulit. Noua enim omnis in Chriſto eſt.* Hæc Cyrillus de ſanctificatio trimonio allata per Chriſtum Cui Patres Tri ni conſentiunt, matrimonij ſacramentum à
Concil. Trident. ſeſſ. 24. c. 1. ſto inſtitutum confitentes. Concilij œcum verba recitabo: *Gratiam vero quæ natural lum amorem perficeret, & indiſſolubilem vn confirmaret, coniugesque ſanctificaret, ipſe Ch venerabilium ſacramentorum inſtitutor atque perf*
Epheſ. 6. *ſua nobis paſſione promeruit, quod Paulus Apoſtolus i dicens. Viri diligite vxores veſtras, ſicut Chriſtus di Eccleſiã, & ſeipſum tradidit pro ea, mox ſubiungens, ſ mentum hoc magnum eſt: ego autem dico in Chriſt in Eccleſia.* Hæc Patres Tridentini. Quapro merito Chriſtus Dominus nuptijs intereſſe diernis voluit, vt ſe demonſtraret, ſicuti ini dixi, nuptiarum non ſolum autorem, verumeti perfectorem. Nam & inſtituit ipſe matrimoni naturæ officio, & cumulauit atque exornauit b neficio copioſo gratiæ. Etenim in his Cana Ga lilææ nuptijs vinum quidem iam erat: at vinum n admodum ſufficiens, neque ita præſtans. *Ipſe* ver quod deerat conuiuio, ſuppleuit & copia plurimũ & bonitate excellens. Tale plane eſt gratiæ munus quod naturæ inopiam ſupplet. Habent vinum ſu um nuptiæ: ſuis voluptatibus fruuntur coniuges.

Sed

Sed id quidquid eſt dulcedinis, nec diuturnum eſt, ne cupiditati ſufficit hominum: & pro vno die iucundo centum aguntur triſtes & atri, vt prouerbio Gallico dici ſoleat, eum qui cupiat menſem vnum videre lætum, ducere vxorem, eum qui perpetuo lætus viuere velit, nullam ducere vxorem oportere. Quid enim in coniugio dulcius amore viri? At hic ſæpenumero vertitur in ſæuum cruciatum, cum ingenio difficili & acerbo, aut nimia zelotypia, aut iracundia & ſuperbia præceps fertur. Vt omittam rixas & contentiones de re familiari, vt prætercam ſuſpitiones amorum, & zelotypiæ ſæuas faces: nimius ipſe amor coniugis angit amantem & cruciat, ſi quid grauius amato acciderit. abſentia ſit diuturnior, ſi vitę diſcrimen incidat. Quãtæ curæ? quantæ moleſtiæ, quam atroces amoris & cruenti doloris aculei? De liberis quid dicam? Quibus diſtrahantur cogitationibus, quibus ſolicitudinibus parentes lacerentur? Sed boni honeſtique ſunt, cura ne quid deſit: metus ſi quid noceat, pauor ſi quid periculi occurrerit Quod ſi ingrati procaceſque exiſtant, nihil funeſtius miſeris parẽtibus, nihil poteſt crudelius accidere. Rebecã olim ſacræ literæ narrant filiorum, quos ſummis votis petierat, contentione inteſtina afflictam, miſerã ſe exclamaſſe, neq, ſibi optãdum fuiſſe fieri matrẽ. *Collidebãtur*, inquit, *infantes in vtero eius, & dicebat, ſi ſic mihi futurum erat, quid neceſſe fuit mihi concipere*. Nonne qui in hac intueatur, recte dixerit, vinũ iſtud nuptiarũ iam defeciſſe? Nempe naturæ vires quæcunq; illæ ſint, matrimonij oneribus ferendis aut vix aut nullo modo ſufficiunt, ſi res eo modo geri debet, vt virtus nõ libido dominetur. Quare Chriſti beneficio fit, vt gratia vires ſuppeditet matrimonio, quod proinde ſacramentum inter Chriſtianos coniuges eſſe ſanxit. Vinum videlicet & copioſum & pręclarũ gratię

deficienti naturæ largitus, vinum guſtatu ſuaue, viribus præſtans, copia abundans, quod in nuptiarum exitum duret. Eſt enim ea huius ſacramenti vis, vt naturalem amorem coniugum perficiat, onera matrimonij ſuſtentent, officia recte omnia obeat, meritum ipſis coniugibus, Eccleſiæ fructum, educatione filiorum idonea, reipublicæ domeſtica diſciplina ornamentum afferat. Deniq; quod dixit Apoſtolus, vt ſit *honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus.*

Heb.13.

§ Quales ſe Chriſtiani coniuges mutuo præſtare debeant.

Sunt autem partes matrimonij Chriſtiani atque officia primum in ipſos inter ſe coniuges, deinde in liberos, deinde in familiam. Quæ ſunt à nobis non ſane tractanda (eſſet enim longum tempus) ſed tamen breuiter perſtringenda. Coniugum prima laus primaque virtus, concordia conſenſusque perpetuus. Id & optandũ omnibus precibus, & ſumma cura enitendũ. De qua re extant præcepta connubialia à Plutarcho Philoſopho perſcripta. Probari Deo & hominibus Sapiens dixit virum & vxorem bene ſibi conſentientes. Alio loco ita pronuntiat: *Sicut iugum boum quod mouetur, ita & mulier nequam.* Noſtis à iugo coniugium eſſe dictum. Vt igitur ſi iugum altera ex parte non ſit bene colligatum, alterum boum laborare neceſſe eſt, cum à compare non iuuetur, quin etiam impediatur, ita planè accidere Sapiens cenſet, coniugi coniugem nacto repugnantem ac peruicacem. Quamobrem Paulus præcipit vxori, timere virum, illi ſubeſſe ac parere quod caput ſit ipſius. Petrus etiam documẽtum ſanctæ Saræ affert, quæ Dominum appellabat virum. Contra viro præcipiunt iidem Patres noſtri, diligere vxorem, atque omni honore accipere. Sic enim & fides, & concordia, & quæ ex iis oritur felicitas ſancta coniugibus merit. Ariſtoteles turpe admodum cenſet vxores velle dominari, aut etiã

Plutarch.
Eccleſ 25.
Eccleſ.26.
Epheſ.5.
1. Pet.3.
Ariſt. lib. 2. œconom.6.1.

curas

curas Reipublicæ atque externas attingere, neque id minus abſurdum, quam ſi vir fœmineas culinæ aut furni partes obeat. Tria ergo præſtare debent bene moratæ fœminæ in viros primum vt ament fidemque ſeruent, Secundum vt obtemperent, tertium vt ferant modeſte ac ſapienter, ſi quid ab ijs errati aut moleſtiæ accidat. Eadem & virorum præcepta ſunt, excepto ſecundo, quod non parere, ſed prouidere virorum ſit. Plutarchus ſane dicit, vt lineas & ſuperficies aiunt Mathematici non moueri per ſe, ſed ad motum corporum quibus inſunt, ferri, ita oportere vxores nullum proprium affectũ habere, ſed ſtudia, cura, riſum, communia habere cum viro. Idem inter coniuges voces illas vetat audiri, meum & non meum: quin potius vt Medici dicũt ſiniſtrę plagam ad dextram, ſenſum referre, ſic vxorem viri, & virum vxoris ſentire dolorem magis conuenit. Quæ Auguſtinus commemorat de Monica optima fœmina matre ſua, libenter referam, vt diſcant fideles vxores virorum tolerare iracundiam, ac non facile pacem rumpere. *Tradita*, inquit, *viro ſeruiuit velut domino, & ſat egit lucrari eum tibi, loquens illi moribus ſuis, quibus eam pulchram faciebas. Ita autem tolerauit cubilis iniurias, vt nullam de hac re cum marito haberet vnquam ſimultatem. Erat vero ille ſicut beneuolentia præcipuus, ita ira ferui dus. Sed nouerat hæc non reſiſtere irato viro, non tantum facto, ſed ne verbo quidem.*

Plutarch. in opuſculo de præceptis connubialibus.

Aug. 9. confeſſ. c. 9.

Iam vero refracto & quieto cum opportunum videret, rationem facti ſui reddebat, ſi forte inconſideratius motus fuerat. Denique cum matronæ multæ, quorum viri manſuetiores erant, plagarum veſtigia etiam dehonaſtata facie gererent, inter amica alloquia illæ arguebant maritorum vitam, hæc earum linguam. Rarum & mirabile ad inſtitutum beatæ monicæ: ſed ſalutare in primis atque omnibus vtile. At viri debent & ipſi vxorum mo-

Diog. Laertius in vita Socratis.

leſtias ferre, ac ſe cohibere, ne deſperatiores reddant, aut etiam fallaciores atque audaciores. Socratis illud philoſophicũ extat, in vxorem poſt cõuitia cum aqua ſordida fœdantem, ſciebam Xantippen tonantem, aliquando pluituram.

6 Quales in educatione liberorum.

Ariſt. lib. 1. œconom. c. 3.

Cæterum conubiorum certiſſimus finis eſt, procreatio filiorum. Ea in re maximopere præſtare decet Chriſtianos coniuges. Dixit præclare Ariſtoteles, feras coire tantum vt procreent; animantia mãſueta etiam vt nutriãt, vt columbas, vt oues, vt gallinas videmus. At hominum cõiugium eſſe non vt procreent filios ſolum, aut etiam nutriãt, ſed etiam vt erudiant. Idem nutrire præcipue eſſe matris, erudire patris. Attamen Chriſtiani matrimonij eſt, vt etiam matres filiorum in Chriſto magiſtræ ſint, eoſque à primis annis Chriſtianè erudiant. Id officij tãti facit Apoſtolus, vt in eo ſalutem ſempiternam matrũ eſſe ſitam doceat, *Saluabitur*, inquit, *mulier per filiorum generationem, ſi permanſerint in fide & dilectione cum ſobrietate & caſtitate.* Quare ſe toties gignere filios putare debent, toties parere, quoties eos Chriſti fide & timore imbuunt, quod precibus & lachrymis, quod moribus & exemplo ſuo quod etiam ſermone præſtare debent, quemadmodum matrem Monicã in ſe bis matrẽ prædicat Auguſtinus. Illud vero ſummopere cauere parentes debent, in educatione liberorum, ne turpitudinis aut vitij cuiuſuis ab ipſis exemplum capiant. Nihil enim perinde inficit teneros animos puerorum, atque parentum ſpectata improbitas. Senatorem Cato Cenſor ſenatũ mouit, quod vxorem coram filia oſculatus eſſet. Qui conceſſa voluptate, filiæ oculos offendi tantopere vetabat, quid faceret, ſi meretricios amores & illecebras deprehenderet? Quamobrem rectè prorſus Philoſophus ſcriptum reliquit. *Educati rectè filij à parentibus, per ſanctos & iuſtos mores, boni meritum*

1. Tim. 5.

Plutarch. de præceptis cõnubial.

cum-

gaudent: contra vero ſi fiat, ſentient detrimentum. Niſi enim parentes exemplum vitæ filijs præſtent, euidenter excuſationis cauſam erga ſe illis relinquent: ac timẽdum eſt, ne contempti à filijs, quaſi nõ bene vixerint, in ſenectute deſerãtur: Iam quod ad familiã pertinet, cuius cauſa patres familias & matresfamilias appellantur, quod tanquam filijs debeant conſulere ſibi ſubditis, præcepta exiſtunt cum œconomica tum Chriſtiana quę contemnere minime oportet. Atque illud in primis manifeſtum, ſic curas inter coniuges eſſe diuiſas, vt domeſtica & interna fere curare vxoris interſit: ad virum externa pertineant, vt ſumptus, merces, agriculturam, ciuilia tractare. Quamobrem bonas matres familias raro domo pedem efferre decet, idque probata cauſa: Idcirco Paulus dixit: *Domus curã habentes*: quod Græcè expreſſius eſt, domum cuſtodientes. Reprehendit idẽ otioſas, verboſas, curioſas, domos circuire edoctas. Salomon matronæ eximiæ officia deſcribens: *Conſiderauit*, inquit, *ſemitas domus ſuæ, panem otioſa non comedit. Omnes domeſtici eius veſtiti ſunt duplicibus.* Hæc aſſiduitas domeſtica in fœmina ab Ariſtotele laudatur plurimum. Plutarchus vero ſcribit Aegyptias fœminas more patrio nudis pedibus ingredi ſolitas, ne facile domo pedẽ efferre cuperent. Sinas quoq; hodie ferũt teneris adhuc fœmellis plãtas inuertere aut eneruare, vt vix ambulare queãt, quo domi ſe contineãt. Itaq; ſi quãdo prodeundum ſit, geſtatoria ſella portari, eaſq; opertas. Deniq; matronęChriſtianæ inſtituta ſi quis plenius velit cognoſcere, Salomonis prouerbia legat, tum Pauli Apoſtoli ad Timotheũ & Titũ epiſtolas. Breuiter vero complectitur omnia liber Tobiæ: *Apprehendentes*, inquit, *parentes filiam ſuam, monentes ea honorare ſoceros, diligere maritum, regere familiam, gubernare domum, & ſeipſam irreprehenſibilem exhibere.* At patresfamilias audiant tantiſper Diuum Augu-

Ariſt. 2. œconom. c. 2.

7 Quales in adminiſtranda familia coniuges chriſtianos eſſe oporteat.

1. Tim. 5.

Prouerb. 31.

Ariſt. 2. œconom. c. 1.

Plutarch. de præceptis connubial.

Auguſt. 19. *de ciuit. ca.* 16. Auguſtinum, vt quid debeant præſtare, intelligant. Sic enim ſcribit in libris de ciuitate; *Qui veri patres familias ſunt, omnibus in familia ſua tanquam filijs ad colendum & promerendum Deum conſulunt, deſiderantes atque optantes venire ad cæleſtem domum. Si quis autem in domo per inobedientiam domeſticæ paci, aduerſatur, corripitur ſeu verbo: ſeu verbere, ſeu alio quouis pœnæ genere iuſto atque licito, quantum ſocietas humana concedit pro eius qui corripitur vtilitate: vt aut ipſe qui plectitur corrigatur experimento aut alij terreantur exemplo.* Idem in Pſalmos. *Aug. in fine Pſalm.* 50. *Regite domos veſtras, regite filios veſtros, regite familias veſtras. Quomodo ad nos pertinet in Eccleſia loqui vobis, ſic ad vos pertinet in domibus veſtris agere, vt bonam rationem reddatis de his qui vobis ſunt ſubditi. Amat Deus diſciplinam. Tu imple perſonam tuam: Deus de te & de illis exigit ſuam.* Itaque patriſfamilias videndum, ac diligenter curandum, vt domeſtici omnes à vitijs & peccatis ſibi caueant, à ſuperbia, à detractatione, ab ebrietàte, à fornicatione, à luxuria, ab ira, à periurio, à cupiditate, quemadmodum eſt à quodam pio ſcriptore literis traditum. *In 4. tomo Aug. lib. de ſalutaribus documentis. cap.* 29. Neque hic ſiſtere oportet, ſed bonos efficere, contendere debet primum exemplo ac vitæ integritate, deinde monendo. Præterea vt ea quæ ſunt ſancta curando: vt miſſas audiant diebus feſtis, confeſſiones tempeſtiuè faciant, preces vel ſero ſaltem dicant, conciones ſacras interdum auſcultent. Denique Chriſtianam ſe familiam regere meminerint, Chriſti œconomos ſeſe intelligant, cui ſint bene maleve geſtæ rei rationem aliquando redditi turi.

IN EADEM DOMINICA CONCIO SECVNDA.

De Euangelica lectione.

Nuptiæ factæ ſunt in Chana Galileæ. Ioan. 2.

QVANQVAM nuptijs ſe Chriſtus conuiuam præbuit, quo nuptias cohoneſtaret, ac ſibi gratas eſſe declararet: tamen illam quoque rationem quam Chryſoſtomus tradidit, ſecutus ſine dubio eſt, familiarem ſe hominibus quorum ſaluti conſulebat, tractabilemque omnibus vt oſtenderet: *Venit enim filius hominis manducans & bibens.* Neque tamen ipſe ſe intruſit conuiuio, ſed vocatus acceſſit, omni ex parte virtutem perfectam tum integritate tum humanitate mirabili oſtendens. Sunt enim conuiuia honeſta: eſt ſecundum Deum, epulum ſumere. Tale illud ſcriptura deſcribit, quod in nuptijs Tobiæ iunioris & Saræ peractum eſt. *Et cum dixiſſent,* inquit, *Amen, acceſſerunt ad conuiuium, & cum timore Dei, nuptiarum conuiuium exercebant.* Quodnam igitur quæſo, aut quale conuiuium erit, cui Chriſtus Dominus intereſſe putandus ſit? Primum mihi videntur ij ad ſuas epulas inuitare Ieſum, qui initio ſacris precibus benedicunt: qui finito prandio aut cæna, gratias Chriſtiane agunt: qui denique inter veſcendum aut legi aliquid

1 Ad quas epulas Chriſtus vocetur & veniat.

Chryſoſt. homil. 20. in Ioan.

Matth. 11.

Tob. 9.

quid aut tractari vtile ac pium curant; quemadmodum Baſilius magnus monet ſemper eſſe faciendū. Neque dubito equidem, quin ita vocatus *Ieſus*, venire non renuat, ciboſque tum corpori, tum animo ſalutares efficiat. Nam cum fuiſſe Saluatoris morem Euangelia produnt, cum in illo quinq; panum conuiuio gratias egiſſe oculis ſublatis in cœlum, & in vltima cæna ſcribunt hymnum de more dixiſſe Paulus quoque ait, *Nihil reijciendum, quod cum gratiarum actione percipitur.* Quare Paganorum vel Barbarorum etiam ſcitote eſſe, quod multi agunt, vt nulla Chriſtiana prece aut benedictione præeunte, nulla gratiarum actione ſequuta, cibos capiant, prandia peragant. Quibus ſi deuotio non ſatis ſtimulos admouet, vel metus ille corporalis incommodi occurrat, cum legant à Gregorio Papa traditum, dæmonem lactucæ inſidentem, neque ſigno crucis fugatum, deuoranti moniali vehementer nocuiſſe. Præterea vocatus *Ieſus* intelligi debet conuiuia aſſidere, cum ea moderatione conuiuium exercetur, quæ decet homines probos. Certè hoc ipſum Chana conuiuium tam erat parcum & ſobrium, vt optima pars conuiuij vinum, tempore neceſſario deficeret. Neque vero improbamus lætiores, lautioreſq; interdum epulas pro facultatibus conuiuarum, pro rerum occaſionibus adhibitas. Nam prandium bonum aliquando die feſto à Tobia paratum, ſcriptura cum laude commemorat. At quæ noſtra ætate paſſim præbētur epulæ, adeo ſunt immoderatæ, vt inſanire homines videantur, neque tam palato ſeruire, aut etiam lætitiæ indulgere, quam de opum ſuarum profuſione contendere. Ipſe venter mole tanta premitur vel potius rumpitur, nec ferre poteſt tam diuturnas edulliorū tamq; varias pugnas. Eſaias quidem ita inclamat: *Væ qui mane ſurgitis ad ebrietatem ſectandam, & potandum vſq; ad*

Baſil. epiſt. 1. ad Gregor. Nazian. *Ioan. 6.* *Matth. 26.* *1. Timot. 4.* *Greg. lib. 1. dialog. c. 4.* *Tob. 2.* *Eſai. 5.*

ad veſperum, vt vino æſtuetis, Cythara, & Lyra, & tympanum, & Tibia in conuiuijs veſtris. Alius quoque propheta concinit. *Væ qui opulenti eſtis in Sion, qui dormitis in lectis eburneis, & laſciuitis in ſtratis veſtris: qui comeditis agnum de grege, & vitulos de medio armenti: qui canitis ad vocem Pſalterij: ſicut Dauid putauerunt ſe habere vaſa cantici. Bibentes vinum in phialis, & optimo vnguento delibuti.* Omnes corporis ſenſus explere volunt profuſæ iſtorum illecebræ: quem luxum ac profuſionem vehementiſſimè diuinæ literæ, vt vidiſtis, exagitant. Poſtremo, vt Ieſus vocatus ad veſtras epulas videri poſſit, illud mihi credite vobis faciendũ erit, vt eas etiã impertiamini pauperibus, famelicoſq; paſcatis. Ieſus cũ diſcipulis ſuis ad has nuptias inuitatus eſt. Ita Chriſtus ipſe faciendũ conſuluit: Ita Tobias feciſſe legitur. Iob beatus de ſe, *ſi comedi buccellam meam ſolus, & non comedit pupillus ex ea.* Nam illud præcipue Amos Propheta reprehendit quod in tanto luxu, egenorum nihil miſererentur illi opulenti. *Et nihil patiebantur,* inquit, *ſuper contritione Ioſeph.*

Amos 6. *Luc. 14.* *Tob. 2.* *Iob 31.* *Amos 6.*

Quod ſi altius philoſophari adhuc placet, addam illis epulis interfuiſſe veriſſimè Ieſum, quæ nõ cupiditate, ſed ratione ſumuntur, vt corporis vires reficiantur, non vt gulæ libidini ſatiſfiat. Itaque aiebat Auguſt. *Non ego immunditiam obſonij timeo, ſed immunditiam cupiditatis meæ,* ac de priſcis monachis ita refert. *Corpus reficitur quantum ſaluti & ſalubritati ſat eſt: coercente vnoquoque concupiſcentiam, ne ſe profundat vel in ea ipſa quæ præſto ſunt, parca & viliſſima.* Quæ ratio temperandi difficilis planè eſt, ac rara: verè à Baſilio dictum, facilius eſſe diuturna habere ieiunia, quam delicatioribus cibis temperanter vti. Ea fuit propria Chriſti virtus, vt inter delitias ipſas nihil penitus afficeretur, nihil ferretur in cibum: quare Baptiſtæ abſtinentiam laude & merito vicit. Id vero perpaucorum eſt, nihil ſuauioribus affici, nihil

Aug. lib. 10. confeſ. c. 31. *Aug. lib. 1. de moribus Eccleſ. 31.* *Baſil in conſtitut. monaſtic. c. 5.*

nihil aſperioribus commoueri: æquum ſe in vtrãque præbere partem, prorſus heroica res. Quis enim illud obſeruet *ſtatue cultrum in gutture tuo*? Atque erat ea ſolum ratio veſcendi lautius, ſi quando contingeret, vt omnes faceret ſaluos. Hoc modo qui conuiuijs poſſit adeſſe Chriſtum ſecum vocatum certò ſciat. At quis erit hic, vt laudemus eum?

Prouer. 23.

2 Lętitiam vini, id eſt bonum tẽporaliũ cito deficere

Sed defeciſſe vinum, cum maximè opus eſſet, habet hiſtoria Euangelica. Sic planè vſu venit in rebus humanis: Imperiorum, amicitiarum, honorum voluptates tunc maximè facultateſque deficiunt, cum plurimum expetuntur. Quale enim Hymenæi gaudium ſine Baccho? Eam profectò humanarum voluptatum inconſtantiam Salomon probe non ſolum edoctus, ſed etiam expertus dicebat: *Dixi ergo in corde meo, vadam & affluam delicijs, & fruar bonis. Et vidi quod hoc quoque eſſet vanitas: Riſum reputaui errorem: & gaudio dixi; Quid fruſtra deceperis?* Idem non inde longe ſic de ſe narrat: *Supergreſſus ſum opibus omnes qui ante me fuerunt in Hieruſalem. Et omnia quæ deſiderauerunt oculi mei, non negaui eis: nec prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur, & oblectaret ſe in his quæ præparaueram. Cumque me conuertiſſem ad vniuerſa opera, quæ fecerant manus meæ, & ad labores in quibus fruſtra ſudaueram, vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem animi, & nihil permanere ſub ſole.* En quouſque tandem tanti vini copia peruenerit, id eſt voluptatum deliciarumque magnitudo, ex quibus non inanem ſolum, ſed etiam moleſtum & acerbum exitum vir ſapientiſſimus deprehendit.

Eccleſ. 2.

Eccleſ. 2.

Sapienter Hilarius Arelatenſis concionatur, hunc locum Euangelicum verſans, humani vini & diuini diſcrimen eſſe permagnum: *Captiuos poſt ſe trahit ſenſus peſtifera & inimica dulcedo: & ſicut quando humore & ſcabie cutis corporis vitiatur, inde corruptio exulcerat, hinc prurigo ſolicitat, ita per oblectationem malorum de ne-*

Hilar. Arelatenſ. in hoc Euang. ho. 2.

de negligentia proficit culpa, & de luxuria creſcit illecebra, & pereuntem perditio plus delectat, quia voluptas tranſacta non ſatiat, ſed ſuo vſu magis exercetur vitiorum cupiditas, quam finitur, ac ſolum ſectatorem ſuum nunquam conſumenda conſumit. Interficit ſpiritum, dum oblectat affectum, & ſicut dixit propheta ad tempus indulcat fauces, nouiſſime felle amarior inuenitur: modo delectat peccare, ſed poſtmodum non delectabit ardere. Hæc Hilarius de carnalium voluptatum vino cum minime animũ explente, tum noxio exitiali mortalibus. Iam honorum & magiſtratuum quæſo quæ alia ratio? Quã cito Deus bone illæ gratulationes exhauriuntur & exareſcunt? Quam plena, ſi qua eſt glorioſa, & inuidiarum, curarum, calumniarum, diſcriminum. Breui quæ adeptus es, exigua & anguſta ducis: ampliora petis, altiora deſideras; tua tibi vileſcunt, aliena concupiſcuntur. Sic nunquam quieſcit animus: vinum cum maxime ſapit, exhauritur. Quam alacres adhæc veniunt homines tanquam ad optatas nuptias, amicos, cognatos, clientes tanquam cõuiuas vocant. Sed citius dicto hilaritas tota in luctũ mæroremque vertitur: aut enim decidunt gradu, aut experiuntur infeſtum odium, aut vita denique exuuntur. Quamobrem admonet ſapienter Apoſtolus, atque ait: *Tempus breue eſt: reliquum eſt, vt & qui habent vxores, tanquam non habentes ſint: & qui gaudẽt tanquam non gaudentes: & qui vtuntur hoc modo, tanquam non vtantur: præterit enim figura huius mundi.* 1. Cor. 7. Recte etiam Eſaias diuinitus edoctus clamabat. *Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quaſi flos fœni.* Eſai. 40. Magna eſt noſtræ ſtultitiæ turpitudo, quod vel toties experti non ſapimus neque cogitamus, quam citò vinum iſtud totum deficiat, quod habẽt nuptiæ Chana Galilææ Etenim Galilæam interpretantur periti rem variabilem aut volubilem: Chana vero inuidiam & contentionem. Pulchrè admodum. Ta-

lia enim ſunt gaudia vitæ huius, tales fortunæ opeſq; mortaliũ: quibus nihil firmum, nihil eſt cõſtans ac tutũ: tũ vero ea ipſa bona quæcunque ſunt, inuidiæ ſunt expoſita, inſidijſque riualiũ. Videas fruſtũ vnum aut os è menſa proiectum, canum concertatione ſe ſe viciſſim mordentiũ diripi. Vt primus rapiat, accurrunt omnes: qui id præripuerit, eum cæteri mordent, oblatrant, ſi dei præda deijcere nequeunt. Ea prorſus eſt iſtorum competitorum ſpecies, ambitioſorum, inuidorũq; artes eæ ſunt propriæ. Qui curiam expertus ſit, vel Regiam vel Pontificiam, id ſe abundè ibi ſpectaſſe fatebitur. Caduca bona ſunt mundi: vinum nuptiarum, cum ſuauius ſapit, deficit. Quid vero ſequitur.

3 Mariæ benignitas & officium in indigẽtes.

Deficiente vino, dicit mater Ieſu ad eum, vinum non habent. Hic quis non agnoſcat Mariæ ſanctiſſimæ officium, quæ inopiæ noſtræ ſuccurrat, egenteſque opportuno auxilio ſemper ſubleuet. Non enim ij ſumus, qui per nos poſſimus ad Deum dignè accedere, vt impetremus quibus opus ſit. Quare interceſſionem flagitare debemus eorum, qui Deo ſunt grati & amici, quo conſilio vtendum monet ille qui dicit, *voca ſi eſt, qui tibi reſpondeat: & ad aliquem ſanctorum conuertere.* Id munus ſanctorum eſt, vt Dionyſius Areopagita docet. *Nam ſi quiſquam ad Deũ,* inquit, *per ſeipſum tentet accedere, ſanctoſq; deſpiciat, is optata nunquã felicitate potietur.* At inter ſanctos omnes nemo certe ad intercedendum opportunior potentiorque beatiſſima Virgine eademq; Deipara: cuius charitatem inflammatam videre poteſtis, quod defectus aliorum ſic accipiat ac ſuos, neque opus ſit eã officij admonere, vel etiam quicquã poſtulare: ipſa ſponte interpellat, & flagitat. Qua vero conſtãtia? quo animi robore? quæ reſponſo accepto in ſuaui ac ſeuero, nihil deſiſtit, nihil hæret, ſed pergit, remque maturat.

Dionyſius epiſt. 2. ad Demophilum.

Pruden-

Prudentiã quis non miretur, cũ repulſa à filio ſtatim miniſtros doceat quid facto opus ſit, tãquã rerũ omniũ gnara? Quã Mariæ prudentiã beatus Gauden. conſiderans, loquitur ad hunc modũ: *Nunquam mãdaret miniſtris, quodcunq; dixerit vobis facite, niſi Spiritu ſancto poſt partum diuinum plena, non ſolũ reſponſionis Chriſti virtutem cognouiſſet, verumetiã futuri abeo tunc ex aqua vini vniuerſum ordinem præuidiſſet. Quid enim lateret Sapientiæ matrem, capacem Dei, ædem digniſſimam tantæ virtutis?* Prorſus bene ac præclarè de ſapientia ac prudentia Virginis beatiſſimæ ſentit ille Pater. Denique meritum dignitatemque videte tantæ matris, quæ impetrat tandem quidquid votorum eſt, ac ſimul Dei filio gloriam, ſimul amicis charis conſolationem auxiliumque optatum comparat. O inclyta ac glorioſa Domina, ô ſingulare decus, ac lumen generis noſtri, ò perfugium vnicum leuamenque noſtrorũ omniũ laborũ & calamitatũ *Benedicta tu, & benedictũ eloquium tuum.* Lõge certe alia ratione quã Abigail illa Dauidis. Nã preces tuæ profecto verius nos ab ira Dei morteq; merita eripiunt, quã illius Abigailis Nabalem ſtultũ gladio Dauidis exemerunt: multoq; copioſius commeatũ nobis ſuppeditas extrema fame confectis, quã illa Abigail ſeruis Dauidis tot aſinis onuſtis inuexit. Quare fratres, Mariã, mihi credite, vocate ad nuptias veſtras: negotijs veſtris intereſſe rogate: ſi quid ineũdũ ſit cũ Maria cõmunicate: partes illi⁹ ne defraudate. Nõ illa tã acceptura obſequiũ, quã largitura beneficiũ veniet vocata. Nuptias ſua præſẽtia ornet, Regina cęli ferat à deuotis vel viris, vel fœminis obſequiũ ſuum. Miſſã, eleemoſinã, ieiuniũ, preces, & ſi quid aliud, nolite prætermittere matri Dei offerre: ſoluet cumulatè liberaliſſima virgo, quicquid deuotioni ſuæ impenſum viderit. Iam vero Christi Dei noſtri hinc morem diſcamus. Reſponſum dedit matri roganti, quã difficile

Gaudentius Brixienſis tractatu 2. in hoc Euãgel.

4 Chriſtũ aſperiore vultu benignitatẽ magnam celare.

2. Reg. 16. *Aug. tract. 8. in Ioan.* *Chryſoſto. hom. 20. in Ioannem.* *Luc. 2.* *Sic fere Cardinalis Toletus in quem ſenſum ipſe Ireneum, Ianſenius Chryſoſtomum afferunt.* *Aug. ſerm. 41. de tempore, ſi tamen eius eſt, ait. De nuptiali vino pars aliqua forte reſederat. Ideo nondũ erat hora Domini plena virtutum ne miſcere magis clementa quam mutare videretur.*

& alienum? vt plane videretur eius poſtulatis offenſus. *Quid mihi & tibi eſt mulier? Quid mihi & vobis filij Saruiæ?* dicebat Dauid ſubiratus ſuis. At Chriſto ſi nihil erat commune cum matre, non erat certe filius hominis. Videtur igitur vel indignantis vel reprehendentis ea vox eſſe, vt nonnulli etiam patres interpretati ſunt. Sed revera docentis potius fuit, & rei quam poſtulabatur, rationem indicãtis. Itaque adiunxit cauſam: *Nondum venit hora mea.* Primum ſignificans nihil ſibi eſſe cum illa fœmina beatiſſima non ſolum quoad diuinitatis naturam, cuius erat patrare miracula, quod Auguſtinus exponit, ſed etiam quoad ipſam patrandi rationem & cauſam impultricem, quod placet Chryſoſtomo, cum nullo carnis & ſanguinis reſpectu adduceretur, ſed ſola Dei Patris gloria quærenda. Sic enim olim etiam Seuerius reſpondit. *Quid eſt quod me quærebatis? neſciebatis quia in ijs quæ patris mei ſunt, oportet me eſſe?* Denique horam ſuam nondum veniſſe pronuntians, voluit intelligi nondum defectum vini omnibus innotuiſſe: ſe verò miraculum perfecturum, non ſupplendæ inopiæ ſtudio potiſſimum, neque pudori nouorum coniugum conſulendi adductum, quod mater ſpectare videbatur, ſed diuinæ potius gloriæ ſuæ declarandæ cauſa, iuxta Patris æterni præſcriptum. Quam filij ſane mentem diuina virgo penitus cognoſcens, neque ſe repulſam pati exiſtimauit, neque aſperiore oratione vel offenſa, vel ab inſtituto retardata eſt: quin potius negotium accelerandum rata, miniſtros intẽtos eſſe iuſſit, quidquid filius imperaret, ſedulo executuros. Ergo, vt dicebã, ingenium Dei moremque diſcamus: cũ enim difficiliorem alienoremque ſe præfert, tum maxime eius miſericordia expectãda, cum celerius clementia ſentienda ſine dubio eſt. Commode hoc loco Cyrillus ait. *Gratiora sũt quæ*

petuntur

petuntur, ſi aliquantulum differantur. Differre igitur Deus beneficia ſolet, vt gratiora fiant. Hanc Dei moroſitatem ferre æquo animo debemus: *Suſtine ſuſtentationes Dei, inquit*. Et Dauid de ſe. *Et te ſuſtinui totâ die*. Itaque aliud præſeferre videtur, aliud agat. *Ira in indignatione eius, & vita in voluntate eius. Itemque cum iratus fueris, miſericordiæ recordaberis*. Quamobrem ſanctus Iob Dei ingenium callens aiebat. *Etiamſi occiderit me, in hoc ego ſperabo*. Secus profectò habet hominum mores. Iucunda præſeferunt, triſtia meditantur, ſpecie externa quam pulchra, quantam intus turpitudinem celant? Riſu quam ſæpe gladium tegunt? Initia ſuauia, non ſuaues receſſus atque exitus habent, Ita videlicet philoſophatur Architriclinus. *Omnis homo primum vinum bonum ponit, deinde cum inebriati fuerint quod deterius eſt*. O mores mundi fallaces. Amnon plurimo vino ebrius ab Abſalone iubetur interfici: Simeon à genero Ptolomæo inter medias epulas iugulatur: à Pilato cũ ſacrificio ſanguis ciuium commiſcetur.

Cyrillus in Ioan. *Pſal, 24.* *Pſal. 29.* *Abac. 3.* *Iob. 13.* *2. Reg. 13.* *2. Mach. 16.* *Luc. 18.*

5 Obediẽtia miniſtrorum & diuini muneris amplitudo.

Noſtræ vero quæ ſint partes, meminerimus. Aquam miniſtri in hydrias infundere iubẽtur: quorſum hoc? vino opus eſt, aquam curare quid præſtat? Sed & obediendum Deo, & confitendum: id noſtrum officium eſt, illius certe magnificè vincere. Aquam imperat inferre, inferamus: aquam proferre, proferamus. Vinum ipſe de aqua noſtra ſuũ, quando & quomodo præbiturus ſit, optime nouit. Viles noſtras operas, diligentiam qualem præſtare poſſumus, ne contemnamus: ſiue ad preces eundum ſit, ſiue ad miniſteria charitatis: frigida noſtra per ipſius imperium in vinum vertetur optimum: mirabimur & ſtupebimus, dicemusque oculis vix credentes: *Ego ſterilis & non pariens, & iſtos quis genuit mihi? ego captiuata & tranſmigrata: & iſtos quis enutriuit?* Orat proinde hoc loco beatus

Eſai. 29.

Eutym. in in expoſ. Euang. mius, atqe precatur hoc modo: *Vtinam & ego qui frigidus ſum, laxus & effuſus, nihil de hac in aqua differens, in calorem conuertar ſpiritualem, virtutis conſtrictionem, ac morum firmitatem, vt ſic alios lætificare poßim.* Hoc fratres deprecemur & nos, vt mutationem dexteræ excelſi ſentiamus, quod precabatur Eutymius. Neque prætereundum illud, quod guſtandum primo præcipit Chriſtus vinum deferri Architriclino à miniſtris. *Haurite nunc & ferte Architriclino.* Quamobrem? vult nempe, vt quæ diuinitùs conceſſa dona ſunt, ea Præpoſitis Eccleſiæ probanda offerantur: ſpiritum ſuum deguſtandum Magiſtro Rectorique commendat. Nonne ita cum ipſo doctore gentium Paulo diuinitus actum ex ipſo audimus. *Galat. 2.* Nõne cũ Petro Euangelium ſuum, & cum Ioanne, & Iacobo contuliſſe ſe docet? *Aſcendi*, inquit, *Hieroſolymam ſecundum reuelationem: & contuli cum illis Euangelium meum, quod prædico in gentibus, ne in vanum currerem, aut cucurriſſem.* Recte igitur noua miracula, Eccleſiæ præfectis probari, rectè noua religionum inſtituta ſummo Eccleſiæ præſidi deferri Sanctorũ Canonum præſcripta habent. Nouum ſpiritum atque inflammatum qui in ſe ſentiat, debet is Architriclinum ſuum, id eſt patrem ſpiritualem adire: hauſtum ſpiritus ſui liberum præbere. Quale autem vinum ſit illud ſpiritus Dei, niſi quis guſtet diſcernere atque æſtimare non poteſt. Nihil habet tale, caro & ſanguis, nihil mundus æquale; nihil ſimile. *Apocal. 2.* *Vincenti dabo manna abſconditum, quod nemo ſcit, niſi qui accipit.* Architriclinus miratur: diſcipuli, cæterique conuiuæ vt primum guſtant, ſibi inuicem gratulantur, & geſtiunt: Chriſti ſuauitatem vimque mirabilem experti clamant, *quam magna multitudo dulcedinis tuæ domine, quam abſcondiſti timentibus te: perfeciſti eis qui ſperant in te.* Quis enim hauſtum cæ- *Sap. 12.* leſtis huius vini vel ſemel ſumpſit, qui non ſtatim

eſt

præ animi lætitia exclamarit: *O quam bonus & ſuauis eſt ſpiritus tuus Domine in omnibus*, De huius vini præſtantia Hilarius ſic loquitur: *Illo diuini amoris poculo inebriata præcordia, per ſapientiæ ſpiritualis vaporem prægustat cæleſtium ſuauitatem vt mereantur audire, guſtate & videte quoniam ſuauis eſt Dominus. Qui amor Dei quantalibet fide quantolibet ardore quæſitus reficere animum poteſt, ſed magis ac magis ſitim velut ſummis labijs deguſtatus inflammat. Iucunditate ſui excitat appetitum, ſed non facit de ſatietate faſtidium.* Tale vinum eſt fratres, quod Dominus Ieſus exhibet. Quominus mirandum, ſi diſcipuli eo ſigno confirmati crediderint libentius in Ieſum, atque ei fortius adhæſerint. Nam cum eſſent ſpiritu ſancto in Pentecoſte diuinitùs impleti, vino nouo feruere atque æſtuare hominibus videbantur: neque fallebat eos opinio, ſi verum illud muſtum cogitemus, quo redundabant, atque ebrij penitus ferebantur. De quibus profectò vaticinatus eſt tanto ante Zacharias. *Bibentes inebriabuntur, quaſi à vino, & replebuntur vt phialæ, & quaſi cornua altaris.* Quibus verbis ſpiritus magnitudinem atque Apoſtolicæ gratiæ amplitudinem indicat, qui non vt Cyathi anguſti, ſed vt amplæ patentes phialæ, vinum exceperint diuinum, atque vt angeli altaris in alios imbre pleniſſimo effuderint. Eius tam felicis ebrietatis vtinam nos aliquando compotes ſimus. Deſiderandum certè atque omnibus precibus à Chriſto Deo noſtro petendum, vt nos quoque vino hoc ſuo, vel aliqua ex parte impertiat, cuius plenum ac nunquam deficientem hauſtum conuiuio cœleſti, nuptijſque Hieroſolymæ ſupernæ reſeruat.

Hilar. Arelatenſ. in hoc Euang. ho. 2.

Actor. 2.

Zachar. 9.

IN DOMINICA TERTIA POST EPIPHANIAM, CONCIO PRIMA.

Ecce leproſus veniens adorabat eum dicens, Domine ſi vis, potes me mundare. Matth. 8.

1 Per leprā ſignificari peccatum.

QVOD eſt in humano corpore lepra, id eſſe in animo peccatum Sancti Patres veriſſime docent. Neq; enim inficit ita & commaculat labes illa, corporis membra, atque peccati lues mentem contaminat fœdatque. Sanctitatem definit Dionyſius Areopagita in hunc modum: *Sanctitas eſt omni ſcelere libera perfectaque, & penitus incoinquinata munditia.* Cum igitur ſanctitati peccatum contrarium ſit, neceſſe eſt contrariam quoque rationem habeat, ſitque macula quædam ac labes intimè inhærens in animo: cuius proinde ſymbolum ſit lepra, quæ propriè immundum reddere hominem lege cenſetur. Nam vt Radulphus Flauiacenſis aſſerit. *Leproſus nullus dicendus eſt, niſi ille qui poſtquam peccauit, pænitentiam agere contemnit.* Neque enim tam ſanari quam mundari, quod etiam Auguſtinus animaduertit, dicuntur ij, qui malo eo liberantur. *Mundi ſunt oculi tui*, ait quidam Propheta, *ne videas malum, & reſpicere ad iniquitatem non poteris.* Nihil enim Deo ita ſordet, nihil æque eſt horrori, atque peccator. Quamobrem quæ de lepra leproſiſque hominibus Moſis lex accuratiſſime tradit,

Orig. hom. 5. in Matth. Radulph. Flauiacenſ. lib. 9. in Leuit. Chryſoſt. ho. 26. in Mat. Iſichius lib. 4. in Leuit. Remig. in catena S. Thom.

tradit, quoniam teſte Paulo lex ſpiritualis eſt, ea nobis ſunt diligentius conſideranda. Merito enim Cyrillus ad cognitionem medicationemq; peccati pertinere ea omnia interpretatur. Sed antequam recito verba legis, vt Euangelio ſeruire intelligatis, illud mementote, quotieſcunque Dominus legitur leproſos mundaſſe, extra vrbes & oppida id perfeciſſe, in agro ſcilicet aut via aut ſepoſito à ciuibus loco. Sic enim hodie leproſus deſcendenti de monte occurrit: ſic ingredientem per Samariā decem leproſi longe poſiti interpellarunt. Deinde ſemper ad ſacerdotes remittebantur, quod in nullo alio morbi genere curando Dominum præcepiſſe accepimus. Poſtremo, quod iam dixi, non tam leproſi curari ſanariue dicuntur, quam mundari. Quæ omnia aperte legis antiquæ inſtitutis congruunt, atque in iis myſterij quippiam vel potius plurimum ſubeſſe non obſcurè declarant. Quod ſi litera occidit, ſpiritus autem viuificat, omnino enitendum eſt, vt literam quidem ſic afferamus, vt ſpiritum in ea latentem diuina gratia freti depromamus.

Dionyſ. cap. 12. de diuinis nomin. *Radul. lib. 9 in Leui. c. 1.* *Aug. lib. 2. Euang. quæſt. c. 40.* *Habac. 1.* *Rom. 7.* *Cyrill. in Leuitic.* *Luc. 17.* *2. Cor. 3.*

Habent igitur ad hunc modum verba legis: *Quicunque maculatus fuerit lepra, & ſeparatus eſt ad arbitriū ſacerdotis, habebit veſtimenta diſſuta, caput nudum, os veſte contectum, contaminatum ac ſordidum ſe clamabit. Omni tempore, quo leproſus eſt & immundus, ſolus habitabit extra caſtra.* In primis maculam, quod ante iam dixi, vocat lepræ morbum, propterea quod fœdat, ac deturpat, viſuque abominandum hominem reddit. Quod ſi eam nos ſpectare poſſemus fœditatem quam animæ peccatum affert, nihil ea labe deformius, nihil eſſe immanius facile intelligeremus. Quid enim? quid præſtat fucare faciem, atque exornare, cum animus tam deformi monſtro fœdetur? *Si laueris te nitro* (Hieremiæ verba ſunt hæc) *& multiplicaueris tibi herbam Borith, maculata es in iniquitate*

2 Opera in peccato mortali exiſtentis, non valere ad meritū. *Leuit. 13.* *Hier. 2.*

quitate tua coram me, dicit Dominus. Nullis figmentis tegi poteſt turpitudo peccati: nulla elui ea labes vel fortiſſima ſaponis aut nitri vi. Oculis Dei patent, quæ clauſa ſunt noſtris. *Denigrata eſt*, ait alio loco, *facies eorum ſuper carbones*. Oziam Regem lepra infectum non ſolum templo eiectum, ſed etiam palatio excluſum, ſolitudinem tenuiſſe tanquam auxilio damnatum, ſcriptura refert, cum primum lepra deformatus, eſt deprehenſus. Naaman quoque fortis & diues, ſed leproſus, conſpectũ ſancti Eliſæi non impetrat, nec meretur, donec lepra exutus purus à Iordane reuertitur. Nimirũ potentia, opes, imperium nihil diuinũ ſpir tum iuuant, ſi peccatorum maculis ea bona contaminantur. Quanta vero ſit peccati labes, quam fœda, quam horrenda, illud vnum abundè demonſtrat, quod ex pulcherrimo ac præſtantiſſimo Angelo, ſubito effecerit fœdiſſimũ atque immaniſſimum dæmonem. Quis ad hunc aſpectum non expaueſcat? quis huius labis vel vmbram non pertimeſcat? ſed qui lepra maculatus ſit, eum lex iubet veſtimenta habere diſſuta. Quid hoc rationis habet? imo vero vel non eſſe veſtitum præſtaret, quam veſtimenta nullo vſui geſtare. Diſſutæ ſunt veſtes neque defendunt à frigore, neque hominẽ ornant: quos in duos vſus comparãtur. Quod ſi diſſuas ac ſoluas tibi vel togam vel tunicam, vel quidquid indumenti geris, nonne & vtilitatis ad pellendum iniurias temporis nihil reperias, & turpis ac ridiculus oculis cæterorum futurus ſis, quæ oportuerat tegere aperta proferens? Verum Hierolyphicum quidam peccati in eo præcepto legis agnoſcite. Veſtimentis ſcriptura ſuo more opera noſtra ſignificat. Vt enim veſte homo tum calorem vitæ neceſſarium conſeruat, tum corpus ornat, vt decens cultumque incedat, ſic officijs virtutumque actibus & vita

Thren. 4.
2. Para. 26.
4. Reg. 5.

& vita interna ſeruatur. & mens condecoratur, cohoneſtaturque, quo Dei & Angelorum 'aſ pectibus gratior ſit. Quare Eſaias vituperans praua facta dixit: *Neque operientur operibus ſuis, opera eorum opera inutilia non erunt apta in veſtimentum.* Apertius vero & ad rem qua de agimus, accommodatius Ioannes in Apacalypſi: *Beatus qui cuſtodit veſtimenta ſua, ne nudus ambulet, & appareat turpitudo eius.* Videte igitur miſerrimum peccatoris ſtatum, qui iubetur veſtimenta habere diſſuta, vt perſpicuum fiat, opera quidem bona etiam à peccatore fieri poſſe, id enim eſt habere veſtimenta, ſed ea tamen eſſe diſſuta, hoc eſt, nullo charitatis vinculo accommodata, neque ad meritum valere, neque ornatum animæ afferre. Tanquam ſoluta & proinde inutilia & inepta, neque calorem ſpiritui, neque decus aliquod conferentia. Eleganter id Iſichius interpretatus eſt: *Quia leproſum, inquit, legislator intellexit eum, qui ſecundum prædicta peccata immundus eſt, neceſſario eius diſſolui veſtimenta præcepit, vt per hoc cognoſci poſſit, quia diſſolutas habeat virtutes, atque vires animæ, quæ eam ab æſtu atque gelu peccati poterant cuſtodire.* Prorſus bene & aptè Iſichius breſbyter Hieroſolymitanus hæc dixit. Nã profeſtionis vinculum charitatem Paulus appellat: ac proinde ſine charitate ſiue ieiunes, ſiue eleemoſinas tribuas, ſiue corpus maceres, ſiue diuinas preces hymnoſque decãtes, opera ſunt quidem bona, ſed ad gratiæ meritũ prorſus inepta, tanquam veſtimenta diſſuta, neque ad vitæ vſum, neq; ad decorem comparata. Quanta vero ſi ea calamitas, quæ iactura; vt tot laboribus, tot operibus bonis ac ſanctis, qui in peccato mortali verſatur (de hoc enim nobis eſt ſermo) nihil ſibi gloriæ, nihil gratiæ apud Deũ comparet, ſi quis attentius conſideret, miſerrimum & infelicisſimũ peccatoris

Eſai. 59.
Apoc. 16.
Iſichius in Leuit. lib. 4.
Coloſ. 3.

peccatoris ſtatum deploret ac lamentetur neceſſe eſt. Quanquam bona opera ad id valent in peccatore, ne peccato amplius induretur, tum alios quoſdam vſus non reijciendos habent, ſed decoris interni, meriti inquam gratiæ ac gloriæ nihil penitus habent.

3 Peccato mortali ſpem debilitari, fidē effici mortuam.

Sequitur illud. *Caput nudum.* Quamquam eſt ſimile hoc ſuperiori, cum ſint rationis eiuſdem & ad tuendum corpus & ad decorem quendam, habere caput opertum, vt veſtes conſutas & concinnatas, tamen eſt aliquid peculiare. Nam qui nudatum gerit caput, non ſolum expoſitus eſt frigoris & caloris iniurijs, imbris ac ſolis, ſed etiam periculo obiectus, ſi quis ferire ac vulnerare voluerit, aut caput quouis telo appetere. Itaque quem nudum geſtare iubet lex caput, eundem ſecuritate carere docet, atque omni periculo exponi. Eſt enim peccati grauis conditio, quæ diuino præſidio peccatorem nudat, atque infinitis incommodis periculiſque obuium exponit. Paulus quidem ſpem vocat galeam ſalutis quod protegat caput hominis. Itaque quia gratia Dei deſeritur, eum galeam ſalutis exuiſſe exiſtimate, nec dubitate mille calamitatibus, mille periculis obiectum. Suffragatur ſententiæ noſtræ Iſichius his verbis vtens: *Habere autem eum & caput nudatum præcepit, vtpote ſalutis galeam non habentem, quam Paulus inter intelligibilia arma ſumi præcepit.* Inermem ergo & iniuriæ expoſitā relinquit animā peccatum; quam ex ſcelere ſuo miſeriam agnoſcens Cain ille parricida conquerebatur, hoc modo: *Ecce eijcis me hodie à facie terræ, & à facie tua abſcōdar: & ero vagus, & profug⁹ in terra. Omnis igitur qui inuenerit me, occidet me.* Quāta ſit ſecuritas diuinæ gratiæ, quam tutū perfugiū bonæ conſcientiæ, poteſtis facile cogitare. *Semper enim præſumit ſæua*, vt Sapiens dixit, *perturbata conſcientia. Os veſte contectum.* Omnia contrario

Ephes. 6.

Iſichius lib. 4. in Leuit.

Gen. 4.

Sap. 17.

tio modo. Nam caput quod debet tegi, nudum: os, quod ſolet apertum geri, tectum eſſe iubetur. Nihil in homine dignius ore, nihil quod perſonam æque demonſtret, ac facies: quam eſſe voluit natura omnium animantis partium maxime honeſtam ac decoram. Ergo lepra peccati infectus tegere os iubetur, vt ignotum ſe Deo cæloque ipſi abominandum intelligat. Nam qui gratia Dei excidit, eum à Deo ignorari Scriptura docet. *Diſcedite*, inquit, *à me operarij iniquitatis, qui neſcio vos*, & Paulus, *Cũ cognoueritis Deum, imo cogniti ſitis à Deo*: ſic enim habet etiã ſermo vulgaris, vt notos alicui dicamus, quos habet ſibi coniunctos ac familiares. Quare peccator ignotus Deo iure cenſetur. Habet ille quidem os, ſed tamen veſte tectum: ac proinde ignotum. Habet, inquam fidem: neque enim neceſſe eſt interire ſimul fidem cum charitate: ſed habet fidem mortuam. Idem enim valet facies operta, quod fides mortua. Facie enim fidem deſignari Gregorius eſt autor. Itaque ſi penitus conſideretis, inuenietis miſerrimum ſtatum peccatoris illis tribus rebus notari, quoad tres omnium præcipuas virtutes, quas theologicas diuinaſque merito vocamus, Fidem, Spem, Charitatem: veſtibus diſſutis charitatem amiſſam, capite nudato ſpem debilitatam, ore coopetto, fidem vita carentem accipite. Quibus incommodis quid poteſt grauius aut acerbius cogitari.

Leuit.13. *Matth.7.* *Galat.4.* *Greg. hom 3. in Ezech.*

Quarto iam loco *Contaminatum ac ſordidum ſe clamabit.* Omnem alium ſermonem lex eripit, ſolum quod ſe prodeat infectum, clamorem leproſo relinquit. Eſt enim lepra lues ea, quæ facile contagione contaminat: quare nullum eſſe commercium, nullam congreſſionem oportet aliorum, qui poſſint ignari inquinari. Ita interpretatur eum locum Leuitici Radulphus Flauiacenſis: *Separabit eum, id eſt,*

4 Cõtagionem peccati fugiẽdam.

eſt à cœtu fidelium ſegregabit. Timendum eſt enim, ne virus quod in animo portat, familiaritatis contubernio etiam alijs infundat. Et idem: *quamdiu leproſi ſunt & mundi ſoli habitent extra caſtra, & adimpleatur in eis, quod principi reproborum omnium per Iſaiam pronuntiatur: Quaſi cadauer putridum non habebis conſortium vt dum ab vniuerſis eorum ſocietas deteſtabilis indicatur, ſoli pereant, qui ad ſalutem redire detrectant*. Ea nimirum eſt natura peccati, vt maneat & fluat in alios, qui communicant peccatori. Communicant, inquam vel conſenſu, vel conſilio vel opera. *Digni enim ſunt morte non ſolum qui faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facienti* ait Apoſtolus. Et *Recedite à tabernaculis hominum impiorum, neque inuoluamini in peccatis eorum. Et immundum ne tetigeritis, ſed recedite*. Quæ omnia colluuionem peccati eſſe fugiendam manifeſtè oſtendunt. Quid? An ex primo peccato Angeli, non ſunt cæteri Apoſtatæ Angeli corrupti? Maxima enim lepra ſuperbia, vt etiam Bernardus cenſet. Quid? num progenitores noſtros primos videmus? an non ex muliere in virum, ex parentibus in totam progeniem peccati labem permanaſſe conſpicimus? ſatis ergo leproſo ſit, quod ipſe peſſimè habeat, noli talios attrahere in eandem peſtem: proinde ſordidum ſe ac peſtilentem inclamat. *Itaque Omni tempore quo leproſus eſt & immundus, ſolus habitabit extra caſtra*. Seruatam eſſe diligenter legem ea parte hiſtoriæ ſacræ perhibent. Nam Maria Moyſis ſoror lepra percuſſa diuinitùs, ſecedere extra caſtra coacta eſt. Ozias Rex extra vrbem conſtructo domicilio toto vitæ tempore ex quo tactus eſt lepra, commoratus eſt. Leproſi illi quatuor qui in ſpolia Syrorum primi inciderunt exulaſſe Samaria perhibentur. Habet vero id rationem politicã, & humanã, ne cæteri inficiantur eo malo, quod natura ſerpit, quemadmodũ nunc cernimus eſſe

Radulph. Flauicenſ. li. 9. in Leu. c. 2. & 8.

Rom. 1.

Num. 16.

2. Cor. 6.

Num. 12.

2. Paralip. 26.

4. Reg. 7.

eſſe domicia quædam ſeparata ab vrbibus quæ ſolent vocare Lazareta, quo homines vel infecti vel certe ſuſpecti ſe recipiant vſque dum contagione purgentur. Sed habet cauſam lex cum ſit ſpiritualis, altiorem: inſinuat planè eum qui corruptus eſt fœditate peccati, Sanctorum conſortio priuari. *Eſtis* ait Paulus, *ciues Sanctorum, & domeſtici Dei*. Atque alio loco. *Acceſſiſtis ad Sion montem, & ciuitatem Dei viuentis Hieruſalem cæleſtem, & multorum millium Angelorum frequentiam, & cætera*. Magna ſunt diuinæ gratiæ præſidia, præclara emolumenta; ex tot tantorumque ciuium amicitia, ac fœdere: iure eodem ciuitatis cæleſtis gaudent omnes iuſti: mirabili inter ſe vinculo conſtricti His caret omnibus, qui Dei gratia excidit: procul ab ea ſocietate recedit. Ob id Maria ſecedere iuſſa eſt extra caſtra, vt quæ Deum habebat infenſum, etiam fratrum ciuiumque ſuorum ope amicitiaque ſe ſpoliatum ſciret. Ea autem relegatio atque excluſio duobus modis intelligi poteſt. Vno quidem cum interno habitu charitatis abiecto, iuſtorum ſocietatem internam amittit. Atque id eſt ſanè commune omnibus, qui mortali tenentur crimine. Altero vero cum etiam externa ſocietate priuatur fideliũ, quod per Eccleſiæ cenſuram efficitur. cũ rebelles excõmunicantur. Quod genus exilij ſupplicijque grauiſſimi omnino eſt extimeſcendum, quod priuet ſuffragijs orationibuſq; Eccleſiæ, quarũ contẽplatione multi è mortuis reuocantur ad vitam. Sunt enim excõmunicati tanquã igni aquaq; interdicti, quæ erat Romanis extrema pœna, ac pene capitali par. Itaque leproſi inter feras agere, non cum hominibus verſari debent: magisq; luſtra latibulaque ferarum, quam hominum tecta ac domicilia ſubire. Vt intelligant demum peccatores ſe humanam exuiſſe vitam, belluinam ferarũq; propriã miſerrima conditione

Epheſ. 2.
Heb. 12.
Num. 12.

conditione agere, quæ cum ita ſint peccatum nos fugere, fratres, diligentiſſime oportet, ac lepra quauis & peſte funeſtius malum exiſtimare. Quod ſi per vitæ incuriam inciderimus, ſciamus vni' Chriſti voce & congreſſu liberari eo malo poſſe. Id quo pacto aſſequamur, quoniam hodie non vacat, alias opportunè dicemus.

IN EADEM DOMINICA CONCIO SECVNDA.

Cum deſcendiſſet Ieſus de monte, ſequutæ ſunt e turbæ multæ. Matth. 8.

Chriſti altitudinē paucos humilitatem ſequutos plurimos.

Cvm in monte ſempiternæ maieſt tis Deus conſiſteret, non multos h buit, qui ſe ſequerentur. Quin poti is princeps qui ad illum aſcendere natus eſt, ſedemque ſibi in mōte ſtamēti parauit, in lateribus aquilonis, gradu de dit, ac miſero caſu in profundū pręceps eſt dat At cum primū Deus ille è monte deſcendit, ſe hominibus lenitate mirabili æqualem præb tunc ſcilicet innumerabiles habuit ſectatores mnes enim qui laborarent & premerentur m ad ſe iuſſit accedere, quos leuaret omni miſ Sic locum hunc Euangelicum diſſerit Haymo ius ea verba ſunt: *Secundum ſpiritualem intelliger per montem deſignatur cælum, deſcendente Domino de te, id eſt, de cælo veniente in mundum per incarna myſterium, ſequutæ ſunt eum turbæ multæ generis h*

Haymo in expoſ. Euāg.

per fidem. Niſi enim ille deſcendiſſet, nemo hominum in cælos aſcendiſſet. Poſtquam Dominus incarnatus apparuerit, & Euangelium mundo prædicauit, multæ turbæ ex omnibus gentibus ſequutæ ſunt eum, credendo, diligendo, & præcepta eius implendo. Sequuntur etiam quotidie, & ſequentur vſque ad finem ſæculi. Sic Haymo Chriſti deſcenſum ex monte interpretatur. Cuius deſcēſus Dei ex monte æternitatis in noſtræ vitæ depreſſa, fructum contemplās Eſaias ardenter vota faciebat. *Vtinam dirumperes cælos & deſcenderes: à facie tua montes defluerent.* Sicut exuſtio ignis tabeſcerent, aquæ ardeteut igni, vt notum fieret nomen tuum inimicis tuis: à facie tua gentes turbarentur. Cum feceris mirabilia non ſuſtinebimus. Deſcendiſti, & à facie tua montes defluxerunt. Hæc eo dicit, quod vbi Deus ſui copiam fecit hominibus nihil fuerit, quod eius potentiæ efficaciæque reſiſteret. Celſa mundi & ſummopere repugnantia verbi Dei virtuti ceſſerūt. Vt ſolet ingenti igni materia arida correpta. Simul illud è monte deſcendens Domin⁹ docet, magiſtros præfectosq; Eccleſiæ non debere ſolū in monte cū Apoſtolis, id eſt, viris perfectis ſapientibusque verſari, ſed oportere ad vulgares humileſque deſcendere. Ita commentatur Origenes. *Deſcendite nunc Domino: hoc eſt, inclinante ad infirmitatem & impotentiam ceterorum, cum miſertus eſſet infirmitatis atque imperfectionis eorum, ſequutæ ſunt eum turbæ multæ.* Haymonis etiam ſententia eſt eadem ita loquentis: *De monſtratur autem doctoribus, vt in prædicatione ſua ſermonem habeant temperatum, & ſicut viderint capere vnumquemque poſſe, ſic verbum Dei annuntient. Aſcenderunt enim in montem doctores, cum perfectioribus excellentia præcepta oſtendunt: deſcendunt autem cum inferioribus leuiora demonſtrant.* Rectè hæc ab Origene & Haymone dicta, cum ſint magiſtri. Quod Apoſtolus de ſe profitetur, ſapientibus atque inſipien-

Eſai. 64.

Origen. hō. 5. in Matth.

Haymo. in catena S. Thom.

tibus debitores. Imo verò quod monet idem
Rom. 12. ſtolus, habet etiam hic locum: *Non alta ſapient*
humilibus conſentientes. Turbæ enim ſequutæ
num referuntur: rari in eo comitatu viri pri
rari omnino legis prudentes, ſapientiæ laud
ſtantes. Phariſæos audi iactantes: *Nunquid*
Ioan. 7. *ex principibus credidit in eum? Sed turba hæc quæ*
legem Neque id à Chriſti conſilio alienum ſi
Iac. 2. cobus teſtatur *Non Deus pauperes elegit, diuites*
& hæredes regni? Cum ergo deſcendiſſet de m
ſequutæ ſunt Ieſum turbæ multæ.

2 Prius Deus adorandus, mox orandus.

Et ecce leproſus veniens adorabat eum, Qui ſe
nibus deſertum videbat, ad Chriſti miſerico
ſibi confugiendum exiſtimauit, quem deſert
uem atque à cætero grege errantem per illa c
ſtria loca ac decliuia requirere intelligebat. N
vero metuebat, ne immundus ſordibus ſuis c
Chriſti mundiſſimos offenderet. Etſi enim a
ni illum eiuſmodi labe abhorrere nouerat,
eo, vt aſpicere immunda non poſſet, tamen i
conſiderabat, vt vellet miſeria leuare miſero
Pſal. 24. potentem, vt aſpectu ſolo reddere poſſet mu
ac ſalutem. Itaque eum ſic alloquebatur: *Reſ*
in me, & miſerere mei. Quanto ſum equidē miſ
tanto tu Domine miſericordior declaraberis.
autem adoraſſe primum narratur, deinde poſt
fecit ſane diuina ſcientia edoctus. Sic enim o
accedentes ad Deum facere: vt primum Dei
ſtatem cognoſcant, venerentur, adorent, eius
mam potentiam ac magnitudinem confite
Deinde vt precentur, eaque poſcant, quæ ſi
portuna & neceſſaria perſpexerint Origenis e
Origen. homil. 5. in diuerſos locos Matth. quoque doctrina, qui factum leproſi expon
verbis: *Venit ad Chriſtum homo leproſus adorans ei*
tequam peteret, adorare cœpit: antequam rogaret,
ram oſtendit. Adorauit eum. Pro hoc ipſo Deum &

num eum inuocans adorabat eum. Sicut enim illi beati Magi prius procidentes adorauerunt eum, & ita demum ei munera obtulerunt, ita & nunc iſte cadens adorabat, & ſic ſupplices obtulit poſtulationes. Prius ergo reuerentia eſt exhibenda Deo, deinde preces promendæ. Ad eum nos Chriſtus modum erudijt non oratione dominica: principio dicentes: *Pater noſter, qui es in cælis, ſanctificetur nomen tuum.* Quod ad Dei gloriam eiuſque diuinitatis confeſſionem pertinet, Deinceps quæ ſequuntur, ad noſtros vſus & vota iam ſpectant. *Adueniat regnum tuum,* Eadem methodo Apoſtoli & cuncta illa Eccleſia precata narratur in actis Apoſtolicis in hæc verba: *Domine tu qui feciſti cælum & terram, mare & omnia quæ in eis ſunt, qui Spiritu ſancto,* &c reliqua quę ad confeſſionem adorationēque numinis pertinēt, quibus ſtatim attexūt, quæ ad preces ac vota ſua faciebant: *Et nunc Domine reſpice in minas eorum.* cætera poteſtis relegere. Qua cæleſti, vt ita loquar, rhetorica Eccleſiā ſacroſanctā fere cum precatur, vti facile quiuis poteſt animaduertere. Nā initia propemodū omnia eiuſmodi ſūt, Deus qui hoc aut illud feciſti, aut voluiſti, vel etiā, omnipotens ſēpiterne Deus, qui dediſti famulis tuis, &c. Mox id quod optat, precatur, & poſtulat: cōcede quæſumus, da, vt ſupplices exoramus, cæteraque ſimilia. Neque præcepta hæc negligenda ſunt priuatis in precibus, ſed non tā memoriter verbisq; præſtanda ſunt, quā ſpiritu & veritate, vt creatura Conditoris primum maieſtatem agnoſcat & veneretur, deinde ſua poſtulata depromat.

3 Perfecta oratio leproſi ex cognitione diuinæ potentiæ & propriæ miſeriæ profecta.

Domine ſi vis potes me mundare. Breuis ſane oratio, ac plena ſapientiæ. Quæ fidem fiduciamque inſignem declaret: qua ſimul ſummam Dei potentiam, ſimul extremam ſuam miſeriam leproſus hic confitetur Si vis, inquit, potes. Vim huiꝰ orationis Orig. elegāter explicat his verbis. *Volūtate tua opꝰ eſt.*

Orig. hom. 5. in diuer. loc. Matth. *quia & opera voluntati tuæ obediunt. Ideoque ſi tes me mundare Non dubitans fallor: ſcio quia om tes: idcirco non potentiam peto, nec fortitudinei ro. Homines enim ſcio deficientes: ſed tantum v tem tuam deprecor, & ſequens virtus ſtatim ba tiam adimplebit. Domine ſi vis potes me mundare: beneficium, tibi ad gloriam, videntibus ad miracu proficiendi doctrinam.* Igitur magnitudinem potentiæ cognoſcens voluntatem depreca Magnum fratres ſpei noſtræ præſidium, ſum pes, noſſe nihil Deo impoſſibile, nihil difficil *Sapien. 11.* *eſt enim tibi cum volueris poſſe.* dixit Sapiens. N ſcilicet exhauritur copia illius potentiæ: i ſemper opes permanent, quidquid expenſum hil imminuitur ille theſaurus. Poſt innumer ra miracula, reſtat eadem multo plura patrar Quis hanc tam potentiam non admiretur? iucundè canat, quod celebrant illi immort *Exod. 15.* ues, *Omnipotens nomen eius.* Infirmæ ſunt h opes: inanis & falſa potentia regum. Quam multa volunt, nec poſſunt? Ea vero quę poſſu anguſtè, quam difficulter? vt huic conferant lio tollunt. Quæ expendunt, non amplius h Quo plura poſſe videntur, pluribus veriſſimè eoque ſe plura requirere, ac deſiderare fatean ceſſe eſt, quo ampliori dominatu præditi ſur potentia humana nihil eſt aliud quam opule opia, vel inops, ſi maius opulentia. Præclar *1. Tim. 6.* illud ab Apoſtolo dictum de Deo. *Beatus, & tens, Rex regum, & dominus dominantium.* Atq; cati miſeria leuanda ea maxime elucet Dei tia. Nullus enim eſt alius lepræ iſtius mec ſanator: *Ego ego ſum,* ait ipſe, *qui deleo iniquita propter me.* Opportunè igitur, *Domine, ſi vis,* *mundare.* Qua ratione nobis vtendum plu cum vel ad altare accedimus, vel ad preces

nas diuturnasve ſtamus, vel etiam exomologeſim facere volumus. Etenim, fratres, quis eſt qui ſeſe reſpiciat, ſi non eſt oculis captus, qui non maculis ſe & ſordibus & labe plurima non ſolum reſperſum, ſed infectum plane ac perſuaſum totum inueniat? ſiue internas ſordes cogitemus, quas ex vtero contraximus, ſiue quæ ipſi addidimus vitæ impuriſſimæ probra, ſiue quotidianas humanæ naturæ maculas conſpiciamus, omnino dementes ſumus, niſi nos cænum ipſum & labem ducimus. Quid enim præſtat ſtemma antiquum? quid generis iactantia clariſſimi? quidquid homo eſt, putre quiddam & ſanie redundans vlcus eſt. Niſi nos puriores ſanctioreſque ſanctiſſimo Propheta putamus, qui de ſe quoque ita ſentit. *Facti ſumus, vt immundus, omnes nos: & ſicut pannus menſtruatæ, omnes iuſtitiæ noſtræ.* Si ipſas iuſtitias noſtras, ſi puriſſima ac ſpecioſiſſima quæque, tamen fœdiſſimam ac cruentam eluuiem puerperarum, quæ vix oculis ferri queat, Eſaias appellandam cenſet, quid erit de ijs, quas nos ipſi erubeſcimus, impuritatibus, flagitijs, corruptelis? O nos inſanos ſi aliter ſapimus: ſtultiſſimos, ſi tales enim ſimus, opportunitatem ſalutis nobis oblatam non ſuſcipimus. En Chriſtus adeſt: huic præces & vota cur nõ ardenter facimus? Quis enim poteſt facere mundũ de immundo conceptum ſemine, niſi tu qui ſolus es? Sic Iob ille beatus: ſic hodiernus peccator: *Domine ſi vis potes me mundare.* *Eſai. 64.* *Iob. 14.*

Et extendens Ieſus manum, tetegit eum dicens, volo: Mundare. Dei plane voluntas eſt actio, manum extendit cum vult. Fidei noſtræ inopiæ aſcribendum eſt, ſi Dei manus contracta cernitur. *Non poterat*, ait Euangeliſta. *virtutem vllam facere, niſi paucos infirmos curauerit, & mirabatur propter incredulitatem eorum.* Infidele & ingratum cor ligat quodam modo 4 Prompta Dei ad benefaciendũ volũtas

Digitized by Google

Deo manus, ne vti poſſit ſua magni ficentia. Sed eſt manus extenta Dei, quæ ad ſeueritatem vindictamque pertinet. Eam Eſaias ſæpe repetit, ob malitiam ſcelerumque noſtrorum multam improbitatem nimirum extentam, quam nulla vis propulſare mortalium queat. Eſt contra manus extenta miſericordia, quam impetrat humilis cognitio noſtræ miſeriæ, & ſimplex ac vera confeſſio. Habet autem illa maieſtas opes omnes ſuas ad manum, ita vt aperire cum libeat, nihil amplius requirat. *In manibus ſuis abſcondit lucem, & præcipit ei, vt rurſus oriatur.* Sic ſane ſcriptum eſt: *Et annuntiat de ea amico ſuo, quod poſſeſsio eius ſit.* Nec ſecus Dauid. *Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.* Quod ſi manus Chriſti non ſolum apertas conſideremus, ſed etiam cruci affixas, ita vt claudi non poſſint, ita ruptas ac perfoſſas, vt ſanguis copioſiſſimus effluat, nequaquam de Regis noſtri liberalitate & munificentia dubitare poſſimus. Quid enim poteſt deeſſe ad cauſam, quid requiri? nos miſeri ille miſericors eſt. Natura habet, vt & bonus ſit, & benefacere amet. Ergo ſi vis, potes, & quia potes, vis. Neque enim punire ſupplicio tam tibi iucundum, quam ignoſcere culpæ. Si quis dubitat, ipſum audiat: *Nunquid voluntatis meæ eſt mors impij: ac non magis vt conuertatur & viuat?* Itaque cum vindicat, dolenter id ſe facere declarat, prius enim ingemiſcit, & dicit: *Heu conſolabor ſuper hoſtibus meis, & vindicabor de inimicis meis.* Mallet parcere, ignoſcere plane cuperet; ſed noſtra perfidia non ſinit. Id ſcilicet dolet. At cum benefaciendum eſt, promptè alacriterque & dicit & agit: *Volo mundare.* Breui & fideli oratione, vt bene ſcribit Ambroſius, æque breuis & cita conceſſio. Si vis, volo. Potes mundare. Ergo: mundare. Nempe *volens miſericordiam eſt,*

Eſai. 5. 9. 10. *Iob. 36.* *Pſal. 144.* *Eſa. 1.* *Ambroſ. ſuper. c. 1. Luc.* *Mich. 7.*

eſt, quod Propheta dixit, & res oſtendit. Id cum nos bene cognoſcemus, cum ſumma fiducia quidquid vſui ſit à tam potente voluntate petemus, à tam miſericordi bonitate impetrabimus.

Vide, nemini dixeris. Fuiſſe multos coram hiſtoria prodit: id factum celari non poſſe, Dominus probè nouerat. Neque vero aut ingratum aut negligentem cupiebat ſalutis ſibi illatæ denuntiatorem. Quid ergo vetat dicere, quod neque celari vult, neque vero poſſe cognoſcit? Nos videlicet erudit, ne laudes affectemus humanas, idque valet vetuiſſe dicere, quod ſe alienum ab omni laudis ſtudio oſtendiſſe. Ita hoc loco Chryſoſtomus: *Nulli hoc eum iuſsit fateri, docens quam eſſet alienus ab aura gloriæ pompaque iactantiæ. Et certe nouerat, quia non eſſet ille taciturus, ſed paſſim tam grande beneficium prædicaturus: & tamen quantum in ipſo eſt, fugit oſtentare quod fecerat.* Humilitatem Chriſti etiam Hieronymus commendat hoc loco. Quæ ſane virtus permagna eſt atque admodum rara, vt cum præclare te habeas, resque geſſeris magnas; aliorum notitiam exiſtimationemque defugias. Paulus de ſe id profitetur: *Non quærentes*, inquit, *laudem neque à vobis, neque ab alijs.* Hieremias item. *Et diem hominis non deſideraui.* Ne ergo gloriam humanam quæramus, ſi diuinæ ſeruire voluntati volumus. Valde enim periculoſum, flammam lucernæ vento exponere: auræ flatus, exiguum cito lumen extinguit, & vertit in fumum. Id nobis incautis ſæpe in bonorum operum prædicatione hominum accidit. Quare Chriſtus præcepit, ne ſiniſtra cognoſceret, quid boni dextera perficeret. Sic etiam cum ſanaſſet aliquando ſurdum & mutum, præcepit Dominus ijs, qui ad ſe hominem attulerant, ne cui rem

5 Laudes hominum defugiẽdę.

Chryſoſt. hom. 36. in Matth.

1. *Theſſ.* 2.

Hiere. 17.

Marc. 7.

rem perfectam à ſe proderēt. Et tamen illi Dei
riæ ſtudentes, non deſtiterunt eius admiranda
ra prædicare. Quanquam poteſt hoc loco is ſe
verborum Chriſti non ineptè accipi, quem a
quidam antiquus ſequitur: vt nemini mundit
ſibi reſtitutam leproſus ante perhiberet quam ſa
doti, cuius id erat munus, rem cognoſcendam
poneret. Itaque coniungenda erunt illa verba, V
nemini dixeris: ſed vade oſtende te ſacerdoti t
quam dicat, nemini te prius quam ſacerdoti ex
beas. Quod & ſacerdotis dignitatem commenda
dam, & ad veram miraculi fidem probandam p
tinere videtur. Vt in nuptijs etiam Chana Galil
vinum à ſe factum primum Architriclino propin
dum probandumque imperauit.

Autor imperfecti in Matth hom.20.

6 Sacerdotum cognitioni ſe debent ſummittere, quicunque diuinitus ſanari volunt.

Sed oſtendere, inquit, ſacerdoti ſiſtere ſe le
proſum Dominus, & hunc, & illos decem quo
Lucas refert, multas ob res præcepit. Primum
vt legi Moſaicæ obtemperarent, cuius ſe non e
uerſorem ſed perfectorem Chriſtus habere voluit. Deinde quod animaduertit Ambroſius, ipſa
oſtenſione lepræ curatæ, cum modum neceſſario eſſent audituri, ſacerdotibus innoteſcere oportuit autorem eius munditiæ, quam vel tactu
vel voce effeciſſet, lege eſſe ſuperiorem, atque altiori potentia facultateque præditam. Accedit, quod
ſacerdotum dignitati optimè ſemper conſultum
voluit, neque in ducere in animum paſſus eſt quos
diuinis beneficijs affeciſſet, vt humanos idcirco
gradus ordineſque contemnerent. Nam & Saulum
tantum militiæ Chriſtianæ ducem futurum, cū per
ſe Chriſtus mutaſſet, tamen diſcipulo Ananiæ imitandum inaugurandumque commiſit. Et Centurionem Italicum Angelus, vt Simonem ſibi magiſtrum accerſeret, monuit. Poſtremo Euangelici
ſacerdotij vt Auguſt. Gregoriusq; optime philoſophantur,

Actor. 6.
Actor. 10.

phantur, cum dignitatem, tum munus atque functionem eo facto deſignandam exiſtimauit. Neque enim qui lepram peccatorum gerunt, & diuinitus tacti mundantur, id eſt, compunctione & contritione cordis veriſſima Dei offenſas dolent, quanuis ſint in Dei gratiam recepti, pœnitentiæ ſacramentum contemnere debent, neque confeſſionem ſacerdoti Chriſti faciendam vllo modo prætermittere. Primum quod an mundati ſint, neſciant, idque ſacerdotis ex lege proprium iudicium eſt. Deinde perſæpe niſi ſacerdotali ſententia, non datur remiſſio culpæ. Deinde mutuas ſibi vices præbent Deus ac miniſter Dei, eandemque ſanitatem animæ reddunt, ille vt autor & Dominus, hic vt executor & ſeruus. Ille interna motione, hic externo ſacramento. Ad hunc ſane modum Patres confeſſionis ſacramentalis neceſſitatem ex hoc Chriſti documento eliciunt. Inter quos non exiguæ autoritatis Haymo ſic ſcribit. *Leproſus, id eſt, peccator neceſſe eſt, vt accedat ad ſacerdotem, & oſtendat lepram, id eſt, confiteatur ei peccata ſua, & per iudicium ſacerdotum debet ſe abſtinere ab introitu Eccleſiæ donec mundetur per pœnitentiæ lamentum. Expleta vero digna pœnitentia, iterum per iudicium ſacerdotum recipiatur intra caſtra, id eſt, ſocietatem Eccleſiæ, & reconcilietur altari, & communicetur corpore & ſanguine Domini.* Ita quidem ille ex veteri traditione perpetuoque vſu Eccleſiæ. Quem ſane Eccleſiaſticum vſum pœnitentiæ beatus quoque Auguſtinus commendat his verbis: *Iudicet ſeipſum homo, & mores conuertat in melius. Et cum in ſe protulerit ſeueriſſimæ medicinæ ſententiam, veniat ad antiſtites, per quos illi in Eccleſia claues miniſtratur, & à præpoſitis ſacrorum accipiat ſatisfactionis ſuæ modum.* Atque in eodem opere ad finem: *Certiores ſunt claues Eccleſiæ, quam corda Regia. Quibus quodcunque in terra ſoluitur, etiam in cælo ſolutum eſſe promittitur.*

Leuit.13.

Haymo in expoſ. Euangel.

Auguſt. homil.50 cap. 11. & 10. de pœnit. d.1. c indicet.

In 4. ſent. d. 7. cap. ſed quid.

Digitized by Google

IN EADEM DOMINIC

CONCIO TERTIA.

Offer munus quod præcepit Moyſes in teſtin nium illius. Matth. 8.

1. Per duos paſſeres in ſacrificio leproſi oblatos, ſignificari duas naturas in Chriſto.

Hebr. 9.

NON dubium eſt quin lex vniue Moſaica plena myſteriorum ſ magnaſque habeat Euangeli perfectæque legis ſignificati nes, atque ea præſertim quæ expiandis ſceleribus deque pr curanda lepra, copioſe atque a curatè perſcripta ſunt. Quod Paulus ſatis inſinua cum ſacrificia vetuſta & totum illum apparatun victimarum ad Chriſti verè purificatorium ſangui nem, victimamque perfectam indicandam referr debere oſtendit. Quare vt munus leproſo offerendum à Chriſto imperatum, quo ſpectet, intelligatur, neceſſario legis erunt verba recitanda, & quid ea ſibi vellent, explicandum. Habet igitur ad hunc

Leuit. 14.

modum lex: *Hic eſt, ritus leproſi. quando mundatus eſt. Adducetur ad ſacerdotem, qui egreſſus de caſtris cum inuenerit lepram eſſe mundatam, præcipiet ei qui purificatur, vt offerat duos paſſeres viuos pro ſe, quos veſci licitum eſt, & lignum cedrinum, vermiculumque & hyſſopum: & vnum ex paſſeribus immolari iubebit in vaſe fictili ſuper aquis viuentes: alium autem viuum cum ligno cedrino & cocco & hyſſopo tinget in ſanguine paſſeris immolati, quo aſperget illum qui mundandus eſt, ſepties, vt iure purgetur: & dimittet paſſerem viuum, vt in agrum auolet.* Hæc ſane ſunt quæ ad munus offerendum, ſacrificiumque expiatorium pertinent: quæ ſunt nobis attentius conſideranda, ac cum diuina ope diligentius enucleanda. In primis quod noſtri codices haben paſſe-

paſſeres, Græci Patres vt Cyrillus & Origenes, gallinas legunt. Ex quo intelligi poteſt ad eum ſignificandum illa pertinere, qui ſe gallinæ ſimilem fecit. *Matth. 23.* Veſci ea aue vſitatum eſt ac ſalutare, & lex ſiue paſſeres, ſiue gallinas accipias, eas volucres vult offerri, quibus veſci licitum ſit. Ita enim Chriſtus ſacrificium ſui corporis obtulit, vt eſſet etiam in cibum ſuauem ac ſalutarem, eadem re & ſacrificium & ſacramentum inſtituens quemadmodum Theologi perhibent. Neque enim quicquam ſacrificari mandatur, quod ſit ineptum, veſcendo. Duos autem paſſeres propterea numerat, quod in vno Chriſto naturæ ſint prorſus duæ, admodumque diſtinctæ, diuina & humana, illa ex patre, ex matre hæc accepta. Quamobrem non vterque paſſer iubetur occidi, ſed alter tantum, altero viuo permanente atque in agrum liberè euolante. Quanuis enim Chriſtus Deus pateretur atque occumberet morti, tamen diuina illius natura neque pati neque mori vlla ratione poterat: quæ proinde & viua & liberè euolans deſcribitur, cum ſit ipſe hac præcipue ratione vt habet Pſalmus, ſolus inter mortuos liber. *Pſalm. 87.* Habet enim poteſtatem ponendi animam ſuam, & iterum ſumendi eam. *Ioan. 10.* Quod Deus eſſet, qui ſolus habet immortalitatem. *1. Tim. 6.* Duorum paſſerum expoſitionem idoneam eſſe quam diximus, fidem facere poteſt Iſychius Hieroſolymitanus presbyter docte admodum ſcribens: *Habuit Chriſtus diuinitatem & humanitatem, quos duos paſſeres quibus veſci licitum eſt, lex intelligit.* *Iſychius in Leu lib. 4.* Et mox, *De paſſeribus ergo quos diximus eſſe Chriſtum, hunc præcipit immolari: vel occidi, id eſt, id quod erat paßibile. Vnigenitus enim ſecundum carnem occiditur ſuper aquas viuas, id eſt, baptiſmatis. Mors quippe eius noſtrum figurat baptiſma: quod oſtendit Apoſtolus.* At illud mirifice expreſſum eſt, quanquàm vnum paſſerem è duobus viuum manere oporteret, tamen in ſan-

guine

tibus debitores. Imo verò quod monet idem A
Rom. 12. ſtolus, habet etiam hic locum: *Non alta ſapientes,*
humilibus conſentientes. Turbæ enim ſequutæ do
num referuntur: rari in eo comitatu viri prima
rari omnino legis prudentes, ſapientiæ laude p
ſtantes. Phariſæos audi iactantes: *Nunquid ali*
Ioan. 7. *ex principibus credidit in eum? Sed turba hæc quæ ign*
legem Neque id à Chriſti conſilio alienum ſicut
Iac. 2. cobus teſtatur *Non Deus pauperes elegit, diuites in*
& hæredes regni? Cum ergo deſcendiſſet de mon
ſequutæ ſunt Ieſum turbæ multæ.

2 Prius Deus adorandus, mox orandus.

Et ecce leproſus veniens adorabat eum, Qui ſe ab o
nibus deſertum videbat, ad Chriſti miſericordia
ſibi confugiendum exiſtimauit, quem deſertam
uem atque à cætero grege errantem per illa camp
ſtria loca ac decliuia requirere intelligebat. Nequ
verò metuebat, ne immundus ſordibus ſuis oculo
Chriſti mundiſſimos offenderet. Etſi enim ab om
ni illum eiuſmodi labe abhorrere nouerat, vſqu
eo, vt aſpicere immunda non poſſet, tamen ita pi
conſiderabat, vt vellet miſeria leuare miſeros, it
Pſal. 24. potentem, vt aſpectu ſolo reddere poſſet munditiã
ac ſalutem. Itaque eum ſic alloquebatur: *Reſpice in*
in me, & miſerere mei. Quanto ſum equidẽ miſerior,
tanto tu Domine miſericordior declaraberis. Quod
autem adoraſſe primum narratur, deinde poſtulaſſe
fecit ſane diuina ſcientia edoctus. Sic enim oportet
accedentes ad Deum facere: vt primum Dei maie-
ſtatem cognoſcant, venerentur, adorent, eius ſum-
mam potentiam ac magnitudinem confiteantur.
Deinde vt precentur, eaque poſcant, quæ ſibi op-
portuna & neceſſaria perſpexerint Origenis eſt hęc
Origen. homil. 5. in diuerſos locos Matth. quoque doctrina, qui factum leproſi exponit his
verbis: *Venit ad Chriſtum homo leproſus adorans eũ. Antequam peteret, adorare cœpit: antequam rogaret, culturam oſtendit. Adorauit eum. Pro hoc ipſo Deum & Dominum*

Digitized by Google

rum eum inuocans adorabat eum. Sicut enim illi beati Magi prius procidentes adorauerunt eum, & ita demum ei munera obtulerunt, ita & nunc iſte cadens adorabat, & ſic ſupplices obtulit poſtulationes. Prius ergo reuerentia eſt exhibenda Deo, deinde preces promendæ. Ad eum nos Chriſtus modum erudijt non oratione dominica: principio dicentes: *Pater noſter, qui es in cælis, ſanctificetur nomen tuum.* Quod ad Dei gloriam eiuſque diuinitatis confeſſionem pertinet, Deinceps quæ ſequuntur, ad noſtros vſus & vota iam ſpectant. *Adueniat regnum tuum.* Eadem methodo Apoſtoli & cuncta illa Eccleſia precata narratur in actis Apoſtolicis in hæc verba: *Domine tu qui feciſti cælum & terram, mare & omnia quæ in eis ſunt, qui Spiritu ſancto,* & reliqua quę ad confeſſionem adorationẽque numinis pertinẽt, quibus ſtatim attexũt, quæ ad preces ac vota ſua faciebant: *Et nunc Domine reſpice in minas eorum.* cætera poteſtis relegere. Quã cæleſti, vt ita loquar, rhetorica Eccleſiã ſacroſanctã fere cum precatur, vti facile quiuis poteſt animaduertere. Nã initia propemodũ omnia eiuſmodi sũt, Deus qui hoc aut illud feciſti, aut voluiſti, vel etiã, omnipotens ſẽpiterne Deus, qui dediſti famulis tuis, &c. Mox id quod optat, precatur, & poſtulat: cõcede quæſumus, da, vt ſupplices exoramus, cæteraque ſimilia. Neque præcepta hæc negligenda ſunt priuatis in precibus, ſed non tã memoriter verbiſq; præſtanda ſunt, quã ſpiritu & veritate, vt creatura Conditoris primum maieſtatem agnoſcat & veneretur, deinde ſua poſtulata depromat.

3 Perfecta oratio leproſi ex cognitione diuinæ potentiæ & propriæ miſeriæ profecta.

Domine ſi vis potes me mundare. Breuis ſane oratio, ac plena ſapientiæ. Quæ fidem fiduciamque inſignem declaret: qua ſimul ſummam Dei potentiam, ſimul extremam ſuam miſeriam leproſus hic confitetur Si vis, inquit, potes. Vim hu9 orationis Orig. elegãter explicat his verbis. *Volũtate tua op9 eſt.*

Orig. hom. 5. in diuer. loc. Matth. *quia & opera voluntati tuæ obediunt. Ideoque ſi vis potes me mundare Non dubitans fallor: ſcio quia omnia potes: idcirco non potentiam peto, nec fortitudinem quæro. Homines enim ſcio deficientes: ſed tantum voluntatem tuam deprecor, & ſequens virtus ſtatim hanc gratiam adimplebit. Domine ſi vis potes me mundare: mihi ad beneficium, tibi ad gloriam, videntibus ad miraculum & proficiendi doctrinam.* Igitur magnitudinem diuinæ potentiæ cognoſcens voluntatem deprecabatur. Magnum fratres ſpei noſtræ præſidium, ſummæ opes, noſſe nihil Deo impoſſibile, nihil difficile: Sapien. 11. *Subeſt enim tibi cum volueris poſſe.* dixit Sapiens. Numquã ſcilicet exhauritur copia illius potentiæ: integræ ſemper opes permanent, quidquid expenſum ſit, nihil imminuitur ille theſaurus. Poſt innumera patrata miracula, reſtat eadem multo plura patrandi vis. Quis hanc tam potentiam non admiretur? quis nõ iucundè canat, quod celebrant illi immortales ciues, Exod. 15. *Omnipotens nomen eius.* Infirmæ ſunt humanæ opes: inanis & falſa potentia regum. Quam enim multa volunt, nec poſſunt? Ea vero quę poſſunt, quã anguſtè, quam difficulter? vt huic conferant, ab alio tollunt. Quæ expendunt, non amplius habent. Quo plura poſſe videntur, pluribus veriſſimè egent, eoque ſe plura requirere, ac deſiderare fateantur neceſſe eſt, quo ampliori dominatu præditi ſunt. Itaq; potentia humana nihil eſt aliud quam opulenta inopia, vel inops, ſi maius opulentia. Præclare igitur 1. Tim. 6. illud ab Apoſtolo dictum de Deo. *Beatus, & ſolus potens, Rex regum, & dominus dominantium.* Atq; in peccati miſeria leuanda ea maxime elucet Dei potentia. Nullus enim eſt alius lepræ iſtius medicus & ſanator: *Ego ego ſum,* ait ipſe, *qui deleo iniquitates tuas propter me.* Opportunè igitur, *Domine, ſi vis, potes me mundare.* Qua ratione nobis vtendum plurimum, cum vel ad altare accedimus, vel ad preces noctur-

nas

nas diuturnas ve ſtamus, vel etiam exomologeſim facere volumus. Etenim, fratres, quis eſt qui ſeſe reſpiciat, ſi non eſt oculis captus, qui non maculis ſe & ſordibus & labe plurima non ſolum reſperſum, ſed infectum plane ac perſuaſum totum inueniat? ſiue internas ſordes cogitemus, quas ex vtero contraximus, ſiue quæ ipſi addidimus vitæ impuriſſimæ probra, ſiue quotidianas humanæ naturæ maculas conſpiciamus, omnino dementes ſumus, niſi nos cænum ipſum & labem ducimus. Quid enim præſtat ſtemma antiquum? quid generis iactantia clariſſimi? quidquid homo eſt, putre quiddam & ſanie redundans vlcus eſt. Niſi nos puriores ſanctioreſque ſanctiſſimo Propheta putamus, qui de ſe quoque ita ſentit. *Facti ſumus, vt immundus, omnes nos: & ſicut pannus menſtruatæ, omnes iuſtitiæ noſtræ.* Si ipſas iuſtitias noſtras, ſi puriſſima ac ſpecioſiſſima quæque, tamen fœdiſſimam ac cruentam eluuiem puerperarum, quæ vix oculis ferri queat, Eſaias appellandam cenſet, quid erit de ijs, quas nos ipſi erubeſcimus, impuritatibus, flagitijs, corruptelis? O nos inſanos ſi aliter ſapimus: ſtultiſſimos, ſi tales enim ſimus, opportunitatem ſalutis nobis oblatam non ſuſcipimus. En Chriſtus adeſt: huic præces & vota cur nō ardenter facimus? Quis enim poteſt facere mundū de immundo conceptum ſemine, niſi tu qui ſolus es? Sic Iob ille beatus: ſic hodiernus peccator: *Domine ſi vis potes me mundare.*

Eſai. 64.

Iob. 14.

Et extendens Ieſus manum, tetegit eum dicens, volo: Mundare. Dei plane voluntas eſt actio, manum extendit cum vult. Fidei noſtræ inopiæ aſcribendum eſt, ſi Dei manus contracta cernitur. *Non poterat,* ait Euangeliſta. *virtutem vllam facere, niſi paucos infirmos curauerit, & mirabatur propter incredulitatem eorum.* Infidele & ingratum cor ligat quodam modo

4 Prompta Dei ad beneficiendū volūtas

Deo manus, ne vti poſſit ſua magni ficentia. Sed eſt manus extenta Dei, quæ ad ſeueritatem vindictamque pertinet. Eam Eſaias ſæpe repetit, ob malitiam ſcelerumque noſtrorum multam improbitatem nimirum extentam, quam nulla vis propulſare mortalium queat. Eſt contra manus extenta miſericordia, quam impetrat humilis cognitio noſtræ miſeriæ, & ſimplex ac vera confeſſio. Habet autem illa maieſtas opes omnes ſuas ad manum, ita vt aperire cum libeat, nihil amplius requirat. *In manibus ſuis abſcondit lucem, & præcipit ei, vt rurſus oriatur.* Sic ſane ſcriptum eſt: *Et annunciat de ea amico ſuo, quod poſſeſſio eius ſit.* Nec ſecus Dauid. *Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.* Quod ſi manus Chriſti non ſolum apertas conſideremus, ſed etiam cruci affixas, ita vt claudi non poſſint, ita ruptas ac perfoſſas, vt ſanguis copioſiſſimus effluat, nequaquam de Regis noſtri liberalitate & munificentia dubitare poſſimus. Quid enim poteſt deeſſe ad cauſam, quid requiri? nos miſeri ille miſericors eſt. Natura habet, vt & bonus ſit, & benefacere amet. Ergo ſi vis, potes, & quia potes, vis. Neque enim punire ſupplicio tam tibi iucundum, quam ignoſcere culpæ. Si quis dubitat, ipſum audiat: *Nunquid voluntatis meæ eſt mors impij: ac non magis vt conuertatur & viuat?* Itaque cum vindicat, dolenter id ſe facere declarat, prius enim ingemiſcit, & dicit: *Heu conſolabor ſuper hoſtibus meis, & vindicabor de inimicis meis.* Mallet parcere, ignoſcere plane cuperet: ſed noſtra perfidia non finit. Id ſcilicet dolet. At cum benefaciendum eſt, promptè alacriterque & dicit & agit: *Volo mundare.* Breui & fideli oratione, vt bene ſcribit Ambroſius, æque breuis & cita conceſſio. Si vis, volo. Potes mundare. Ergo: mundare. Nempe *volens miſericordiam eſt,*

Eſai. 5. 9. 10.
Iob. 36.
Pſal. 144.
Eſa. 1.
Ambroſ. ſuper. c. 1. Luc.
Mich. 7.

eſt, quod Propheta dixit, & res oſtendit. Id cum nos bene cognoſcemus, cum ſumma fiducia quidquid vſui ſit à tam potente voluntate petemus, à tam miſericordi bonitate impetrabimus.

Vide, nemini dixeris. Fuiſſe multos coram hiſtoria prodit: id factum celari non poſſe, Dominus probè nouerat. Neque vero aut ingratum aut negligentem cupiebat ſalutis ſibi illatæ denuntiatorem. Quid ergo vetat dicere, quod neque celari vult, neque vero poſſe cognoſcit? Nos videlicet erudit, ne laudes affectemus humanas, idque valet vetuiſſe dicere, quod ſe alienum ab omni laudis ſtudio oſtendiſſe. Ita hoc loco Chryſoſtomus: *Nulli hoc eum iuſſit fateri, docens quam eſſet alienus ab aura gloriæ pompaque iactantiæ. Et certe nouerat, quia non eſſet ille taciturus, ſed paſſim tam grande beneficium prædicaturus: & tamen quantum in ipſo eſt, fugit oſtentare quod fecerat.* Humilitatem Chriſti etiam Hieronymus commendat hoc loco. Quæ ſane virtus per magna eſt atque admodum rara, vt cum præclare te habeas, reſque geſſeris magnas; aliorum notitiam exiſtimationemque defugias. Paulus de ſe id profitetur: *Non quærentes,* inquit, *laudem neque à vobis, neque ab alijs.* Hieremias item. *Et diem hominis non deſideraui.* Ne ergo gloriam humanam quæramus, ſi diuinæ ſeruire voluntati volumus. Valde enim periculoſum, flammam lucernæ vento exponere: auræ flatus, exiguum cito lumen extinguit, & vertit in fumum. Id nobis incautis ſæpe in bonorum operum prædicatione hominum accidit. Quare Chriſtus præcepit, ne ſiniſtra cognoſceret, quid boni dextera perficeret. Sic etiam cum ſanaſſet aliquando ſurdum & mutum, præcepit Dominus ijs, qui ad ſe hominem attulerant, ne cui rem

5 Laudes hominum defugiēdę.

Chryſoſt. hom. 36. in Matth.

1. *Theſſ.* 2.

Hiere. 17.

Marc. 7.

rem

rem perfectam à ſe proderēt. Et tamen illi Dei glo-riæ ſtudentes, non deſtiterunt eius admiranda ope-ra prædicare. Quanquam poteſt hoc loco is ſenſus verborum Chriſti non ineptè accipi, quem autor quidam antiquus ſequitur: vt nemini munditiam ſibi reſtitutam leproſus ante perhiberet quam ſacer-doti, cuius id erat munus, rem cognoſcendam ex-poneret. Itaque coniungenda erunt illa verba, Vide nemini dixeris: ſed vade oſtende te ſacerdoti tan-quam dicat, nemini te prius quam ſacerdoti exhi-beas. Quod & ſacerdotis dignitatem commendan-dam, & ad veram miraculi fidem probandam per-tinere videtur. Vt in nuptijs etiam Chana Galileæ vinum à ſe factum primum Architriclino propinā-dum probandumque imperauit.

Autor imperfecti in Matth homil. 20.

Sed oſtendere, inquit, ſacerdoti ſiſtere ſe le-proſum Dominus, & hunc, & illos decem quos Lucas refert, multas ob res præcepit. Primum, vt legi Moſaicæ obtemperarent, cuius ſe non e-uerſorem ſed perfectorem Chriſtus habere vo-luit. Deinde quod animaduertit Ambroſius, ipſa oſtenſione lepræ curatæ, cum modum neceſſa-rio eſſent audituri, ſacerdotibus innoteſcere o-portuit autorem eius munditiæ, quam vel tactu vel voce effeciſſet, lege eſſe ſuperiorem, atque alti-ori potentia facultateque præditam. Accedit, quod ſacerdotum dignitati optimè ſemper conſultum voluit, neque in ducere in animum paſſus eſt quos diuinis beneficijs affeciſſet, vt humanos idcircò gradus ordineſque contemnerent. Nam & Saulum tantum militiæ Chriſtianæ ducem futurum, cū per ſe Chriſtus mutaſſet, tamen diſcipulo Ananiæ i-mitandum inaugurandumque commiſit. Et Cen-turionem Italicum Angelus, vt Simonem ſibi ma-giſtrum accerſeret, monuit. Poſtremo Euangelici ſacerdotij vt Auguſt. Gregoriusq; optime philoſo-phantur,

6 Sacerdotum cognitioni ſe debent ſummittere, quicunque diuinitus ſanari volunt.

Actor. 6.
Actor. 10.

phantur, cum dignitatem, tum munus atque functionem eo facto deſignandam exiſtimauit. Neque enim qui lepram peccatorum gerunt, & diuinitus tacti mundantur, id eſt, compunctione & contritione cordis veriſſima Dei offenſas dolent, quanuis ſint in Dei gratiam recepti, pœnitentiæ ſacramentum contemnere debent, neque confeſſionem ſacerdoti Chriſti faciendam vllo modo prætermittere. Primum quod an mundati ſint, neſciant, idque ſacerdotis ex lege proprium iudicium eſt. Deinde perſæpe niſi ſacerdotali ſententia, non datur remiſſio culpæ. Deinde mutuas ſibi vices præbent Deus ac miniſter Dei, eandemque ſanitatem animæ reddunt, ille vt autor & Dominus, hic vt executor & ſeruus. Ille interna motione, hic externo ſacramento. Ad hunc ſane modum Patres confeſſionis ſacramentalis neceſſitatem ex hoc Chriſti documento eliciunt. Inter quos non exiguæ autoritatis Haymo ſic ſcribit. *Leproſus, id eſt, peccator neceſſe eſt, vt accedat ad ſacerdotem, & oſtendat lepram, id eſt, confiteatur ei peccata ſua, & per iudicium ſacerdotum debet ſe abſtinere ab introitu Eccleſiæ donec mundetur per pœnitentiæ lamentum. Expleta vero digna pœnitentia, iterum per iudicium ſacerdotum recipiatur intra caſtra, id eſt, ſocietatem Eccleſiæ, & reconcilietur altari, & communicetur corpore & ſanguine Domini.* Ita quidem ille ex veteri traditione perpetuoque vſu Eccleſiæ. Quem ſane Eccleſiaſticum vſum pœnitentiæ beatus quoque Auguſtinus commendat his verbis: *Iudicet ſeipſum homo, & mores conuertat in melius. Et cum in ſe protulerit ſeueriſſimæ medicinæ ſententiam, veniat ad antiſtites, per quos illi in Eccleſia claues miniſtratur, & à præpoſitis ſacrorum accipiat ſatisfactionis ſuæ modum.* Atque in eodem opere ad finem: *Certiores ſunt claues Eccleſiæ, quam corda Regia. Quibus quodcunque in terra ſoluitur, etiam in cælo ſolutum eſſe promittitur.*

Leuit. 13.

Haymo in expoſ. Euangel.

Auguſt. homil. 50. cap. 11. & 16. de pœnit. d. 1. c. iudicet.

In 4. ſent. d. 7. cap. ſed quid.

Digitized by Google

IN EADEM DOMINICA, CONCIO TERTIA.

Offer munus quod præcepit Moyſes in teſtimonium illius. Matth. 8.

1. Per duos paſſeres in ſacrificio leproſi oblatos, ſignificari duas naturas in Chriſto.

NON dubium eſt quin lex vniuerſa Moſaica plena myſteriorum ſit, magnaſque habeat Euangelicæ perfectæque legis ſignificationes, atque ea præſertim quæ de expiandis ſceleribus deque procuranda lepra, copioſe atque accuratè perſcripta ſunt. Quod Paulus ſatis inſinuat, cum ſacrificia vetuſta & totum illum apparatum victimarum ad Chriſti verè purificatorium ſanguinem, victimamque perfectam indicandam referri debere oſtendit. Quare vt munus leproſo offerendum à Chriſto imperatum, quo ſpectet, intelligatur, neceſſario legis erunt verba recitanda, & quid ea ſibi vellent, explicandum. Habet igitur ad hunc modum lex: *Hic eſt, ritus leproſi. quando mundatus eſt. Adducetur ad ſacerdotem, qui egreſſus de caſtris cum inuenerit lepram eſſe mundatam, præcipiet ei qui purificatur, vt offerat duos paſſeres viuos pro ſe, quos veſci licitum eſt, & lignum cedrinum, vermiculumque & hyſſopum: & vnum ex paſſeribus immolari iubebit in vaſe fictili ſuper aquas viuentes; alium autem viuum cum ligno cedrino & cocco & hyſſopo tinget in ſanguine paſſeris immolati, quo aſperget illum qui mundandus eſt, ſepties, vt iure purgetur: & dimittet paſſerem viuum, vt in agrum auolet.* Hæc ſane ſunt quæ ad munus offerendum, ſacrificiumque expiatorium pertinent: quæ ſunt nobis attentius conſideranda, ac cum diuina ope diligentius enucleanda. In primis quod noſtri codices habent

Hebr. 9.

Leuit. 14.

paſſe-

paſſeres, Græci Patres vt Cyrillus & Origenes, gallinas legunt. Ex quo intelligi poteſt ad eum ſignificandum illa pertinere, qui ſe gallinæ ſimilem fecit. Veſci ea aue vſitatum eſt ac ſalutare, & lex ſiue paſſeres, ſiue gallinas accipias, eas volucres vult offerri, quibus veſci licitum ſit. Ita enim Chriſtus ſacrificium ſui corporis obtulit, vt eſſet etiam in cibum ſuauem ac ſalutarem, eadem re & ſacrificium & ſacramentum inſtituens quemadmodum Theologi perhibent. Neque enim quicquam ſacrificari mandatur, quod ſit ineptum, veſcendo. Duos autem paſſeres propterea numerat, quod in vno Chriſto naturæ ſint prorſus duæ, admodumque diſtinctæ, diuina & humana, illa ex patre, ex matre hæc accepta. Quamobrem non vterque paſſer iubetur occidi, ſed alter tantum, altero viuo permanente atque in agrum liberè euolante. Quanuis enim Chriſtus Deus pateretur atque occumberet morti, tamen diuina illius natura neque pati neque mori vlla ratione poterat: quæ proinde & viua & liberè euolans deſcribitur, cum ſit ipſe hac pręcipue ratione vt habet Pſalmus, ſolus inter mortuos liber. Habet enim poteſtatem ponendi animam ſuam, & iterum ſumendi eam. Quod Deus eſſet, qui ſolus habet immortalitatem. Duorum paſſerum expoſitionem idoneam eſſe quam diximus, fidem facere poteſt Iſychius Hieroſolymitanus presbyter doctè admodum ſcribens: *Habuit Chriſtus diuinitatem & humanitatem, quos duos paſſeres quibus veſci licitum eſt, lex intelligit.* Et mox, *De paſſeribus ergo quos diximus eſſe Chriſtum, hunc præcipit immolari: vel occidi, id eſt, id quod erat paßibile. Vnigenitus enim ſecundum carnem occiditur ſuper aquas viuas, id eſt, baptiſmatis. Mors quippe eius noſtrum figurat baptiſma: quod oſtendit Apoſtolus.* At illud mirificè expreſſum eſt, quanquam vnum paſſerem è duobus viuum manere oporteret, tamen in ſanguine

Matth. 23.

Pſalm. 87.

Ioan. 10.

1. Tim. 6.

Iſychius in Leu lib. 4.

guine

guine alterius immolati etiam hunc viuum mergi debere. vt fieret aſperſio atque expiatio legitima. Hoc quid eſt aliud, quam diuinam quidem naturã non interiiſſe: ſed tamen naturæ humanæ patientis ac mortui ſanguine, vim efficaciamque præbuiſſe? neque enim fuit paſſio aut mors hominis puri, ſed Dei etiam veri Quam rem idem etiam adnotauit Iſichius, *Veniens paſſer*, inquit, *quem in Vnigeniti diuinitate neceſſario accipimus, in ſanguine occiſi paſſeris, & aqua tingitur, id eſt, in gratia baptiſmatis, quia non in hominis paſſione, ſed Dei & hominis baptizamur*. Itaque paſſionis Christi meritum & ſatisfactio, & pretium illius ſanguinis nequaquã ex humanæ tãtum naturæ virtute, ſed etiam ex diuinæ maieſtatis dignitate perpenditur: cum fuerit vtriuſque naturæ vna eademque perſona. Quæ res ad Chriſtianæ ſalutis opes amplificandas plurimum valet.

Iſichius ibidem.

Iam vero quæ immolationi paſſeris & ſanguinis aſperſioni adhiberi lex iubet, non obſcure paſſionis Chriſti rationem virtutemque declarant. Aſſumitur enim cedri lignum, quo crucem Chriſti ſignificari, quod eidem Iſychio placet, etiam vox ipſa monet, cum non modo in ligno paſſum, ſed lignum id fuiſſe cedrum vetuſtiſſima traditio teneat. Eccleſia certe in carmine, cedri nomine appellat crucem: *Inter omnia ligna cedrorum tu*, inquit, *ſola excelſior*. Nam quæ alioqui, quanuis pulchra ac generoſa cedrus, vel odore mirabili vel incorrupto vigore, crucis illius fragrantiam, roburque immortale æquare poſſit? Hyſſopum etiam commemorat lex, herbam ſane exiguam ac minutam, eandemque vt Phyſici perhibent, expurgatoriam pulmonum: qua Chriſti humilitas mirabilis, vt etiam Gregorius docet, plena ſalutis ad noxios ſuperbiæ corruptoſque humores purgandos perſpicuè declaratur. Sed coccus maximè adhibetur, vt cedro hyſſopus, coaptetur

2 Quid Cedrus, coccum, hyſſopus, vas fictile, aqua viuẽs ſignificent in aſperſione leproſi.

tur ac colligetur, vbi charitatem Chriſti tum igneo colore tum colligandi aſtringendique vſu mihi intueri videor, quod charitatis ea vis fuerit, quæ Chriſti patientiam atque humilitatem ad crucem vſque perduxerit, cui cruci tam illum fortiter aſtrinxerit, vt diuelli nullo modo potuerit, vſque dum ſanguine immolati ſacrificij & lignum cedri & hyſſopus ipſa perfuſa longè lateque manarit. Charitatē cocco notari ſcribit Euſebius Emiſſenus vel quiſquis is author eſt. *His*, inquit, *ſuperaddat & coccum, vt charitatis igne ſuccenſus, Deum diligat & proximum. Coccus enim ignei coloris eſt.* Supereſt dicere quid ſit quod ſuper aquas viuentes immolari paſſer ſit iuſſus, cur vaſe fictili ſanguis reciperetur. Equidem aquas viuas ideo commemorari exiſtimo, quod in Chriſti paſſione magno ſacramento, aqua ſimul & ſanguis de Chriſti latere fluxerit. Atque ſunt eæ aquæ viuæ, quæ verè homines abluunt, atque omnibus ſordibus liberant. Ita enim Ioannes loquitur: *Ieſ⁹ Chriſt⁹ venit in aqua & sāguine nō in aqua tantū, ſed in aqua & sāguine.* Vas autē ſuppoſitū sāguini cōtinēdo, atq; aſperſioni inde perficiēdæ idoneū, ob id fictile fuiſſe exiſtimo, non aureum, aut argenteum, vt non vaſi ſed rei quam vas contineret, purificatio aſcriberetur. Itaque ſacramenta ijs fictilibus vaſculis inſinuata exiſtimare poteſtis: quorum ſanè eſt egregius vſus & vis mirifica, ſed tamen non ex natura rerum ipſarum, quæ ſubſunt ſacramentis (quid enim vilius aqua vulgari, oleo, pane, cæteriſque eiuſmodi?) ſed ex diuina potius virtute Chriſti ſanguine quem in ſe continent, abundè communicatę. Quare non ineptum aut intempeſtiuum arbitror huc illud Apoſtoli inflectere. *Habemus theſaurum iſtum in vaſis fictilibus.* Nam & homines ipſi: quibus Deus credidit tam alta myſteria, & actiones hominum, quæ propriè ſunt ſacramenta materia formaque

Euſebius Emiſſen in expoſ. Euang.

1. Ioan. 5.

2. Cor. 4.

Digitized by Google

que conſtantia, quis vaſa eſſe fictilia, ac per ſe vulgaria viliaque neget? quis vero tantum illum theſaurum gratiæ cæleſtis talibus vaſis creditum non admiretur? Non admodum ab ea interpretatione abhorret Iſychius ita ſcribens: *Id quod erat paſsibile & quod poterat occidi, præcipitur occidi in vaſe fictili ſuper aquas viuentes baptiſmatis. Si quidem nos ſumus vas fictile de luto videlicet facti.*

Iſychius 4. lib. in Leu.

3. Quod aſperſio ſepties in ſanguine paſſeris perfecta, ſignificauerit gratiã remiſſionis per Chriſti ſanguinem conferri.

Eſa.11.
Radulphus in expoſit. Leuitici.
4.*Reg.5.*

Igitur his omnibus quæ commemoraui rite paratis atque perfectis, leproſus is qui mundus futurus erat aſpergi iubebatur ſanguine illo immolati paſſeris, & quidem ſepties. Numero ſeptenario vt volunt maiores noſtri, perfectio quædam deſignatur, tum gratia Spiritus ſancti, qui ſeptemplex, ſi verbo eo vtendum ſit, in ſcriptura exprimitur. Radulphus Flauiacenſis ita ſcribit: *præcipitur vt ſanguine paſſeris ille qui immundus eſt, ſepties aſpergatur. Septenarius numerus Spiritui ſancto conſecratus eſt propter ſeptiformem eius gratiam, cui etiam remiſsio peccatorum aſcribitur. Homo igitur qui immundus fuerit ſanguine paſſeris immolati ſepties aſpergitur, quia quiſquis lepra ſpirituali fuerit obſeſſus, ſine Chriſti ſanguine nec veniam conſequi, nec à peccatis ſuis poterit purificari* Itaque ſeptenario numero gratiam Spiritus ſancti notari certum eſt. Quare Naaman etiam leproſus ſepties lauari in Iordane à Propheta eſt iuſſus. Neque enim peccati lepra abſtergi poteſt, niſi Spiritus ſancti numine & gratia, ſiue ea baptiſmo quem Iordanes ſignificat, abluenda ſit, ſiue ſacerdotum inſpectione, & procuratione purganda, id eſt, pœnitentiæ ſacramento. Nam remiſſio culpæ, niſi Dei gratia & charitate quæ diffunditur in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis, obtineri nequaquam poteſt. Neque vero fieri, vt imperfecta ac dimidiata condonatio detur, parte peccatorum mortalium dimiſſa, parte non dimiſſa, cum ſit impium dimidiam à Deo ſperare

rare

rarè veniam, ſicuti Patres docent, & qui ſanat Deus, totum hominem ſanet. Rectè itaque ſepties aſpergitur leproſus, qui & ſpiritus ſancti gratia ſanandus, & perfectè, id eſt, omni crimine liberandus eſt. At vero leproſus quacunque ratione ſaluti reſtitutus videretur, erat tamen immolati ſanguinis aſperſione imbuendus, nec fas erat alioqui vel ciuium conſortio reddi, vel ad templi aditum recipi: manifeſtè eo ritu Moyſi oſtendente, neminem poſſe Dei ſanctorumque amicitiæ reddi, quẽ non aſperſerit atque imbuerit Chriſti Ieſu ſanguis ſactiſſimus. Fide enim Chriſti ſemper fuit opus ad ſalutem, ſi Paulo credendum eſt ita ſcribẽti: *Iuſtificati per gratiam ipſius, per redemptionem quæ eſt in Chriſto Ieſu, quẽ propoſuit propitiationem per fidẽ in ſanguine ipſius.* Quamobrem Petrus fideles alloquẽs atque electos, vnde id boni conſecuti ſunt; docet ijs verbis: *Secundum præſcientiam Dei Patris ſanctificationem ſpiritus, in obedientiam & aſperſionem ſanguinis Ieſu Chriſti* Volens nimirum intelligi, electionem fidelium ex Dei prædefinitione venire, qua illis gratia ſpiritus ſancti per Chriſti ſanguinem fide & ſacramento communicauit. Hanc præclaram Chriſti ſanguinis aſperſionem, qua leproſi mundantur & maculæ omnium criminum expurgantur vaticinio prænuntians Dauid dicebat. *Aſperges me Domine hyſſopo. & mundabor: lauabis me, & ſuper niuem dealbabor:* Tenebat certè animo, quod Paulus aſſerit, *Neque enim ſanguis hircorum aut vitulorum inquinatos ſanctificat, ſed ſanguis Ieſu Chriſti, qui per Spiritum ſanctum ſemetipſum obtulit immaculatum.* Hoc ſanguine aſpergitur, qui fide & ſacramento paſſionis Chriſti vim meritumque communicat *Hoc ſanguine atque hyſſopo aſpergitur,* ait Gregorius, *ille ſolummodo, qui vias Dominicæ paſſionis imitatur.*

In Concil. Trid ſeſſio. 14. c. 5.

Rom. 3.

1. Pet. 1.

Pſal. 50.

Heb. 9.

Gregor. in Pſal. 50.

4 Chriſtũ pro nobis factũ eſſe leproſum.

Satis vt opinor, quodnã fuerit munus quod leproſus

leproſus offerre iubetur, expoſui: tum quæ eſſet vtilitas, quis ritus ſeruandus: quanta denique extiterit Chriſti paſſionis efficacia ad maculas omnes noſtras abluendas, eamque nobis diuinitus inſtitutis ſacramentis baptiſmo & pœnitentia communicari. Reſtat illud vnum, vt quam eſſe grati ac memores diuini beneficij debeamus, attentius cogitemus. Non enim Chriſto fuit ſatis, etſi erat id maximum & plurimum lepram noſtram ſuo cruore diluere, niſi noſtram ipſe lepram in ſe etiam tranſtuliſſet. Itaque qui omnes leproſos mundat, atque eſt ſole ipſo purior, vel potius ipſa munditiès, effectus pro nobis eſt immundus atque leproſus. Siquidem diuina in nos charitate ardens Pater maculas omnes noſtras, omnia ſcelera, piacula omnia in Filium cõiecit: *Eumque qui peccatum non nouerat, vt magnus loquitur Paulus, pro nobis peccatum fecit, vt nos efficeremur iuſtitia Dei in ipſo.* quod etiam Eſaias cecinit. *Et poſuit iniquitates noſtras ſuper eum.* Quod ſi leproſi ignominiam & dedecus perhorreſcitis, & à tanto Domino alieniſſimam ducitis, videte quid idem Propheta noſtram omnium perſonam gerens teſtetur: *Et nos putauimus eum quaſi leproſum, & percuſſum, à Deo & humiliatum. Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra: diſciplina pacis noſtræ ſuper eum: & liuore eius ſanati ſumus.* Quid ad hanc Chriſti in nos charitatem, quid ad ſummã benignitatem par cogitari poteſt? ſi nos ipſos æterna ſeruitute Chriſte noſter, tradamus tibi, nihil omnino præſtabimus, quod beneficijs in nos tuis reſpondeat. Narrat ſane beatus papa Gregorius Chriſtum aliquãdo in ſpecie leproſi monacho cuidam Martyrio nomine apparuiſſe, ab eodem verò ſuſceptum, & in humeros ſublatum peracta via, depoſita leproſi ſpecie ſe oſtendiſſe, quis eſſet. Adiungit vero Sanctus pontifex verba præclara: *Tanto quiſque*

2. Cor. 5.

Eſai. 53.

Eſai. 53.

Greg. ho. 39. in Euangel.

quiſque maiorem mercedem recipit, quanto nec eum deſpicit, qui amplius deſpiciendus videtur. Quid enim in humana carne ſublimius carne Chriſti, quæ eſt ſuper angelos exaltata? Et quid in humana carne abiectius carne leproſi, quæ tumeſcentibus vulneribus ſcinditur, & exhalantibus fœtoribus impletur? ſed ecce in ſpecie leproſi apparuit: & is qui eſt reuerendus ſuper omnia, videri deſpectus infra omnia dedignatus non eſt. Nos igitur grati tantis Chriſti beneficijs ſimus, neque enim minus per fidem Chriſtum leproſum in cruce cernimus, quam oculis corporis Martyrius ille in via iacentem aſpexit. Quare ſuſcipere Dominum in infirmis non dedignemur, & pro beneficijs eius quia impares omni ex parte ſumus, gratias quas poſſumus ſempiternas immortalesque agamus, illudque precemur obnixè, ne tantus laborum Chriſti, in his quos ſibi redemit ſeruis, fructus depereat.

IN DOMINICA QVARTA POST EPIPHANIAM,

Concio prima.

Aſcendente Ieſu in nauiculam, ſecuti ſunt eum diſcipuli eius. Matth. 8.

QVOD Matthæus Euangeliſta mare appellat in hac ſua narratione, Lucas in ſua ſtagnum dicit, idque magis ex vſu & ſermone hominum, qui lacus & ſtagna à mari diuerſo nomine cenſent. Nam reuera ſtagnum illud amplum erat, neque ab ijs qui Geographica ſcribunt, vt Plinius, Egeſiphus, Ioſephus, aliter nuncupatur. Erat enim, eodem Ioſepho teſte, ſtadia centum non amplius porrectum in lon-

1 Mare eſſe ſimile huic mūdo, ſalſugine, procellis, piſcium grandiorū voracitate.

Ioſeph. lib. 3. de bel. Iudaic. c. 17.

gum, latum quadraginta, medium verò interfluebat Iordanes, aqua potabili, aſpectu iucundo. Verum Matthæus Hebraico more mare appellandum duxit, quoniam aquarum congregationes maria appellata ſcriptura perhibet: & ad myſticam eius rei ſignificationem maris vocabulum maximè accommodatur. Etenim nauigatione hac Chriſti, eius inter mortales decurſum ſignificatum, omnium patrum ſententia eſt vna. Vbi quid mare, quid nauicula ſit, quid fluctus cæteraque neceſſario exponenda veniunt. Ac mare eſſe hunc mundum Ambroſius dixit, in quo ſine Chriſti ſocietate tuto nauigare non poſſumus. Itaque maris notæ conditioneſque afferendæ erunt, ſi cur hæc vita mare vocetur, velimus cognoſcere. Mare igitur aqua ſalſa redundat, ad vſus vitæ ſitimque ſedandam minimè idonea: incõſtans valde eſt ac variabile, nunc his nunc illis ventis intumeſcens & ſæuiens: ordine verò & lege nulla continetur, cum ea ſola ſit ratio piſcium genere vitæ ſuſtentandæ, minores à maioribus vorari. Eæ in mundum res omnes egregiè conueniunt. Omnia hæc Auguſtinus breuiter perſpicueque complexus eſt dicens: *Gentes omnes matris nomine nuncupantur, quod vita humana amara eſt: & procellis ac tempeſtatibus ſubdita. Iam illud ſi attendas, quod homines ſe tanquam piſces deuorant, cum maior minorem abſorbet.* Hæc ergo ſingula explicemus. Primum enim voluptates vitæ fortunæque omnes, quanuis affluere ac redundare videantur, tamen deſiderium hominum tanquam ſalſæ excitant potius & inflammãt, quam ſatiant, ac ſi quid in hauriendo cupiditatis eſt, mox hauſtum mirificè ſentitur amarum & funeſtum. Salomonem audi: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Non ſatiatur oculus viſu, nec auris impletur auditu.* atque alias. *Inueni amariorem morte mulierem*, &, *vidi in omnibus vanitatem & afflictionem animi, & nihil permanere ſub*

Geneſ.1. *Amb. lib 6. in Luc. c.8.* *Aug. ſuper Pſalm. 76. prope finem.* *Eccleſ.1.* *Eccleſ.7.* *Eccleſ.2.*

ſub ſole. Abi nunc & iſta aqua ventrem impleto, quæ ſitim decies accendat & cruciet. *Mundus tranſit & concupiſcentia eius*: ait Ioannes. Iam quæ vitæ mortalis inconſtantia? qui fluctus? quæ viciſſitudines rerum? quæ bella pugnæque ventorum? quæ tempeſtates? quam ſubitæ ſæpè, quam turbulentæ? quam ſæuę & periculoſæ? ex tranquillo repente procelloſum & ferox mare. hinc Borea, inde Auſtro impetitur: fremere ſępè & in ipſum cęlum inuadere, terram mox cunctam deuorare velle videtur. Boëtius quidem hæc animo perturbato cupiditatibus & doloribus accidere optimè ſentit, cum canit ad hunc modum: *Si mare voluens Turbidus Auſter, Miſceat vndam, Vitrea dudum, parque ſerenis vnde diebus, mox reſoluta Turbida cœno viſibus obſtat. Tu quoque ſi vis lumine puro, Cernere verum, pelle timorem, gaudia pelle, nec dolor adſit, ſpem quoque pone: nubila mens eſt vinctaque frænis hæc vbi regnant*. Ac quemadmodum ventos eſſe præcipuos quatuor ex quatuor orbis plagis flantes aiunt, quorum latera alios atque alios efficiunt ventos ac ſunt pene innumerabiles, tametſi naturæ vel ſexdecim vel etiam triginta duos numerēt, ita profectò paſſiones, quæ nos perturbant, primariæ ſunt quatuor inter ſe aduerſæ, quas Poëta memorat: *Hic metuunt, cupiuntque dolent gaudentque*: id eſt cupiditas, & timor, gaudium, & dolor: ex quibus tamen multæ alię exoriuntur, vt ſpes, vt ira, vt inuidia, vt cęteræ, quibus infelix miſeraque hominum conditio exagitatur torqueturque. Horum ventorum impulſu & vi ſæuæ tempeſtates excitantur, naufragia fiunt miſerabilia, colliduntur implacabili ſæpe furore ipſimet fluctus: quorum cùm ſit tumor tantus, & minæ tantæ, pariunt plerumque nihil aliud cum perducuntur ad finem, quam ſpumas, ac marinas quaſdam fœces viliſſimas, quod intuens Apoſtolus Iudas, ſuperbos atque elatos homines vocat.

1. Ioan. 3.

Boët lib. 1. de conſol. Philoſoph. metro 7.

Virgil 6. Æneid.

Iudæ. 1. *Fluctus feri maris, deſpumantes ſuam confuſionem. Quo enim euadant concilia iſtorum potentum, ac ſuperbæ machinationes, pudor ſit dicere, vanitate aut libidine, aut vin-*
Eſa. 57. *dictæ ineptæ cogitatione elatæ.* Eſaias planè horum inſtabilem perturbationumque plenum ſtatum conſiderans ait: *Impij autem quaſi mare feruens, quod quieſcere non poteſt, & redundant fluctus eius in conculcationem & lutum. Non eſt pax impijs, dicit Dominus meus.* Neque vero alia hominibus viuendi ratio quam piſcibus, neque apud mundi ciues lex & ius amplius, quam poteſtas & robur valent. Itaque ipſo-
Sap. 2. rum vox eſt: *Sit ergo lex iniuſtitiæ fortitudo noſtra, quod enim infirmum eſt, inutile inuenitur.* Quare potentiores imbecillioribus dominantur, craſſiores glutiunt ac deuorant minutiores, more piſcium prorſus, quod Abacuch Propheta non ſolum ſentit, ſed grauiter etiam indignatur, hoc modo cum Deo ex-
Abac. 1. poſtulans: *Quare reſpicis contemptores, & taces conculcante impio iuſtiorem ſe? Et facies hominis quaſi piſces maris, & quaſi reptilia non habentia ducem? Et factum eſt iudicium, & contradictio potentior, quia impius præualet aduerſus iuſtum.* Quæ propterea à Propheta dicuntur, quod vſu atque exercitatione rerum qui pollent, aut potentia opibuſque nituntur, imbecillium fortunas prædam cogitant ſuam, in quos
Pſalm. 13. 52. illud maledictum verum ſit, *Qui deuorant plebem meam ſicut eſcam panis.* Nam carnium quidem aliquæ partes ac penè cæterorum edulliorum relinquuntur, vt oſſa, putamina, nucleus: panis vero nihil eſt quod non edatur. Itaque ſummam auaritiam declarat eo ſimili eſcæ panis, quæ vniuerſas miſeriæ plebis facultates deuoret. Sed vt ſunt piſces minuti præda maioribus, ita hi viciſſim à maximis cætis glutiuntur. Quam rem Salo-
Prou. 22. mon ſcire dixit: *Qui calumniatur,* inquit, *pauperem, vt augeat diuitias ſuas, dabit ipſe ditiori & egebit.*

Quo-

Quotidie res ea cernitur, cum Magiſtratus prouinciæque deponuntur: & quæ amiſit Chriſtus, rapit fiſcus. Ergo cum natura maris huius ea ſit quam diximus, varia, procelloſa, inſuauis, ac plena furoris cuiuſdam, nihil eſſe mirum debet, ſi noui atque imperiti vectores cum primum nauigare incipiunt, vehementi nauſea afficiantur. Nam qui ex ſimplici ſynceroque vitæ genere ad illum tumultuoſum, dolis, ac varietatibus plenum ingrediuntur, non poſſunt ij tanta rerum abſurditate non vehementer commoueri. Atque vtinam non veteraſceret iſtos marinos fluctus tractandi conſuetudo, quæ facit certè, vt miſerum vitæ genus, quod nautis accidit vſu maris duratis, non modo non diſpliceat, verumetiam delectet ac teneat.

En mare quod Chriſtus iniuit: in quo omnes verſamur mortales. At qua ope, quibus præſidijs ad ea pericula muniri oportet? Naui ſe Chriſtus commiſit: naui nos ſuperare pelagus iſtud debemus. Quæ porro ſit ea nauis dicemus, ſi primum ligni naturam & vim exponamus, cuius ope ac præſidio audent homines tam ferox, tam magnum, tam terribile pelagus aggredi, & cum ſummis procellis tempeſtatibusque confligere. Celebrat ſapiens quidam & iure celebrat eam diuinæ prouidentiæ partem, quæ ligno fragili vim in aquas, hominibus ligni gubernandi artem tribuit, quo nauigationis longiſſimæ opus perficeretur. *Dediſti* (inquit Deum enim alloquitur) *& in mari viam, & inter fluctus ſemitam firmiſſimam, oſtendens quoniam potens es, ex omnibus ſanare, etiam ſi ſine rate aliquis adeat mare. Sed vt non eſſent vacua ſapientiæ tuæ opera, propter hoc etiam exiguo ligno credunt homines animas ſuas, & tranſeuntes mare per ratem liberati ſunt.* Quibus verbis potentiam quidem Dei celebrat, quod ſine vllo nauigio iter per mare præbere tutiſſimum queat, quod iam fecit

2.Nauim eſſe Eccleſiam præſertim Romanam.

Sap.14.

cum filij Iſrael mare Erythreum penetrarunt: ſed ſapientiam diuinam admiratur, quæ docuerit homines exiguo ligno & tuto credere vitam, & mare tam vaſtum nauigatione ſuperare. Igitur nauim quam Chriſtus ſubit, quęque ſola vaſto ac procelloſo ſeculo ſalutem continet, Eccleſiam eſſe Catholicam vt hoc loco Origenes ſcribit, notiſſimum eſt, quam depictam Romę in vaticano eſt cernere antiquiſſimo opere, quam ſolam ſeruari in hoc mari ſcribit Ambroſius. Idcirco Sapiens nauigationis mentione facta, ad primum generis humani nauigium ſe confert ita ſcribens: *Sed ab initio comperirent ſuperbi Gigantes, ſpes orbis terrarum ad ratem confugiens, remiſit ſeculo ſemen natiuitatis, quæ manu tua erat gubernata. Benedictum enim eſt lignum per quod fit iuſtitia.* Diluuij nimirum tempora & Noë arcam memorat, quam habuiſſe dicit Deum gubernatorem atq; nauclerũ, cui ligno diuinitus inſtituto & fabricato bene vult, quod iuſtos ſeruauerit, impijs interemptis. Itaq; ſola Chriſti Eccleſia ſeruat: quiſquis extra Eccleſiam eſt, naufragio pereat neceſſe eſt, diluuioque cõmuni. Sed quanquam Eccleſia vniuerſa, arca intelligatur illa Noë, nauisq; hæc qua Chriſtus vehitur, tamen peculiari propriaq; ratione, cenſetur nauicula Petri, Eccleſia Romana. Quæ quidem nauis natura ſimilis eſt cæterarum, ligno fragili cõſtans, ſed priuilegio ac præſentia Chriſti, vna omnes ſuperat dignitate, ſapientia, firmitate. Etenim nauis huius materia non ebeno, aut ebore, aut alio genere, ſi quod eſt præclarius compacta eſt: robore aut abiete ſicut cæteræ conſtat. Non ſunt inquam Romani Pontifices cæterique huius Eccleſiæ ordines aliud quam homines, qui falli natura ſuapte poſſunt, qui ſapientiæ & integritatis laude poſſunt etiam aliarum Eccleſiarum magiſtris eſſe inferiores. Verum hanc nauim, quoniam eſſe eam prætoriam

ſiue

Aug. homil. 17.
Nauis illa Eccleſiam figurabat.
Orig. homil. 6. in diuer. locos Matth.
Amb. lib. 6 in Luc. c. 8.
Sapient. 14.
Geneſ. 6.

ſiue Regiam Deus voluit, reliquarumque omnium ducem ac magiſtram, Chriſtus ipſe ita gubernat, huic vni ita ſemper præeſt, vt errare illã, aut fluctibus dehiſcere, aut impingere ad ſcopulos nullo modo ſinat. Ita quæcunque hanc ſequuntur, tutò nauigant. Huc enim pertinet illa tam ſplendida tam diuina promiſſio: *Portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.* Quare pulchrè admodum cum Matthęus vnius nauiculæ tantum mentionem faciat, Marcus alias quoq; nauiculas refert cum ea fuiſſe, quarum etiam nautæ & vectores beneficio accepto tempeſtatẽ illam fędam quæ incidit, euaſerint, ac Chriſti pręſentiam potentiamq; admirati, eius laudes libẽter pręndicarint. Quibus rebus Eccleſiarum omniũ Romanam ducem prætoriamque ſequentium & felicitas oſtẽditur, & cõfeſſio concorsq; in hanc vnam obedientiã declaratur. Itaq; vna Eccleſia Romana Catholicæ nomen obtinet, non quod cæteræ non ſint Catholicæ, ſed quod eo vſque illis id nomen meritumque permaneat, quoad coniunctio cum hac cõmunioque ſequendi atque in cęleſtem patriam pergendi flatu Spiritus ſancti aſpirante perduret. *Matth.16.* *Marc.14.*

Nauim eſſe tum Eccleſiam cunctam, tum illam Petri Romanam ſatis expoſui, iam in hac naui arborem eſſe crucem Ambroſius philoſophatur. Cõmemorata is fabula Vlyſſis, qui ad malum religatus Circes periculoſa carmina ſaluus euaſerit, ita ait. *Crucis enim arbor non ſolum religatum ſibi hominem patriæ repræſentat, ſed etiam ſocios circa ſe poſitos virtute ſuæ vmbra cuſtodit.* ac poſt pauca: *Arbor enim quædam in naui eſt crux in Eccleſia, quæ inter totius ſeculi blanda & periculoſa naufragia incolumis ſola ſeruatur. In hac ergo naui quiſquis arbori crucis ſe religauerit, dulcem procellam luxuriæ non timebit.* Verum vt crucis laudes clariores fiant, placet etiam nauiculæ nomine crucem intelligi. Neque mirari aut refuta- 3. Etiam crucem Christi, nauim intelligi poſſe. *Amb ſerm. 55. qui eſt de cruce Chriſti.*

re debetis quod eandem nauiculam & Chriſti Eccleſiam vniuerſam, & Petri peculiarem Romanam Eccleſiam dixerimus: Iidemque modo eandem nauiculam crucem Chriſti eſſe dicamus. Sunt enim hæc myſtica eiuſmodi, vt late pateant, atque diuerſas in res accommodata minimè diſſident, cum præſertim res ipſæ inter ſe cohæreant ac coaptentur. Nam Eccleſia vniuerſa in vna Petri Eccleſia eſt: & ipſa Eccleſia Petri tota in cruce Chriſti nititur, inde ſalutem, dignitatem, firmitudinemque omnem ſibi concilians. Itaque Beatus Pater Ambroſius qui arcam Noë & nauiculam Petri Eccleſiam eſſe docuit, idem alio loco crucis Chriſti figuram ac ſignum vtrumque facit. Rabanus quoque eandem allegoriam ſequitur ita ſcribens: *Mare eſt æſtus ſæculi. Nauicula quam Chriſtus aſcendit intelligitur arbor crucis, cuius auxilio fideles tranſactis mundi fluctibus perueniunt ad cæleſtem patriam, quaſi ad littus ſecurum.* In qua naui crucis Chriſtus cum ſuis aſcendit; vnde ait, qui vult venire poſt me abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam & ſequatur me. Igitur in nauicula Chriſti ſola, ſalus noſtra ſita eſt; in cruce Dominica mare hoc ſæuum ac periculoſum tutò traijcimus, ſi illic hæremus, ſecuri ſumus, ſi inde dilabimur, fluctibus ſæculi exitialibus mergimur. Quanta vero fuerit tempeſtas, quæ procellæ, quis turbo violentus, cum Dominus Ieſus in hanc eſt ingreſſus nauiculam, ipſe de cruce pendens optimè docet *Veni,* inquit, *in altitudinē maris, & tempeſtas demerſit me.* Item in alio Pſal. *Super me tranſierunt iræ tuæ, & omnes fluctus tuos induxiſti ſuper me.* Sed cum tot fluctus pertuliſſet, tandem virtute ac vi crucis tempeſtatem omnem Saluator ſuperauit, nobiſque ſalutem & tranquillitatem ſempiternam reddidit. Itaque illud ſapientiæ huc refert Beatus Ambroſius. *Benedictum eſt enim lignum per quod fit iuſtitia. Hoc ad patibulum,* inquit ille,

Rabanus in catena S. Thom.

Pſalm. 68.

Pſalm. 87.

Sapient. 14.

Ambr. ſerm. 8. in Pſa. 118.

ille, *retulit Domini quia iuſtitia eſt crucis, in qua peccata donauit.* Quare lignum crucis ſuo etiam modo arca illa Noe præfigurauit, in qua diluuij aquas mortalium genus euaſit. Exiguum quidem hoc lignum ſcriptura merito vocat, tantæ familiæ continendæ tam vaſto pelago traijciendo, tantis tempeſtatibus ſuperandis: ſed tamen fidele lignum eſt, & Dei potentia inuictum. Huic exiguo ligno credunt homines animas ſuas, ſanè tutò; & tranſeuntes iſtius ſæculi mare per hanc ratem liberati ſunt. Quid ait Paulus? *Verbum crucis pereuntibus quidem ſtultitia eſt, ijs autem qui ſalui ſunt, id eſt, nobis, Dei virtus eſt.* Quare ſi quis cupiat ſaluus eſſe, ſi quis huius turbulentiſſimi maris difficultatibus omnibus ſuperatis portam æternæ ciuitatis tenere, in hanc ſe nauiculam Chriſto Ieſu comitem adiungat: Chriſtum dormientem in hac nauicula crucis inter inſanos fluctus non deſerat; perueniet ſine dubio ad optandū portum, tenebit patriæ cœleſtis fidiſſimum littus. Patiendo, ſuſtinendo, tolerando, ſalutem, victoriam, regnum aſſequetur. Paulum Apoſtolum nos ardenter exhortantem audiamus, nauigationis iſtius ſocium ſtudij ac certaminis æmulum; *Per patientiam,* inquit, *curramus ad propoſitum nobis certamen, aſpicientes in autorem fidei, & conſummatorem Ieſum, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem confuſione contempta.*

1. Cor. 1.

Heb. 12.

IN EADEM DOMINICA
CONCIO SECVNDA

Ecce motus magnus factus eſt in mari, ita vt nauicula operiretur fluctibus. Matth. 8.

ETſi in vniuerſo terrarum orbe numen illud cœleſte, quod omnia continet ac regit, per-

ſpicuè dominari cognoſcitur, tamen neſcio quo-
pacto illius & poteſtas, & prouidentia nauigationis
Pſal.106 mare longè maximè elucet. *Qui deſcendunt mare in nauibus facientes operationem in aquis multis, ipſi viderunt opera Domini, mirabilia eius in profundo*. Id quam verè pſalmus canat, ij optimè norunt, qui periculum fecerunt. Nam vt dixit Sapiens:
Eccleſ.43. *Qui nauigant mare, enarrant pericula eius: & audientes auribus noſtris admirabimur*. Ac mihi quidem videtur id eſſe ſpectaculum quoddam præclarum diuinæ magnitudinis, diuinæ potentiæ, diuinæ demum miſericordiæ. In illo enim vaſtiſſimo elemento dominatur ſingulari quadam ratione cœleſtis Rex: neque eſt Neptunus aliquis, neque AEolus alius, neque verò princeps cui obediat mare: à nullo alio tribunali, à nullo magiſtratu leges expectat, imperio nullius parit niſi conditoris. Duces, Dynaſtas, Reges, Imperatores condemnit omnes. Tempeſtates ac procellas, vel excitat vel deponit, ſolo æterni Regis imperio, ſicut Pſalmus habet,
Pſal.148. *Spiritus procellarum, quæ faciunt verbum eius*. Itaque vt ſæuiūt iubente Deo maris procellæ, ſic etiam eiuſdem nutu placantur & conquieſcunt: Dauidis teſtimonio
Pſal.88. ſi credimus. *Tu dominaris poteſtati maris: motum autem fluctuum eius tu mitigas*. Quam rem multò melius periculo edocti, quam vlla doctrina, qui nauigant, eam ſibi ſolam ſpem ſupereſſe, id præſidij relinqui modo cernentes, numen cœleſte votis precibusque fatigant, cum iracūdo aduerſario conſl-
Pſal.64. ctantur. *Spes quidem omnium finium terræ*, ait, *& in mari longè, vbi cælum vndique, & vndique pontus*. quādo, *inſequitur clamorque virum clangorque rudentum*:
Virgil. quando, *Turbine terribili puppis diſiecta per vndas expectat miſeriæ iam iam diſcrimina gentis vltima*. Naufragium Pauli Apoſtoli cum in Italiam petere,
Actor.27. Lucas eleganter ſcribit. *Valide autem nobis tempeſtat*

ſtate iactatis, ſequenti die iactum fecerunt, & tertia de ſuis manibus armamenta nauis proiecerunt. Neque autem ſole, neque ſideribus apparentibus per plures dies, & tempeſtate non exigua imminente, iam oblata erat ſpes omnis ſalutis noſtræ. En quo perueniat furor ac peruicacia inſani maris, cum diuino imperio finitur ſuo more fremere & ſæuire. Sed à nemine pulchrius exprimi mihi videtur, quanuis Poetæ atque hiſtorici in ea narratione accuratè verſentur, quam eſt ab egregio vate Dauide decantata ferox illa maris irati poteſtas, atque omnis nautarum vel ſedulitas vel deſperatio rebus extremis, ac demùm proſuſa lætitia cum numine inuocato extrema mala incertam ſalutem vertuntur. Itaque canit ad hunc modum: poſt illa quæ ante recitaui: *Qui deſcendunt mare in nauibus facientes operationem in aquis multis, ipſi viderunt opera domini, mirabilia eius in profundo.* Quænam ſunt ea mirabilia, aggreditur dicere: *Dixit & ſtetit ſpiritus procellæ*, vt verbo Dei parere ventos intelligamus, *& exaltatæ ſunt fluctus eius. Aſcendunt vſque ad cælos, & deſcendunt vſque ad abyſſos.* Satiùs exaggerata res à cælis ad abyſſos fluctus ferri ac referri, quid interim miſeri nautæ? *Anima*, inquit, *eorum in malis tabeſcebat. Turbati ſunt & moti ſunt, ſicut ebrius, & omnis ſapientia eorum deuorata eſt.* Non potuit elegantiori ſimili vti ad deſcribendam perturbationem nauarum, & concurſationem illam inſtabilem, quod nauigio huc illuc concitato pedes ponere firmiter non liceat, vnde neceſſe ſit huc illuc errare & labi more ebriorum. Denique vbi omnis induſtria nautarum vi tẽpeſtatis vincitur, quid supereſt miſeris præſidij? ſequitur, *Clamauerunt ad Dominũ cum tribularentur: & de neceſſitatibus eorum eduxit eos.* Vota preceſque pereuntium miſericordia conditoris non patitur eſſe irritas. *Et ſtatuit procellam eius in auram, & ſiluerunt fluctus eius, & lætati ſunt quia ſiluerunt,*

Pſal. 106.

runt, & deduxit eos in portum voluntatis eorum. Confiteãtur Domino miſericordiæ eius, & mirabilia eius filijs hominum. Vento furente in auram benignam commutato, atque omni percelloſi maris tumore ſubſidente, lachrymæ in cantica mutantur, neque eſt facile inuenire vberioris lætitiæ ſpeciem, quam tempeſtate ſedata, portum concupitum ſecundo vento ſubeuntium. Quare Dei miſericordiæ & mirabili potentię non eſſe ingratos oportet homines, ſed ſalute iam lætos eius in ſe beneficia ſummis laudibus commemorare. Eam igitur rem Chriſtus Deus docere nos volens facto ſuo, procellam excitari ſæuam in nauim qua ipſe vna veheretur, ſinit: quo diſcipulos periculo territos ad Dominum confugere videns, ac demum ſalute parta lætiſſimos illius maieſtatem confiteri ac venerari, cui etiam venti & mare dicto obediant. Itaque ſacrauit Chriſtus mare nauigando, vt terram ſacrauerat ambulando: pericula nauigationis ſuſcepit, quo in eiuſmodi euentu quid eſſet conſilij capiendum, quo confugiendum homines ſcirẽt. Neque exiguam eam fuiſſe procellam, amplius quam Matthæus, Marcus expreſſit: *Facta eſt*, inquit, *procella magna venti, & fluctus mittebat in nauim, ita vt compleretur nauis.*

2 Quas tempeſtates Eccleſia Dei perpeſſa ſit.

Quoniam vero nauim in qua Chriſtus vehitur, Eccleſiam eſſe peruulgatum eſt, facile meminiſſe poſſunt, qui ſuperiorum temporum hiſtorias Eccleſiaſticas legerunt, quantis turbinibus impetita, quibus fluctibus iactata, quibus ſit nauicula Chriſti ſępè tẽpeſtatibus fędata atq; conuulſa. Nunquã tamen vel ſuperata eſt, vel curſũ ſuũ tenere deſtitit, auxilio Chriſti ſubleuata, cum maxime iam petitura videretur. Notat id Origenes hoc loco ita ſcribens: *Sæpius concilia infidelium commota ſunt aduerſus veram & firmam Eccleſiam, aliquoties Paganorum, aliquoties hæreticorum, ſæpius ſicut maris fluctus irruebant commi-*

Orig. ho. 6. in diuerſ. locos Matth.

comminantes & conterentes huiuſmodi principes, per omnia ſe perdere Eccleſiæ filios arbitrantes. Sed ſurgens Dominus increpauit dæmonum ventos, & omnes euaneſcere fecit audaces aduerſarios fidei magnamque pacem & trãquillitatem dedit Eccleſiæ ſuæ. Ita quidem Origenes. Ac reuera Chriſtianæ fidei veritatem ipſe vſus rerum eximiè confirmat, quod non minus aperte præſtitum cognoſcamus, quam fuit illud magnificè promiſſum Petro Petrique ſedi, *ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam*. Matth. 16. & illud. *Omnis qui audit verba mea hæc & facit ea, aſſimulabitur viro ſapienti, qui ædificauit domum ſuam ſuper petram: & deſcendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti & irruerunt in domum illam. & non cecidit: fundata enim erat ſupra petram.* Matth. 7. Vultis tempeſtatum vim atque impetum in Eccleſiam Chriſti furentium intueri? cogitate tyrannos illos immanes Nerones, Domitianos, Decios, Seueros, Maximinianos, Deocletianos, Licinios, quorum eo vſque violentiùs turbo, proceſſit vt Eccleſia Chriſti latibulis ſe continere cogeretur ad cryptas, ſpeluncas, ſubterrãnea atque nocturna domicilia perfugere, tãquam nauicula vndarum mole oppreſſa ac fluctibus cooperta ex oculis ſublata in imo pelago conderetur. At quis tandem exitus diuturnæ atrociſque tempeſtatis? omnia repente naufragio in latiſſimam ac feliciſſimam auram cõceſſere. Exortus eſt de improuiſo Conſtantinus Imperator, Chriſti crucem adorans, Chriſti Eccleſiam non defendens modo, ſed etiam ſummis honoribus muneribuſque exornans. Ipſam Romam caput orbis terrarum piſcatoris Petri pedibus ſubdit. S. P. Q. R. aquilas, Petri clauibus ſummittit: nauicula toto pelago dominatur. Sed ea tempeſtate tyrannorum ſuperata, irruit ex hæreſi tanquam ex alia ventorum plaga, non minùs periculoſa ac turbu-

turbulenta tempeſtas. Arianiſmus ita in hanc nauim incubuit, potentia Imperatorum Conſtantij Valentiſque nitẽs, vt vi tempeſtatis propemodum tota obruta ſit. Concilio Ariminenſi vſque eo fi-
Hieron. in dialog. cont. Luciferiam. des catholica oppreſſa eſt, vt Hieronymus dicat totum orbem Arianum ſe factum eſſe miratum. Sed aſpirauit diuina bonitas opportunè: Theodoſium imperio extulit, qui de Ariana hæreſi triumpharet adductoribus Damaſo, atq; Ambroſio: pax & tranquillitas Eccleſijs reddita. Neque alio pacto cætera monſtra ſuperata, & extincta: Macedonius, Eunomius, Dioſcorus, Eutyches, cæteri innumerabiles. Fuit aliud procellæ genus ſuperioribus nihilo remiſſiùs, ſchiſmate tanquam borea truculentiſſimo Eccleſiam deuaſtante, qui huius nauiculæ compages ita ſoluit atque diſiecit, vt nulla fere eſſet ſalutis ſpes, nulla gubernatoris, quæ tanto malo mederetur, induſtria. Quid enim cum tres ſe gubernatores profiterentur, atque contrarijs modis nauium quam tueri oportebat, diruerent? Neque vnius diei aut menſis vel etiam anni, ſed multorum annorum ea calamitas extitit luctuoſiſſima ac funeſtiſſima omniũ quæcunq; Eccleſia Dei pertulit, cũ diſcrimen ab eis ſuſtineret, qui ſalutis auctores eſſe debebant. At hic quoq; Chriſti benignitas tandem affuit, & rebus afflictis opitulata eſt, Martino V. creato Pontifice, Sigiſmundo imperatore immortali gloria celebrando Conſtantiæ ſe Pontifici exhibente calonem, atq; equum illius imperatoria dextera deducere, longe profectò glorioſus quam Iulio Cæſare triumphali curru Romam inuecto. I-
Pſal. 106. taq; *ſtatuit procellam eius in auram*: & nauis Petri ex o-
Pſal. 70. mni tempeſtate integra euadẽs, læta cantat, & Dei celebrans laudes ait: *Confiteantur Domino miſericordiæ eius, & mirabilia eius filijs hominum. Quantas oſtendiſti mihi tribulationes multas & malas, & conuerſus viuificaſti*

uificaſti me: & de abyſſis terræ iterum reduxiſti me?

Quod de eccleſia vniuerſa diximus, id ad ſe referre vnuſquiſque & poteſt & debet. Nam quæ ratio eſt totius ciuitatis, eadem ſuo modo ciuium ſit oportet. Neque eſt quiſquam hominum, qui Chriſtum turbulento mari nauigantem diu ſequatur, cui non incumbat aliquando tempeſtas, ex qua niſi inuocato diuino auxilio emergere nequeat. *Omnes enim* ait Paulus, *qui piè volunt viuere in Chriſto, perſecutionem patientur*. Nec diuerſa Sapiens qui ita conſulit: *Fili accedens ad ſeruitutem Dei ſta in timore: & præpara animam tuam ad tentationem*. Quam verò ſit interdum ſæua tempeſtas, quam illud verum quod præſtantiſſimus Poeta cecinit: 3. Vnicuiq; ſuam non deeſſe tempeſtatem aliquādo. 2. Tim. 3. Eccleſ. 2.

Præſentemque viris intentant omnia mortem. Virgil.

Multò melius verbis Pauli quam meis diſcetis: qui vt Chryſoſtomus hoc loco etiam ſcribit, quandam ſuam procellam ex ijs, quas plurimas pertulit, narrans ait: *Non enim volumus vos ignorare fratres de tribulatione noſtra, quæ facta eſt in Aſia, quoniam ſupra modum grauati ſumus ſupra virtutem, ita vt tæderet nos etiam viuere. Sed ipſi in nobiſmetipſis reſponſum mortis habuimus (id eſt, mortem inſtare certam nobis, perſuaſimus) vt non ſimus fidentes in nobis, ſed in eo qui ſuſcitat mortuos, qui de tantis periculis nos eripuit & eruit*. En quo perducta eſt procellæ vis, vt ſalutem deſperare fortiſſimus miles atque induſtrius maximè nauta cogeretur. Itaque in medijs periculis cum omnia deſunt, cum fluctus magis ac magis intumeſcunt, cum nauicula iam dehiſcit, cum ij qui ſapientia præditi videntur, omni induſtria ſuperata ſua, deſperant, tūc inuocandus Chriſtus eſt vehementius, ac multo clamore excitandus. Ipſe quippe de ſe pollicitus eſt: *In tribulatione inuocaſti me, & liberaui te: exaudiui te in abſcondito tempeſtatis*. Pulchrè abſconditum tempeſtatis Chryſoſt. ho. 29. in Matt. 2. Corint. 1. Pſal. 80.

ſtatis id tempus vocat, quo ex imo mari procellæ in nos turbulentiſſimæ excitatæ videntur.

4. Deum in afflictionib⁹ ſuorum dormire videtur.

Enimuerò illud tempeſtate ipſa grauius accidit, quod Dominus in tantis periculis noſtris nequaquam vigilare ſed dormire potiùs videtur, tãquam neque curet neque ſciat, quod in nos, quid de nobis agatur. *Ipſe verò*, inquit, *dormiebat*. Ac planè hiſtoria ipſa Euangelica non parum habet & voluptatis & vtilitatis. Nãque vt Chriſoſtomus animaduertit id fecit Chriſtus, *vt & humanitatem ſuam patefaceret, & præſtantis philoſophiæ præceptis nos inſtrueret.*

Chryſoſt. homil. 29. *in Matth.*

Declarat enim hoc Chriſti factum, ita rebus gerendis fatigatum, vt ſomnum capere cogeretur nauigans, cuius eæ extitiſſent vigiliæ, ij labores, vt moleſta quoque iactatione nauiculæ ſomnus minimè rumperetur. Quæ res docet, & quam ſibi parum indulſerit, qui ceruicali tantum capiti ſuppoſito in naui conquieſceret, & quantum temporis ſaluti hominum procurandæ impenderet, qui ſvę tantillum idque adeo importunum arriperet. Quis huic ſanitati beneuolentiæque tantæ in homines agere gratias poſſit? Cæterum hiſtoriæ huius fructus ſpiritalis ac myſticus, & altior & vberior eſt. Etenim Apoſtolis ſummopere periclitantibus tunc maximè dormire ſe Chriſtus oſtendit quod ita ſuos probet atque exerceat, cũ & laborare eos ſentit, & ſe ſentire diſſimulat. Eæ ſcilicet ſunt quærelæ, ij gemitus mæſtiſſimi ſanctorum: *Exurge, quare obdormis Domine? exurge, & ne repellas in finem: quare faciem tuam auertis: obliuiſceris inopiæ noſtræ, & tribulationis noſtræ*. Quid Iob graui dolore inflammatus? *Sto & non reſpicis me, clamo ad te, & non audis me: mutatus es mihi in crudelem*. Quid poteſt triſtius & flebiliùs dici? Quin etiam ipſe Chriſtus, nec cæteri tanquam meriti diuinam obliuionem neglecti viderentur, eiuſdem afflictionis in ſe documentum manifeſtũ

Pſal. 42.

Iob. 30.

præbuit

præbuit, ideo clamat in cruce pendens: *Deus meus, Deus meus quare me dereliquiſti? Et Deus meus clamabo per diem, & non exaudies, & nocte & non ad inſipientiam mihi*: videri enim poterat inſipientis cum die pulſans non admitteretur, noctu etiam pulſando perſeuerare. Igitur quia & cum ſummis ſanctis, & cum ipſo Sanctorum ſanctiſſimo ita eſt actum, ſcire debemus fratres, eas eſſe præclariſſimas opes crucis Chriſti, eum theſaurum pretioſiſſimum, cum fideles fideliter certantes deſeri videntur à Deo, ſuſtinentque dolorem non ſolum à creatura impugnante, ſed etiam à creatore veluti negligente. Nam cum diuino fauore arridente patiuntur, cum Deo ſe pro illis oſtentante ac veluti patrocinante, dimicant, non eſt id magnum atque præclarum, pluſque voluptatis ac gloriæ habet ea pugna, quam ſudoris & ſanguinis. At vbi Deus ipſe fauere aduerſario videtur, & te tuoſque labores contemnere, cum illius cauſa dimices, id demum perfectæ cuiuſdam patientiæ eſt, atque immenſæ fiduciæ. Tunc audacter prorumpendum eſt in illas voces: *Domine, non ad te pertinet, quia perimus?* *Pſalm.21.*

Sed cum maxime dormire videtur, vigilat a- 5 Oppor-
mantiſſimus Pater, neque vel minimum patitur tune ſue-
adijci ad id pondus, quod nos ferre poſſe cognouit. currere
Itaque reſpondet ſuauiter vultu iucundo: *Non dor* Deum in
mitabit neque dormiet, qui cuſtodit Iſrael. Reſpondet. afflictio-
cum ipſo ſum in tribulatione. Reſpondet, *Eruam te & ho* nibus &
norificabis me. Ad vocem clamoris tui ſtatim vt audierit periculis.
reſpondebit tibi. Imo vero quod alias dicit: *Antequam* *Pſalm. 120.*
clament, exaudiam. Quanta dulciſſimi Patris cura, *Pſalm 90.*
quis amor, quam attenta prouidentia. Nempe *Pſalm. 49.*
quod ait Paulus, *Fidelis eſt, negare ſeipſum non poteſt.* *Eſa 30.*
Sæpe mater infantulum tantiſper deſerit, vt eiulan- *Eſa 50.*
ti & ſe quærenti iucundior appareat: itaque ad ſe *2. Tim. 2.*
properantem anteuertit, ſinu excipit, amplexatur,

ocellis lachrymas abſtergit, oſcula repetit, lac concupitum ſuauiſſime inſtillat. Tales parentis mores, tale ingenium. Ne igitur amittere velimus, quod

Heb. 10. monet Paulus, confidentiam noſtram, quæ magnam habet remunerationem. Si tamen guſtauimus

1. *Pet.* 1. Petri dictum, quoniam dulcis eſt Dominus:

Aug. ſuper Pſalm. 93. *Bonus enim Dominus animæ quærenti illum.* Auguſtinus exponens illum verſum, ſi dicebam motus eſt pes meus, miſericordia tua Domine adiuuabat me: adducit Petrum in mari fluctuantem, & Dominum Petro manum porrigentem, atque ait: *Mirum eſt quomodo probat Deus homines, ipſa pericula noſtra dulciorem nobis faciunt liberantem: dulcis illi vtique factus eſt Dominus: eripiens eum à periculis, & ideo exponens ipſam dulcedinem Domini, exclamat dicens, Domine ſecundum multitudinem dolorum in corde meo exhortationes tuæ (ſic legit Auguſtinus, nos conſolationes legimus) iucundauerunt animam meam. Multi dolores, ſed multæ conſolationes, amara vulnera, ſed ſuauia medicamenta.* Certè accommodatè hæc Auguſtinus ad hiſtoriam hodiernam. Namque vbi periculum maximè incubuit, tunc

Thren. 3. Chriſtus exurgit, & imperat ventis & mari: *Et facta eſt*, inquit, *tranquillitas magna. Amen, amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos: mundus autem gaudebit. Sed triſtitia veſtra vertetur in gaudium. Ite-*

Ioan. 16. *rum videbo vos: & gaudebit cor veſtrum, & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis.* Et facta eſt tranquillitas magna & omnes mirati ſunt homines, dicebantque inter ſe: *Quis eſt hic, quia mare & venti obedi-*

Pſalm. 30. *unt ei?* Nempe: *Omnia oſſa mea dicent, quis ſimilis tui?* Quid quod non ſolum imperio tempeſtatem ſedauit, ſed etiam iactari ſe in mare voluit, vt iratum mare capitis ſui periculo nobis placaret. Nonne hic eſt veriſſimus Ionas, qui iuſſit ſe mitti in mare, vt tempeſtas conquieſceret? Nonne ipſe ſe

Matth. 12. Ionæ ſimilem propoſuit? Nonne canit ipſe, *Veni in*

ni in altitudine maris & tempeſtas demerſit me? O Chriſte amator hominum: tibi certè ſit gloria & imperium & laudes immortales pro collatis in nos tantis beneficijs. *Pſalm 68.*

IN DOMINICA QVINTA POST EPIPHANIAM, Concio prima.

Simile eſt regnum cælorum homini, qui ſeminauit bonum ſemen in agro ſuo. Cùm autem dormirent homines. Matth. 13.

SI quis eſt, qui huius parabolæ à Saluatore propoſitæ ſeriem penitus perſpexerit, intelliget planè eò ſpectare vniuerſam, vt quandiu vita mortalis hæc manet, bonis malos doceat neceſſario permixtos eſſe. Itaque oportere tolerari, ſi nequeant ſine bonorum pernicie ſperari, quouſque ſupremo iudicio, pro meritis, quod decet vnicuique reddatur. Quas quidem tres res noſſe ac probe tenere, ad omnem Chriſtianæ vitæ rationem magnoperè refert. Sed nos modo primam illam tractabimus, bonis; inquam; malos eſſe admixtos, tum quam ob cauſam id Deus fieri ſinat, qui demum ſint mali maximè pernicioſi, bonorum ſcilicet ſpeciem mētientes. Atque hanc quidem parabolam non modo Chriſtus attulit, ſed etiam explicuit: docuitq; quid ſingulæ eius partes declararēt. Itaq; legem qui condidit, idem eſt etiam interpretat⁹. Quo officio functus eſt aliquando Dominus, neque tamen om- 1. Scopus huius parabolæ.

nes aut plurimas parabolas ſuas enucleandas ſibi putauit: illud ſane præſtitit imperitiæ noſtræ, vt ipſius ductu diſceremus cæterarum etiam rerum ſimilitudines inueſtigare quemadmodum ſi notas aliquot occultas magiſter aperiat, cætera arcana diſcipulo, exemplo ſuo enodanda relinquat. Nam & intelligere nos certè quæ diceret, voluit: & difficultate nonnulla magis ad ſcrutandum excitari, quod accidant longe iucundiora penituſque hæreant, quæ noſtra exercitatione & labore ſumus aſſecuti. Quare partim facilia, partim etiam difficilia Scriptura diuina continet, magna noſtra vtilitate, quod ſapienter Auguſtinus animaduertit. *Sunt*, inquit, *in Scripturis ſanctis profunda myſteria, quæ ad hoc abſconduntur, ne vileſcant, ad hoc quæruntur, vt exerceant, ad hoc aperiuntur, vt paſeant.* Et idem: *Obſcure quædam in Scripturis denſiſsimam caliginem obducunt. Quod totum prouiſum diuinitus eſſe non dubito, ad edomandam labore ſuperbiam, & intellectum à faſtidio reuocandum, cui facile inueſtigata plerunque vileſcunt. Magnifice igitur & ſalubriter Spiritus ſanctus ita Scripturas ſanctas modificauit, vt locis apertioribus fami occurreret, obſcurioribus autem faſtidia detergeret. Nibil enim ferre de illis obſcuritatibus eruitur, quod non planiſsime dictum alibi reperiatur.*

Auguſtin. in Pſalm. 140. initio.

Idem lib. 2. de doctrina Chriſt. c. 6.

2. Malos bonis paſſim eſſe permixtos.

Primum igitur monitos nos Chriſtus vult, fruſtra hoc ſtatu mortalium bonum purum perfectumque quæri, cum ſint vbique malorum ſegete fruges bonæ refertæ. Neque id culpa Conditoris, qui bona omnia condidit: nulla negligentia agricolæ, qui granum optimum ſeuerit: ſed aduerſarij potius inuidia, qui agrum bene ſatum, praua ſemente corruperit. Atque huius rei tenenda eſt valde ratio, ne vel bonos improborum ſocietate vituperemus, vel improbos bonorum ſpecie prætextuque probemus. Auguſtinus ſane vbi de erudiendis ijs a-

Aug. de catechiz. rudibus.

iis agit, qui ad fidem catholicam conuertuntur, inter alia illud ſummopere edocendos cenſet, permultos eſſe in Eccleſia non bonos, qui perdite viuant, flagitijs ac ſceleribus Chriſtianorum nomen dehoneſtent: ne legem noſtram ſanctam & integram de impuris quorundam Chriſtianorum motibus iudicent, atque contemnant: neve eam cum ſuſceperint, ſcandalizentur & ad praua multorum exempla, cum occurrent, periculoſiſſimè impingant. Nam & legem ipſam ita tradere, cum ſit vera & iuſta & ſancta, multos ea indigne vti, quos in præſentia toleret, aliquando ſupplicijs dignis puniat. Quod de Eccleſia catholica dixi, eadem ratione de collegijs, ac ſocietatibus religioſis & pijs debet intelligi, ſiue clericorum, ſiue monachorum, ſiue quorumuis aliorum Dei ſeruorum domicilia conſideres: nihil eſſe ita purum, ita ſelectum, in quo non lateat aut etiam pateat admiſtio aliqua impuritatis & ſordium. Malos vbique bonis conſtant eſſe permixtos. Quid enim aliud illæ aliæ Saluatoris parabolæ ſibi volunt? An non id apertè indicat rectè illud à piſcatoribus tractum ad litus, piſcibus æquè malis boniſque refertum? An non in area illa Euangelica, granum paleæ copulatum, quod ſit ventilabro aliquando purgandum? Atque eſt quidem palea vtilis area, qua interdum ab imbre frumentum defenditur: in horreo non eſt vtilis. Ergo in agro Domini mirari minime debemus, quod zizania tritico permixta cernantur. Ficus bonas, bonas valde Hieremias Propheta inuenit, malas vero, malas valde, ſed vtraſque pro foribus templi. *Et vos*, ait Chriſtus, *mundi eſtis ſed non omnes. Sciebat enim quiſnam eſſet, qui traderet eum.* Quod ſi inter duodecim à Deo electos Apoſtolos Iudas proditor repertus eſt, ſi inter diaconos ſeptem ab Apoſtolis cæleſti operi præpoſitos, Nicolaus ſcelera-

*Matth.*13.

*Marc.*3.

Hierem. 24.

*Ioan.*13.

lera-

Digitized by Google

ſceleratus, quid miramur congregationibus monachorum & clericorum etiam ſuas fæces ineſſe? Quam ſapienter, quam piè Auguſtinus vbi probri quippiam domui ſuæ accidiſſe vidit, ijs ſe documentis & conſolatur & munit. *Quantumlibet*, inquit, *vigilet diſciplina domus meæ, homo ſum & inter homines viuo, nec mihi arrogare audeo vt domus mea melior ſit quam arca Noë, vbi tamen inter octo homines reprobus inuentus eſt vnus.* Et idem repetit de domo Abrahæ, de domo Iſaac, de domo Iacob, de domo Dauid, de cohabitatione Pauli Apoſtoli: ac tandem ita concludit: *Aut melior ſit quam cohabitatio ipſius Domini Chriſti, in qua vndecim boni perfidum & furem Iudam tolerauerunt: Aut melior ſit poſtremo quam cælum, vnde Angeli ceciderunt.* Sapienter plane ac religioſe. Nec diuerſa Cyprianus: *Et Iudam*, inquit, *inter Apoſtolos Dominus elegit, & tamen Dominum Iudas poſtmodum prodidit. Non tamen idcirco Apoſtolorum fides & firmitas cecidit, quia proditor Iudas ab eorum ſocietate defecit: ſic & hic non ſtatim confeſſorum ſanctitas & dignitas comminuta eſt, quia quorundam fides fracta eſt.* Itaque conſolari ſe debent boni, cum diſſimiles improborum mores vident, quod eorum ſocietate nihil ſibi de virtute & laude depereat: nihil eorum vitijs fœdetur. *Anima quæ peccauerit*, inquit, *ipſa morietur. Filius non portabit iniquitatem patris.* Item alio loco: *Si fuerint tres viri iuſti in medio eius Noë, Daniel, & Iob, viuo ego dicit Dominus, quia filium & filiam non liberabunt: ſed ipſi in iuſtitia ſua ſoli liberabuntur.* Valet ſane ea cogitatio ad comprimendam refutandamque ſtultam quorundam arrogantiam, qui ſe ideo ſanctos haberi volunt, quod in ſanctorum virorum familia numerentur. Quamuis enim vel Auguſtinus, vel Hieronymus, vel etiam Franciſcus aut Dominicus ti-

Aug. epiſtol. 137. ad plebem Hipponenſem.

Cyprian. in tractat. de vnitate Eccleſiæ.

Ezech. 18.

Ezech. 14.

cus tibi parens ſit, ſi ab eorum, quibus autoribus glorìaris, virtute & integritate abſis, nihil ea laude proficies. *Si filij Abrahæ eſtis, opera Abrahæ facite,* *Ioan.8.* dicebat Chriſtus, qui genus Abrahæ iactabat. Nec diſſimile Ioannis Baptiſtæ illud: *Nolite gloriari dicentes, quia patrem habemus Abraham: amen dico vobis, potens eſt Deus ex lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ.* *Matth 3.* Quo ſermone præclarè docebat neque nobilibus prodeſſe maiorum virtutes, ſi ipſi degenerent vitæ inſtituto, neque ignobiles ab eorum, quorum imitentur facta, claritudine generis repelli. Quod de genere & familia dixi, id de ſocietate & contubernio debet intelligi. Non enim aut bono nocet malus contubernalis, quem non imitatur, aut malum iuuat boni ſocietas ſi ſunt facta contraria. De ſe Iob ita confitetur. *Frater fui draconum & ſocius Struthionum.* *Iob 30.* Quare nullus te improborum & nequam hominum conuictus lædet, quorum facta non imitere. Dauid quidem vir per quam religioſus & frugi liberos habuit improbos ac petulantes: fratres non admodum ſanctos atque innocentes. Quare ſibi quiſque caueat, atque vti Paulus monet, probet opus ſuum, & non aliena vel laude glorietur, vel vitio mœreat: *Onus enim ſuum,* ait, *portabit vnuſquiſque.* *Galat. 6.*

At quamobrem bonus Paterfamilias agrum ſuum paſſus eſt inſidijs inimici violari? cur zizanijs fruges defœdari ſinit? An non poterat agro cuſtodes dare, ne inimico aditus eſſet? Num fraudes eius & peruerſa ſtudia ignorabat? Nouerat plane inimici ingenium, atque eius fraudes poterat facile, ſi vellet, auertere. Permiſit tamen: atque optima ratione permiſit, quòd fraudes aduerſarij ad ampliorem bonorum fructum tandem profecturas ſua miſericordia ſtatuebat. Auguſtini nota ſententia eſt, *Nec enim Deus omnipotens, cum ſummè bo-*

3. Multas & magnas vtilitates capi ex permixtione bonorum ac malorum.

Auguſt. in Enchirid. c. 11.

mè bonus ſit, vllo modo ſineret mali eſſe aliquid in operibus ſuis, niſi vſque adeo eſſet omnipotens & bonus, vt benefaceret etiam de malo. Quod alijs verbis dixit idem, *Melius iudicauit de malis benefacere, quam mala nulla eſſe permittere.* Recte ſanctus Cyprianus: *Obeſſe mali bonis non debent, ſed magis mali à bonis adiuuari.* Itaque quod mali homines ſint, id in bonorum cedit vtilitatem. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Quiſnam igitur bonis vſus malorum? Primum qui eſt maximus, vſus exercitatioque patientiæ, ſine qua cuiuſuis virtutis quanuis præclaræ, exiguæ ſanè laudes ſunt. A bonis vero bonos iniurias & damna ſuſtinere non facile contingit. Prauorum autem non facta modo iniqua atque improba, ſed ſermo etiam aut ſuperbus aut petulans, vel etiam ipſa ſtudia deprauata & abſurda mirum in modum bonos vexant, affligunt, cruciant, *Contriſtatus ſum,* inquit, *in exercitatione mea, & conturbatus à voce inimici & à tribulatione peccatoris.* Ne putetis, ait eo loco Auguſtinus, fruſtra eſſe malos. Et malorum impugnationem eſſe ſuam exercitationem dixit. Vidiſtis ſæpenumero argenteas lances cinere perfricari vel vitreos etiam cyathos furfuribus aut mordacibus alijs ramentis vrgeri: quæ ſane vaſa, cum ita perfricantur, videntur amplius ſordeſcere, verum peracta tota illa perfricatione, ſimul ex ijs acribus diluuntur, & longe amplius pulchriusque nitent ac ſplendent. Sic profecto ſe habet purgatio iuſtorum quadam veluti confricatione ex ſocietate improborum. Accedit cum humilitatis non parua ratio, cum eorum quibuſcum verſamur, turpitudine cogimur erubeſcere: tum charitatis ſeges perampla in ijs adiuuandis, corripiendis, quoad licet, precibus quoque pro iniquorum emendatione, aſſiduis Deo offerendis, quod Chriſtus & docuit & præ-

Cypr lib. 1. epiſtol 2.

Pſalm. 54.

& præſtitit. Præterea illud diuina ſapientia prouidit, quoniam oppoſita ex dialecticorum præceptis, iuxta ſe poſita, magis eluceſcunt, ampliorem futuram & iuſtorum claritatem, & Dei gloriam, cum in medio nationis prauæ & peruerſæ quod dixit Paulus, filij Dei tanquam luminaria quædam cœleſtia copioſius lucent. Quare Cyprianus *ampliorem ait hoc ipſo conſecutos bonos fidei ſuæ laudem, quod à malorum perfidia ſegregati à contagione criminis receſſerunt.* Et Auguſtinus quæſtiones Euangelicas tractans, ſic ſcribit: *Patientiſſimos & tranquilliſſimos reddit: quia boni dum adhuc infirmi ſunt, opus habent in quibuſdam malorum commixtione, ſiue vt per eos exerceantur, ſiue vt eorum comparatione, magna illis exhortatio fiat, & inuitentur ad melius.* Et idem: *Bonis mali etiam inuiti vtiles sũt.* Denique virtutes vacare plurimas atque otioſas eſſe oportet, quarum officium propriè in malis cernitur, niſi mali eſſent, in quo velut campo ſe exercerent, atque excurrerent. Quænam enim eſſet miſericordia, ſi miſeri nulli exiſterent? Quæ laus iuſticiæ vindicatiuæ? quis zelus Dei, ſi nihil quod vel zelaret vel vindicaret, haberet? Nam de tolerantia & patientia, & longanimitate ſuperuacaneum eſt diſputare, cum vel vocibus ipſis in malorum ſe ſegete verſari declarent. Poſtremò prudentiæ ac ſapientiæ præcipuæ partes otioſæ in obſcuro relinquerentur, quippe cuius præſtantiſſimę laudes ſint malis occurrere, malorum conatus in melius vertere, malo denique bene vti: in quo diuina illa ſapientia ſingulari atque eximia ratione reſplendet. Quã philoſophandi rationem Scriptura ſacra nos docet, cum ita habet. *Contra bonum malum eſt, & contra mortem vita, ſic & contra virum iuſtum peccator. Et ſic intuere in omnia opera Altiſſimi. Duo contra duo, vnum contra vnum.* Hanc igitur quam philoſophi oppoſitionem vocant intueri licet, ſiue naturæ opera ſpe-

Philip. 2.
Cyprian. de vanitate Eccleſiæ.
Eccleſ. 33.

ctemus, elementis compacta qualitatibusque contrarijs, ſiue gratiæ munera conſideremus, vbiuis diſtinctione fulgentia fidelium & infidelium, bonorum ac malorum. Et cum ſit idem autor naturæ, gratiæque largitor, mirabilem eæ res ſapientię prouidentiæque diuinæ ſpeciem, atque eximium quoddam decus oſtendunt. Itaque primi omnium fratres Cain & Abel, hic pius, ille impius & parricida: in eodem ventre Rebeccæ Eſau & Iacob pugnant, nondum editi in lucem, iam certaminis æmuli. Eadem Abrahæ domus fratres habet Iſmael & Iſaac corrixantes, confligenteſque ludicro tunc ſpectaculo, ſed quid natu grandiores agant perſpicuo documento. Quare malos bonis, bonos malisq; permiſceri, dum hæc ducitur vita, & ad diuinæ ſapientiæ laudem, & ad hominum etiam vtilitatem pertinere non dubium eſt.

4. Malos ſpecie bonorū quos zizania ſignificant, maxime eſſe perniciosos.

Sed quamuis ſapientia Dei recto conſilio malorum ſordes intermiſceri bonorum frugibus permiſerit, tamen fideles ſerui præſentia damna cernentes, non poſſunt non commoueri & rei indignitatem deprecari. Itaque occurrunt conquerentes: *Domine nonne bonum ſemen ſeminaſti in agro tuo? vnde ergo habet zizania?* Nam re vera dolore digna calamitas ea eſt, quod bonorum pulchritudinem & decus impuri & ſcelerati obſcurent atque deforment. Atque auget illud maximè cum non mediocrem dolorem, tum verò iuſtiſſimam iracundiam, quod improbi cum ſint, tamen bonorum ſpeciem & habitum præ ſe ferunt, vt vix queant diſcerni: qua pernicie nihil eſſe poteſt grauius. Id eſt enim propriè zizanium. Id adnotauit Chryſoſtomus: *Illud profectò*, inquit, *diaboli artibus aſtutè fieri ſcire debemus, vt veritati ſemper errores connexi atque inſerti per ſimilitudinem facile decipiant leuiores. Propterea non alia ſemina, ſed zizania immixta dixit, quæ*

Chryſoſt. homil. 47. in Matth.

tritico ſimillima ſunt. Neque verò inimicus immiſiſſe dicitur ſpinas, & tribulos, aut ſilicem aut lappas, quæ ſtatim omnia quam ſint à tritico aliena, oſtendunt: ſed ſeuiſſe zizania quæ ſunt ſanè primo exortu, tritico perſimilia, ac non niſi à peritis agricolis dignoſci poſſunt. Quod enim Græci zizaniō, id latini lolium vocitant, ſpecie vt dixi, & forma triticum metiens, de quo Poeta:

Infelix lolium & ſteriles dominantur auenæ. *Virgilius*

Inter frugum peſtes lolium id Plinius numerat. *Plinius lib. 18.c.17.* Quocirca maxima eſt ea calamitas bonorum, ſummus dolor virtute præſtantium virorum, eſſe plurimos improbos & nequam ſpecie pietatis fallentes, quos dignoſcere vulgo non liceat, ea falſa virtutis imagine veræ virtuti perniciem plurimam afferentes. Nam lolium inprimis id habet, vt terram maximè occupet atque exugat, frugibus præripiens alimentum, id quod in aluearibus fuci inutiles faciunt, vt apum labores defraudent, qui cum commodi confetant nihil, fauos tamen ab alijs elaboratos vorant: & tamen agmini apum, quaſi grege de eodem ſint, impudenter ſe adiungunt. Quantæ verò miſeriæ ſit, hæc perturbatio rerum, bonorum malorumque commixtio, atque externa ſpecie factorum ſimili diſſimillima ſtudia, deplorat Salomon his verbis: *Sunt iuſti, quibus mala proueniunt, quaſi opera egerint impiorum: & ſunt* *Eccleſ. 8.* *impij, qui ita ſecuri ſunt, quaſi iuſtorum facta habeant.* Atque in eodem libro poſtea: *Hoc eſt peſſimum, quod eadem cunctis eueniunt: vnde &* *Eccleſ. 9.* *corda fideliorum hominum implentur malitia & contemptu in vita ſua.* Zizania ergo illa periculoſa ſunt, quæ ſub nomine Chriſtiano doctrinam ab Eccleſia catholica alienam afferunt: qui

qui ſacras literas profitentur, & illarum auctoritate ad peruerſa atque impia dogmata ſua abutuntur. Plus longè ea zizania hæreticorum religioni nocēt, quam apertæ ſpinæ paganorum. Zizania etiam habenda ſunt ij, qui religionem pietatemque præ ſe ferunt, cum ventri ſeruiant, & cupiditates expleant ſuas, qui libertatem carnis ſpiritus nomine inducunt, qui zelum mentiuntur, præpoſitis apud ſubditos detrahentes, qui de virtutibus prolixè diſputant, honores potius meditantes. Hos Pſeudoapoſtolos, Paulus notat, *qui per dulces ſermones ſeducūt corda innocentium, & habentes quidem ſpeciem pietatis, virtutem autem eius abnegantes.* Hos falſos fratres nominat, à quibus ſæpè circumuentos Chriſti fideles dolet. Hos Ioannes etiam falſos Iudæos & falſos Apoſtolos tentari deprehendique vult. Nam in laude Epheſij Epiſcopi non mediocri ponit: *Et quia non potes ſuſtinere malos, & tentaſti eos qui ſe dicunt Apoſtolos eſſe & non ſunt, & inueniſti eos m. ndaces.* De Smyrnæo verò dicit. *Blaſphemaris ab ijs qui ſe dicunt Iudæos & non ſunt: ſed ſunt ſynagoga Satanæ.* De eo genere Ezechiel quoque vaticinatur: *Quaſi vulpes in deſertis, prophetæ tui erant Iſrael.* Quod egregiè ſimulare innocētiam nouerint, ſanctitatem ac ſpiritum mentiantur, cum nihil ijs cordi ſit, niſi rapina & ingluuies. Quare merito profectò ſerui fideles & amantes heri patremfamilias adeunt, & cum dolore commemorant: *Nonne bonum ſemen ſeminaſti in agro tuo? vnde ergo habet zizania?* orandus enim eſt Deus quod Apoſtolus ſentit, vt liberemur à malis & importunis hominibus: & ne relinquat virgam peccatorum ſuper ſortem iuſtorum, quod propheta poſtulat, ne extendant iuſti ad iniquitatem manus ſuas.

Rom. 16. *2. Tim. 3.* *2. Cor. 11.* *Apoc. 2.* *Apoc. 2.* *Ezec. 13.* *2. Theſſ. 3.* *Pſal. 124.*

IN EADEM DOMINICA, CONCIO SECVNDA.

Ne fortè colligentes zizania eradicetis ſimul cũ eis & triticum. Matth. 13.

ROGATVS Paterfamilias ille cęleſtis, vnde in agrum eius irrepſiſſent zizania & peſtes eę quas cernebant, cum ſementem ipſe feciſſet optimam, reſpõdit, inimici opera id factum: docere volens nihil à ſe malè conditum: foris eſſe malitiam immiſſam omnem: quod apud prophetam ita declarat: *Ego te plantaui vineam electam: omne ſemen verum. Quomodo conuerſa es in vineam alienam?* Mirari ipſemet videtur rei nouitatem, & abſurditatem quærit. Verũ ſatisfacit quæſtioni Deus illo reſponſo, *Inimicus homo hoc fecit*. Veterem diſputationem de mali origine verbo vno terminatam videmus. Vnde malum? Deus omnia fecit bona, & bona valde. Vnde igitur malum? Quid rurſus malum, ſi nihil eſt quod non fecerit Deus, & quod fecit, id omne bonum eſſe neceſſe eſt? Procul Manichæorum fabulæ ſunto: vaniſſima ſomnia de ſubſtantia mali, & Deo malo, & gente tenebrarũ procul. Pura ac ſincera veritas vno verbo continetur: *Inimicus fecit*. A diabolo omne malum, peccatũ omne à diabolo. Ille fecit in ſe primo, deinde in homine, ipſo etiam homine conſentiente. Hinc vniuerſa malorum ſeges, quæ in ſe nihil habet ſubſtantię, nihil rationis aliud, quam bono priuare. Bene Petrus Chryſologus diſputans de hodierna parabola: *Inimicus ſuperſeminauit zizania: non ſeminauit ſed ſuperſeminauit. Præcedunt creatoris bona, mala diaboli poſt ſequun-*

1. Malum à diabolo.

Hierem. 2.

Chryſolog. ſerm. 96.

quuntur, vt malum quod eſt ex diabolo, ſit accidens non natura. Et idem. *Poſtquam eſt ipſe in dæmonem conuerſus ex Angelo, ne qua creatura in ſuo ſtatu conſiſteret, arte, dolis, machinis, fraude contendit.* Et illud etiam idem. *Deus omnia facit bona, bona valde. Nam quem Deus faciens vocauit mundum, inſitiens reddidit inimicus immundum: & hominem, quem Deus in paradiſo delitioſum collocauit ad vitam, inimicus in hac laboris vita detraxit ad mortem: & affectum quem Deus carni inſeruit per naturam, inimicus in parricidium per inuidiam commutauit.* Nempe inimicus ille ſponte ſua de amico factus eſt inimicus. Bonus à Deo conditus, voluntate ſua redditus malus, mox malitiam ſuam deriuans in alios Angelos atque homines. *Ille*, inquit, *in veritate non ſtetit, ille homicida eſt ab initio: ille mendax & mendacij pater.* Quare mendaces ac mali prauique homines huius ſatoris fruges ſunt. *Filij ſunt nequam*, illius, inquam, nequam & ſcelerati parentis, à quo originem ducunt: quem imitantur, cui placent atque obſequuntur.

Ioan. 8.

2 Malũ nõ ſẽper vindicãpũ intetdũ diſſimulãdum.

Offenſi igitur boni ſerui inuidia nequitiaque diaboli fruges Dei infeſtantis, ſtudia prompta operamque diligentem Domino offerunt, tanto malo procurando. *Vis, imus*, inquiunt, *& colligimus ea?* Zelum ſane probauit, ſed operam repudiauit ſapiens Paterfamilias: *Nequaquam*, inquit, *ne forte colligentes zizania, eradicetis cum eis ſimul & triticum.* Qua in re primum conſiderãda ac pene ponderanda eſt Dei patientia & longanimitas, quam tantoperè Scriptura celebrat, quod tamdiu ſuſtineat impios. Mirari ſe Petrus apud Clementẽ aiebat profundã Dei patientiã, quæ Simonẽ Magũ tãta peccantem, diuturna diſſimulatione ferret. At-

Clemens in Recognitionibus.

que

que huius diuinæ patientiæ duplex eſt ratio: partim enim ipſorum impiorum ſaluti tribuitur, ſi fortè illos mali pœniteat, quemadmodum Paulus admonet: *An diuitias*, inquit. *bonitatis eius & patientiæ & longanimitatis contemnis, ignorans quoniam benignitas Dei ad pænitentiam te adducit?* Rom.2. partim autem electorum bono conceditur, propterea quod exercitatione improborum, vt eſt à nobis alias explicatum, magnas vtilitates conſequuntur, tum verò ne impiorum ſegete euellenda, damnum ipſi quoque non leue ſustineant, quod hic docet Paterfamilias. Nam tolerandis impijs quid fructus accedat ad iuſtos. Salomon declarat, *Attamen peccator ex eo quod centies facit malum, & per patientiam ſuſtentatur, ego cognoui quod erit bonum timentibus Deum, qui verentur faciem eius*. Eccleſ.8. Iam verò ex ea quam diximus Dei patientia ac tolerantia, ij, qui Rempublicam adminiſtrant, aut populo præſunt, aut collegij cuiuſque vel etiam familiæ curam gerunt, diſcere opportunè poſſunt ac debent, non eſſe ſemper mala omnia vindicanda, neque peruerſos ſemper tollendos. Itaque Cyprianus ſcribit: *Tum deinde quantus arrogantiæ tumor eſt, quantæ humilitatis & lenitatis obliuio, arrogantiæ ſuæ quanta iactatio, vt quis aut audeat, aut facere ſe poſſe credat, quod nec Apoſtolis conceſſit Dominus, vt ζιζάνια à frumento putet ſe poſſe diſcernere: aut quaſi ipſi paleam ferre, & aream purgare conceſſum ſit, paleas conetur à tritico ſeparare?* Cypria. lib. 4. epiſt. 2. Quibus tamen verbis Cyprianus nequaquam Eccleſiæ præſules cenſuit poteſtate idonea priuatos ad hæreticos coercendos dignisque pœnis prout res poſtulauerit afficiendos. Maxima prudentiæ pars, ſcire quæ punienda, quæve diſſimulanda

ſint

ſint mala: quibus occurrere ſtatim in incommodis, quibus oportet tantiſper cedere. Eſt enim imperitorum omnia velle corrigere: nihil vitij, nihil criminis ferre poſſe. Non eſt autem mediocris artis, cum medicus morbum ſinit agere ſua, vt medicamentum tempeſtiuè admodum vim peſtiferam ſedare potius, quam excitare amplius videatur. Sunt verò impatientes ineptique ægroti, qui confeſtim omnibus deprauatę valetudinis incommodis pharmaco occurri volunt. Corripere qui oportune cupiat, debet interdum peccantis facta non pauca diſſimulare. Fit enim non raro, vt reprehẽſus deterior fiat, vel cum maiori aliorum damno curetur. Nauim qui gubernat, ſolet aliquando cõtrarijs fluctibus ferri ſinere, ne ſi gubernaculo tenaciùs oppoſito vim procellæ ſuperare non poſſit, cogatur obruere. Quæ autem ſint peccata toleranda, quæ vindicanda: quouſque diſſimulandum, quando ſeuerè & vigilanter animaduertendum in improbos, res ſane eſt perdifficilis definire. Neque poteſt quiſquam ſuo vel ingenio vel doctrinæ ſatis fidere, cũ ſit humanum etiam ſapientes hac parte ſæpè labi & errare. Itaque diuinæ ſapientię lux imploranda erit, & ſtudio accenſo precandum. *Doce me facere voluntatem tuam*: Videmus ſanctum Dauidem nefaria

Pſal. 101.

ac crudelia facta Ioab diſſimulaſſe dum viueret, illa ſe ratione excuſantem. *Ego autem ſum delicatus & vnctus Rex.* Vires ſibi nimirum deeſſe idoneas cauſabatur, vt militiæ ſuæ principem pro meritis ſeuerè acciperet. A quo tamen iam moriens pœnas repoſcere iuſtiſſimas, Salomon filio iuſſit. At illum qui Saulem à ſe interfectum nuntiabat, ne momẽto quidem paſſus eſt viuere, ſed à ſatellite iugulari è veſtigio imperauit. Idem ipſe Dauid aiebat, *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ*. Oſtendens quam ſibi eſſet curæ, quod Reipublicę prę eſſet, eniti vt

2.*Reg*.3. 3.*Reg*.2. 2.*Reg*.1. *Pſal*. 100.

ſi vt in ſceleratos ac peſtilentes omnes regia vindicta vigilaret. Ex quo illud eiuſdem: *Vidi præuaricantes & tabeſcebam.* At non eſſe aliquando gladium ſtringendum in impios, ſed expectandum & conniuendum, apud eundem reperies, ita canentem: *Deus oſtendit mihi ſuper inimicos meos, ne occidas eos, ne quando obliuiſcantur populi mei. Diſperge illos in virtute tua.* Occidi vetat, ſed exulare iubet, quo fideles populi pœnæ eorum conſideratione proficiant. Quod de Iudæis intelligit Auguſtinus. *Pſal. 118.* *Pſal. 58.*

Sed quæ ſit in differenda pœna & tolerando peruerſitate ratio tenenda, demonſtrat ſatis ſermo ipſe Euangelicus Patrisfamilias. Cum enim ſerui promptam operam obtuliſſent euellendis zizanijs, dixiſſentque: *Vis imus & colligimus ea?* Reſpondit ille: *Non, ne forte colligentes zizania eradicetis cum eis ſimul & triticum.* Quibus verbis oſtendit, cū mali puniri non poſſunt ſine grauiori damno bonorum, potius tolerandos eſſe. Expectandū idoneum tempus, interim illud habere locum. *Qui iuſtus eſt iuſtificetur adhuc: & qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc.* Itaque ſi innoxiam ſæuiendum eſt, ſatius eſt etiam noxio parcere, quam pari clade imparem cauſam perſequi. Titum Romanum imperatorem Ioſephus hiſtoricus narrat, cum Giſcala ciuitas illius imperio infeſtiſſima fideles nonnullos vna cum hoſtibus contineret, cædem ac populationem militi interdixiſſe, ne ad immeritos ſupplicij acerbitas perueniret: *Meliuſque*, inquit, *noxium relinquere metu ſuſpenſum, quā immeritum quemquam cum eo perdere exiſtimabat. Sine cauſa enim morientium pœnas, corrigi nullo modo poſſe.* At verò cum noxij plecti ſine innocentium damno queunt, vel potius ad bonorum vtilitatem pertinet vindicatio malorum, nullo modo prohiberi, ſunt ſerui intelligendi purgare agrum ſterilem. Si enim zizania colligere licet, nullo eradicato tritico, non

3 Tunc in malos animaduertēdum cum boni nihil inde damni patiantur.

Apoc. 22.

Ioſeph. de bello Iuda. lib. 4. cap. 4.

Digitized by Google

dubium eſt, quin Paterfamilias gratam eam ſeruorum operam ac diligentiam ſit habiturus. Hæc igitur tota ratio eſt puniendi hæreticos: qui ſe hac parabola Euangelica falsò tuentur. Lutherus quidem atque Caluinus ac cæteri horum ſimiles, contra hoc præceptum Euangelicum facere Eccleſiam contendunt, cum in hæreticos animaduertit honoribus, fortunis, vita quoq; interdum priuando. Interim ijdem ipſi criminatores Eccleſiæ Catholicæ, egregiè in eos animaduertunt, qui ſuis dogmatibus contradicunt. Videas Lutheranos furere in Caluinianos: hos quoque vſque ad flammas perſequi Puritanos. Verum miſſis iſtis ſtolidis Eccleſiæ accuſatoribus, quid in cauſa ſit ipſa, videamus. Diuus quidem Auguſtinus ad Vincentium Rogatianum hæreticum ſcribens, fatetur ſe aliquando in ea fuiſſe ſententia, cum hæreticis ratione & diſputatione agendum, à vi & vindicta temperandum, vt ſit eorum conuerſio voluntaria, non inuita. Cæterum legum imperialium mirabilem vtilitatem expertum, quæ bonis ac libertate hæreticos ſpoliarent, ceſſiſſe veritati, ipſoque vſu copiosè edoctum, parù proficere diſputationes, ſupplicia multum apud hæreticos. Ad Bonifacium verò comitem ſcribit his verbis: *Quis autem veſtrum velit non ſolum aliquem hæreticorum perire, verumetiam aliquid perdere? ſed aliter non meruit habere pacem domus Dauid, niſi Abſalon filius eius in bello, quod contra patrem gerebat, fuiſſet extinctus: quamuis magna cura mandauerit ſuis, vt eum quantum poſſent viuum ſaluumque ſeruarent, & eſſet cui pœnitenti paternus affectus ignoſceret. Quid autem ei reſtitit niſi perditum flere, & ſui regni pace acquiſita ſuam mæſtitiam conſolari? ſic ergo Catholica mater Eccleſia, ſi aliquorum perditione tam multos cæteros colligit, dolorem materni cordis lenit, & ſanat tantorum liberatione populorum.* Quam Auguſtini vſu & exercitatione

Aug epiſt. 48. ad Vincentium.

Ad Bonifacium comitem epi. 50.

citatione comparatam ſententiam non modo S. Thomas vniuerſaque Theologorum ſchola ſequitur, ſed etiam Catholicæ Eccleſiæ autoritas diuturna conſuetudine cumulatiſſimè probat. Tantum enim abeſt vt hæreticorum punitio cum piorum & Catholicorum detrimēto fiat, nihil vt ſit ad retinēdum in officio & pietate populum Chriſtianum vtilius & ſalutarius. Quam ob rem ſi qui ſunt ſancti Patres, qui aut hæreticos puniendos non cenſuerūt, aut parabolam hanc ad eos tolerandos accommodauerunt, intelligendi proculdubio ſunt, cum ea tēpora vigebant, cum ſine multo impiorum detrimēto impij tolli de agro dominico euellique nō poterant. Alioqui quam ſit Deo gratus zelus, quam ea probata opera, quæ infideles & impios impunè abire nō patitur, apertè declarat ſcriptura diuina, cū in Apocalypſi Epheſū Epiſcopū eo nomine valde cōmēdat & laudat. *Scio*, inquit, *opera tua, et laborē, & patientiā tuā: & quia non potes ſuſtinere malos: & tentaſti eos, qui ſe dicunt Apoſtolos eſſe & non ſunt, & inueniſti eos mendaces*. Contra epiſcopum Pergamenum acriter arguit cenſura cæleſtis, quod impiæ doctrinæ ſectatores in ſuo grege agere paſſus ſit. *Habeo*, inquit, *aduerſus te pauca, quia habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere ſcandalum coram filijs Iſrael, edere & fornicari: ita habes & tu tenentes doctrinam Nicolaitarum*. Paulus verò præterea docet, quam ſit noxium fidelibus & pijs conſortium infidelium atque impiorum. *Neſcitis*, inquit, *quoniam modicum fermentum totam maſſam corrumpit? Auferte malum ex vobis ipſis*, hoc eſt, impurum ac nefarium hominem ſegregare è cœtu veſtro, ne alios inquinet & contaminet. Quare non ſolum hæretici puniendi ſunt, & ex Catholicorum conuentu exterminandi, quod vbicunque viribus præſtat Eccleſia facit, verumetiam flagitioſi ac ſce-

Apoc. 2.

Apoc. 2.

1. Cor. 5.

3. Reg. 15. *Aug. lib. 3. contra epi. Parmeniani ca. 2. refert 23. d. q. 4. c. cum quiſque & ca. Non poteſt.*

lerati homines, qui cæteros corrumpere morum impuritate atque licentia poſſunt, diligenter inquirendi, dignaque pæna coercendi ſunt, quod faciebat Dauid, quod Ioſias diligentiſſimè præſtitit, & Aſa ille, qui effæminatos de terra exterminaſſe cum magna laude commemoratur. Totum autem hunc locum Euangelicũ Aurelius Auguſtinus egregiè explicat & confert in pauca, ſcribens aduerſus Parmenianum hæreticum. Verba recitabo, *Satis oſtendit cum metus iſte non ſubeſt, vt cum zizanijs eradicetur ſimul & triticum, ſed omnino de frumenti ſtabilitate certa ſecuritas manet, id eſt, quando ita cuiuſque crimen notum eſt, & omnibus execrabile apparet, vt vel nullos prorſus vel non tales habeat defenſores, per quos poſſit ſchiſma contingere, non dormiat ſeueritas diſciplinæ, in qua tanto eſt efficacior emendatio prauitatis, quanto diligentior fuerit obſeruatio charitatis. Cum vero idem morbus plurimos occupauerit, nihil aliud bonis reſtat, niſi dolor & gemitus, ſic igitur miſericorditer corripiat homo, quod poteſt: quod autem non poteſt, patienter ferat. Turba autem iniquorum cum facultas eſt, generali obiurgatione ferienda eſt, & cum facultas datur, vtiliter corripitur in multitudine multitudo. Nam ſicut ſeparata ſæuire, ſic in ipſa congregatione obiurgata, gemere conſueuit.* Hæc Auguſtinus omnia omnino excellenter atque diuinè.

4 In ſupremo iudicij die in improbos acriter vindicandum.

In tempore meſſis dicam meſſoribus, colligite primũ zizania, & alligate ea in faſciculos ad comburendum. Habent ſuum diem iudicij, quæ nunc videntur ſine iudicio præteriri Qui nunc diu diſſimulat, aliquando tandem collecta tanta malorũ multitudine, erumpet in furorem. Nam ſi alia eſſet nulla, certè hæc vna ſatis eſſe deberet, vitæ futuræ demonſtratio, quod nunc tam ampla improborum ſeges vt velit agat, neque ſupplicio digno accipiatur, quæ res à diuina prouidentia & iuſtitia alieniſſima ſit.

ſit. Ergo tempus aderit meſſis. *Meſſis*, inquit, *conſummatio ſeculi eſt: meſſores autem Angeli ſunt*. Quam ampla, quam terribilis meſſis illa. Primus ipſe Dei filius hominum & Angelorum Dominus Ieſus Chriſtus falcem capiet, vt ſignum det meſſoribus rei gerendæ, cum ſit opportunum. Ad eum modum deſcribit Ioannes: *Et vidi, & ecce nubem candidam, & ſuper nubem ſedentem ſimilem filio hominis, habentem in capite ſuo coronam auream, & in manu ſua falcem acutam. Et alius Angelus exiuit de templo clamans voce magna, ad ſedentem ſuper nubem: Mitte falcem tuam & mete, quia venit hora, vt metatur, quoniam aruit meßis terræ. Et miſit, qui ſedebat ſuper nubem falcem ſuam in terram, & demeſſa eſt terra*. Manipulos autem ea meſſe collectos in aream comportandos ſcriptura item docet, cum in vallem Ioſaphat Ioel Propheta prædicit in iudicium gentes cunctas coituras. *Conſurgant*, inquit, *& aſcendant gentes in vallem Ioſaphat, quia ibi ſedebo vt iudicem omnes gentes in circuitu. Mitte falces quia maturauit meßis*. Hæc Ioel. Iubet autem Dominus manipulos colligi, vt qui ſunt generis eiuſdem ſimul colligentur: ne permixti alijs alij fortuito ferantur, vt nunc fit. Itaque & ſceleratos à ſanctis diſiungi neceſſe erit: & inter ipſos impios diuerſas etiam eſſe ſtrues & faſces, vt ſunt cauſæ diuerſæ. Implebitur illud Eſaiæ: *Et congregabuntur in congregatione vnius faſcis in lacum, & claudentur ibi in carcere*. Erit flagitioſorum cohors, erit ſuperborum & crudelium: ibi cum Iuda proditore auari, cum Simone Mago ſacrilegi, cum Zambri Cozbi impuri ſcortatores copulabuntur. Habebunt pœnarum ſocios, quos ſcelerum duces ſunt ſequuti. Inflammabit manipulos hoſce infelices æternum incendium: ardebunt nefarij diuini iuris violatores, nullo ſempiternis ſupplicijs expectato exitu. Pira illa gehennæ remittet de immenſa vi nihil: cru-

Apoc. 14.

Ioel. 3.

Eſai. 24.

Digitized by Google

ciare atque vrere ceſſabit nunquam: quid enim ceſſet cum flatus Domini ſicut torrens ſulphuris ſuccendat eam, teſtimonio ſi eſt credendum Iſaiæ

Iſai.30. Prophetæ; Quapropter fratres, cum datur & tempeſtiuum eſt, ſe noſtrum vnuſquiſque diſcutiat, reprehendat, iudicet, plectat; quidquid eſt vitij reſecet, puras fruges ac fœcundas virtutum Chriſto paret. Ne cum in nos negligentem ipſi cenſuram exercuerimus, cogamus ſummum iudicem duram atque acerbam pronuntiare ſententiam. *Si noſmet ipſos diju-*

2.Cor.11. *dicaremus*, Paulus ait, *non vtique iudicaremur*. Quod ſi ea conceditur permutatio, vt iudices ipſi in noſtra cauſa eſſe poſſimus, certè amentiæ erit extremæ, ſeueriſſimum potius iudicium illius diei magno noſtro malo expectare malle.

IN DOMINICA SEXTA POST EPIPHANIAM,

Concio prima.

Simile eſt regnum cælorum grano ſinapis. Matth.13.

1. Euangelicum regnum ex paruis initijs incrementa cœpiſſe maxima.

EVANGELICVM regnum idcircò grano ſinapis Dominus ſimile eſſe perhibuit, quod ex anguſtis tenuibusque ingentes progreſſus ſuſceperit. Nam legis Moſaicæ ſtatus initia habuit ampla & præclara, incrementa non itē. Magnis enim in Aegypto editis ſignis, exercitu Pharaonis mari rubro demerſo, filij Iſrael ingenti manu ſimul ingreſſi ſunt iter in Palæſtinam. Legem terribili fragore & incredibili maieſtatis ſignificatione acceperunt. Contra Euangelica exordia parua, deſpicabilia, vulgaria: homines ſcilicet pauci nume-

numero, opibus nullis, opinione ſapientiæ vacui, metu Iudæorũ latitantes. At his tam initijs anguſtis regnum Chriſti in quantam magnitudinem citò ſe ſuſtulit? Breui orbem terrarũ videmus eſſe cõplexũ. Vt enim dicit Chryſoſtomus: *Imbecilliores cæteris omnib⁹ atq; minores erant Apoſtoli, verũ quis in ipſis ma gna erat virtus, fama eorum vbique terrarum floruit. Exiguitatem eorum poteſt is cognoſcere ita ſuos alloquente Chriſto: Nolite timere puſillus grex.* Et quidẽ ouiũ imbecilliũ vel agnorũ grex: nõ leonũ inuicta acies. Itaque hos eſſe contẽptos à Phariſæis & Scribis cõſtat, doctis videlicet & religionis opinione præſtantibus. *Cõperto*, ait ſcriptura, *quod homines idiotæ eſſent & abſq; literis* Talia fuere primordia, ſed qui progreſſ⁹? *In omnẽ terrã exiuit ſon⁹ eorũ, & in fine orbis terræ verba eorũ.* Paulũ audite magnificè verbi Dei glorioſũ curſũ prædicantẽ: *In verbis veritatis Euãgelij, quod peruenit ad vos, ſicut & in vniuerſo mũdo eſt, & fructificat & creſcit.* Et granũ ſinapis exiguũ toto orbe propagatũ atque dilaniatũ. Fuit nimirum diuinæ illius ſapiẽtiæ conciliũ, quod idem Apoſt. commendat. *Videte vocationem veſtram fratres, quæ ignobilia*, inquit, *ſunt mũdi, & contemptibilia elegit Deus* Quo cõſilio? *Vt nõ glorietur omnis caro coram Deo* Ita enim maximè Dei fuiſſe opus proprium, nõ hominũ perſpicuè intellectũ eſt. Hic enim eſt ille fonticulus perexiguus quem vidit Mardochæus creuiſſe in fluuiũ, & in aquas plurimas redundaſſe. Hic ille lapis, quẽ eſt intuitus Daniel prodigioſã ſtatuã Nabuchodonoſoris comminuentem, & in montẽ euadentẽ, qui terrã ſua magnitudine impleuerit. *Lapis*, inquit, *qui percuſſerat ſtatuam, factus eſt mons magnus, & impleuit vniuerſam terram.* Rei eius interpretationem ex ipſo Daniele petere licet ad hunc modum viſa exponenti: *In diebus regnorũ illorum ſuſcitabit Deus cæli regnũ quod nõ diſſipabitur in æternum, & regnum eius alteri populo nõ tradetur:*

Chryſoſt. in expoſit. Euang. L.
Luc. 12.
Actor. 4.
Pſal. 18.
Rom. 10.
Coloſ. 1.
1. Corin. 1.
Eſther 13.
Dan. 2.

detur: comminuet autem & conſumet vniuer,
& ipſum ſtabit in æternum. Ac reliqua ſane
tia habuere magnifica, exitus miſeros:
gnum paruo principio, fines obtinuit i
ſtabilitate ſempiternũ, magnitudine mu
& potentia cætera omnia ſubigens ſibi.
Aſſyriorũ Nabuchodonoſor alio nomin
daſſe perhibetur. Cyrus alterã Perſarũ a
tertiã Græcorũ Alexander Magnus: ſup
maximã Romanorũ Imperatorũ Iulius C
nemo vel ſæpius pugnauit, vel felicius vic
nes duces ac Reges quanto cũ ſtrepitu, qu
pōpa inuecti? Chriſtus verò noſter ſilentio
humilitate vicit. Non aquilas, nõ leones,
mæras præferri inſignibus: & vermiculũ
gno irrepentẽ, inſignia ſua eſſe voluit. Cru
dedignatur, quam ſubijt, inde hoſtes omn
gaturus. Sic enim diuinis literis de Chriſto
2.Reg.23. uidis nomine conſignatum legimus: *Da*
in cathedra ipſe eſt quaſi vermiculus ligni tenerr
interfecit octingentos impetu vno. Aquilæ certa
lices Romani Imperij nequaquam eo vſq
rum euolarunt, quo crux Chriſti progreſſa
immerito vobis videtur ſinapis grano quc
ſemine in amplam arborem creſcat, regnun
gelicum adaptatum? Nam quod aues cæli r
re dicit in ramis eius, ſignificat plane, elat
præclara ingenia philoſophorum atque ſa
tum opes ſuperbas regum, Principum præpo
in Eccleſiæ Chriſtianæ gremio conquieſcere
ex ea ſibi doctrinæ ſalutaris victum quærere
nim licet pauperes & plebeios, vileſque pot
gerit, tamen voluit ſapientes quoq; ac nobi
uiteſque, Euangelio cedere, victaſque manu
quo Dei verbi victoria eſſet illuſtrior. Itaq; v
Paulum Sergium Proconſulem virum prud

& grauem, videmus Dionyſ. Areopagitam Athenis ſapientiæ laude præſtantem Euangelio ſubactum, Gamalielem legis Moſaicæ multa peritia & canitie venerabilem, Nicodemum Synagogæ principem videmus Euangelicæ ſimplicitati literarum ſuarum faſces vltro ſummittere. Nonne volucres dicas has in ſinapis ramos conceſſiſſe? Quid innumeros alios proferam viros immortali gloria dignos? quid Iuſtinum philoſophum, eundem mox martyrem Christi? quid naturæ miraculum Aurelium Auguſtinum, ex acerrimo Eccleſię hoſte ſummum Eccleſiæ Chriſti propugnatorem & ducem? Quid Conſtantinum magnum? quid cæteros loquar imperatores Romanos crucis Chriſti inſigne geſtantes? Nonne volucres cæli hæ ſunt alto & pernici volatu præditæ, quæ tamen ſalutari conſilio alas demittant, ac ſe in tuta arbuſculæ noſtræ opaca recipiant? Præclara certæ ſinapis incrementa videtis, quæ tot auibus nidificandi facultatem præbeant.

Actor.13. Actor.17. Actor.4.

Quod ſi rem attentius conſideretis, perſpicietis profectò, quam rationem iniuit Eccleſiæ ſuæ fundandæ, eandem in ſingulis Eccleſiæ partibus inſtituendis tenuiſſe Chriſtum. Religionum initia fere exigua anguſtaque fuere, progreſſus illuſtres & magni. Franciſcus olim mercator ſæcularis, quo perduxit ordinem minorum nomine, re magnorum? Dominicus Canonicus regularis toto orbe familiam prædicatorum amplificauit. Benedictus diu tectus & latens quot Pontifices Eccleſię dedit? quot doctores mundo? quot martyres, quot confeſſores cælo? Et noſter Ignatius militari potius quam literario aut religioſo cultu inſtitutus, & doctrinæ & religioni non ineptam Societatem peperit. Nuper in noſtra Hiſpania fœmina virorum magiſtra & dux diuinitus effecta, Tereſſia inquam illa, quæ ex

2. Quod Eccleſiæ contingit, vt ex tenui initio ad tantam magnitudinem ſu[illegible] gereret, id accidere partibus, imò ſingulis filijs Eccleſiæ.

calciatorum domicilia monachorum, r
excalciatarum virginum collegia excitau
ta hæc Dei noſtri gloria? quam apertè n
nem conditoris exigua iſthæc in ſumı
Rom. 4. ducta prædicant? *Qui vocat ea, quæ non ſun*
ea quæ ſunt. Cui ſit perinde facile & expec
1. Reg. 4. cis vincere ac multis. *Quis Deus ſimilis tu*
Mich. 7. ta quidem exclamat. Addo præterea ir
ipſo poſſe quenquam noſtrum eanden
gnificentiam perſpicere: ex tenui init
ſeges? Conuerſio enim ad vitam Deo d
cillimo ferè initio conſtitit. Vno verb
natoris es ictus: pupugit te vocula neſc
bri quem legebas: moleſtiæ quippiam
vanitas attulit: cœpiſti tædio affici vitæ
Audiſti ſocium cœnobiticum habitum
parem te illi fore venit in mentem. Gra
fecto ſinapis agnoſcas, ſi primos tuæ ſal
tus memoria repetas: arborem non exig
nui ſemine propagatam confitearis, cum
inde vtilitatis accreuerit, prudenter expe
que dum eſt ſemen exiguum, caue negl
vilipendas. Preces faciebat Elias pluuiæ
dæ: puer ſpeculabatur cæleſtem faciem.
tueris puer? quid tandem, edito. Poſt mo
3. Reg. 18. lum. *En*, inquit, *nubecula parua aſcendit d*
veſtigium hominis. Rem nullius pretij op
quid Elias? *Sonus*, inquit, *magnæ pluuiæ eſt*.
videlicet paulatim extendi & cęlum tege
quo tantum imbris eſt datum terræ, vt R
accelerare coactus ſit, ne magnitudine p
rueretur. Talia ſane ſunt Dei opera, tale
initio proceſſus. Quamobrem ſi quis diu
tionis ſemina acceperit, videat, ne quan
& anguſta contemnat: foueat potius dili
ſeruet, futurum certò ſciat, vt in magna

diuinæ ſinapis granum ſe breui attollat, cuius ſi ductum ſequatur, ad magnos ac mirabiles prouentus certo perueniet.

Quanquam ea quam expoſui, præcipua ratio eſt, cur grano ſinapis Chriſtus Euangelicum comparat, & tamen alia etiam valde conueniens, quod nimirum granum ſinapis mole minima, minuta admodum cum res ſit, vim tamen & acrimoniam continet maximam. Ambroſius ſane rem eam tractans ita diſputat: *Granum ſinapis magnum eſt, ad cuius ſimilitudinem fidem habere compellimur. Magnum autem dixerim, non ſpecie, ſed virtute, & fidei qualitate non oleri comparandum, ſed vigore acrimoniæ coæquandum.* Et poſt pauca. *Vt mirum ſit in tam friuolis granis tantũ ignẽ fuiſſe conclusum.* Idem ſcribens in Lucam *Granũ ſinapis res eſt vilis & ſimplex: ſi teri cœperit, vim ſuam fundit: Fides quoque primo ſimplex videtur, ſed ſi teratur, aduerſis, gratiam ſuæ virtutis effundit.* Magnæ virtutes ſunt, quas ineſſe ſinapi phyſici ſcribunt. Pytagoras quidem aſſeruit nullum eſſe ſemen, cui tantum igneæ naturæ virtutis ſit. Plinius & multa & mira de ſinapi prædicat. Veneno eſſe contrarium, capiti mirificè prodeſſe, tum pectori tum ſtomacho egregium: frigidalibus magnoperè medere, fluxiones noxias curare, vnguentis aptum, oleo idoneum, condimento præſtans, cibo ſalutare atque appetendum. Ex quibus quidem omnibus permulta poterat diſputatio texi, quod in verbum Dei eæ omnes virtutes conueniant: cum verbo Dei omnes morbi pellantur ſcriptura teſtante: *Etenim neque herba neque malagma ſanauit eos, ſed tuus Domine ſermo, qui ſanat omnes.* Confirmat etiam mirificè, atque accendit animum, omnia frigora timoris humani depellens: *Omnis ſermo Domini*, inquit, *ignitus clypeus eſt ſperantibus in eum.* Habet etiam iucunditatem & condimentum ſuum, quo difficilia etiam

3. Sinapis acrimoniã in agitatione diuini verbi ſentiri.

Ambr. ſer. 1.

Amb. lib. 7. in Lucam

Plin. lib. 19. cap. 8. & li. 20. cap. 22.

Sapien. 16.

Prouer. 30.

Coloſ. etiam facta ſuauia fiunt. *Vt det gratiam*, inquit, *audientibus*. ſed illud præcipuè conſiderandum, nihil eorum quæ diximus multa ac præclara præſtare, niſi tritum atque contuſum. Quo vero teritur vehementius, eo amplius igneſcit & vrget. Pulchrè

Chryſolog. ſerm. 98. Chryſologus: *ſicut in integritate grani ſinapis, ſinapis virtus habetur occulta, apparet vero virtus eius vehementiſſime, ſi teratur: ita Chriſtus corpore teri voluit, qui ſuam noluit latere virtutem.*

Ambroſ. ſerm. 1. Ambroſius copioſè atque ornatè: *Granum ſinapis vbi teri cœperit, ſtatim odorem ſuum acrimonia exhibet, cibum flammei ſaporis exhalat, & tanto feruoris calore ſuccenditur, & cætera* Quas autem vires habeat tritum declarat, fidei comparans: *Fides Chriſtiana vbi diuerſis tentationibus teri cœperit, ſtatim vigorem ſuum prodit, acrimoniam inducat, tanto diuini ignis ardore iactatur, vt & ipſa ferueat, & participantem ſibi ardere compellat. Ergo granum ſinapis membrorum viſcera calefacit: fidei vigor cordium peccata comburit, ſinapis iniquos humores decoquit corporum; fides autem libidinum fluenta conſumit. Et per illud capiti medicina procuratur: per fidem autem ſpirituale caput noſtrum ſæpius refouetur. Sed & fidei iuxta comparationem ſinapis, fauſto odore perfruimur.*

Hilarius in expoſit. Euangel. Hilarius etiam Chriſto aſſignans ſinapis granum ſic ſcribit: *Grano ſinapis*, inquit, *ſe Dominus comparauit; acri maximè, & omnium ſeminum minimo: cuius virtus ac poteſtas tribulationibus & preſſuris accenditur.* Exemplo Chriſti nos quoque teramus granum ſinapis, quod quo vehementius teritur, eo amplius proficit. Itaque fratres quanuis ſaccum ſinapi plenum habeamus, ſi non terimus, nihil inde vtilitatis accipimus. Quid ſit autem terere atque contundere ſinapim, dicam. Cum verba diuina meditamur, conſideramus, mente agitamus, tunc certè ſalutarem ac viuidam ſinapim terimus, ac tunc plane fit, vt odor eius nares ſubeat, ad oculos peruadat, ad imos animi receſſus penetret, lachrymas deni-

denique excitet, & igneum quendam feruorem accendat. Itaque dicebat Dauid expertus rem. *In meditatione mea exardeſcet ignis.* Itemque, *Et meditatus ſum nocte cum corde meo, & exercitabar & ſcopebam ſpiritum meum.* Eam vim verbi Dei ſentiens viſceribus incluſa Hieremias quoque aiebat: *Et factum eſt in corde meo quaſi ignis exeſtuans clauſuſque in oſſibus meis: & defeci ferre non ſuſtinens.* Quid enim cauſæ eſſe putatis, quod nonnulli audita concione pœnitentiam agunt, ſæculi vanitates deſerunt, vitam monachi inſtituunt, cum permulti eadem audientes nihil moueantur, nihil de priſtina impuritate remittant. Alij nimirum cogitant & verſant apud ſe, quæ audierunt. Itaque grana ſinapis terunt: alij integra vt acceperunt, obliuioni reddunt. Cur Franciſcus euangelio audito, cur Antonius ſtatim ſæculari omni abiecta pompa in deſerta conceſſerunt, vitam Angelicam ingreſſi ſunt? Nempe vim verbi intus agitari ſenſerunt, acrimonia illa ſalutari perfuſi ſunt. O mirabilem certè diuini verbi potentiam, vtinam Euangelica grána in noſtræ intelligentiæ veluti pila contunderemus, iterum atque iterum meditatione ſubigeremus diuina myſteria, excitarent profecto mirabilem feruorem, vim illam ſuam igneam exhalarent. Videas pleroſque Theologos, cathedris præfectos ſcripturæ, Eccleſiaſticas præbendas magiſtráles obtinentes, videas clericos & regulares paſſim de ijs cæleſtibus rebus multa ac præclara diſſerere: eoſdem ita frigidos ſentias, vt nihil eorum oratione commouearis, nihil actibus perſpectis incaleſcas. Quid hoc rei eſt, vel monſtri potius, cum ignem agitent, ſic algere? ſed ſinapim videlicet multam habent congeſtam, ſaccos plenos, ſinapim eandem non terunt, non contundunt. Itaque nihil illius calore afflantur, nihil acrimoniæ ſentiunt. Spiritum non redolent, Dei ignem non

Pſalm.38. *Pſalm.76.* *Hierem.20.* *Rom.2.*

non habent, de mortificatione, de oratione, de Chriſti imitatione nihil ad eos. Ergo libri tot, commentarij, ſcripta quibus ſcatent: ſacci ſunt ſi pleni, ſed terere piget. Vendere malunt alijs qu ipſi vti, quod faciunt Pharmacopolæ. Hoſce Pau coarguit. *Qui alium doces, te ipſum non doces, qui glo ris in lege, per legis præuaricationem Deum inhonoras.* tamen fratres, *non auditores legis neque doctores, factores legis iuſtificantur apud Deum.* Quare mihi dite, verbi diuini quod accepiſtis, vim & pot tiam perſpicietis, ſi vſu & exercitatione eius p culum feceritis.

4. Verbum Dei ſic eſſe ſalutare, vt tamen mordeat, more ſinapis.

Hieron in Matth.

Ambroſ. ſerm. 2.

Nunc ad ea quæ de ſinapi attulimus, illud ijciamus, quod eſt conſideratione digniſſimu ita eſſe ſinapim vtilem ac ſalutarem, ita etiam cundam & cibo expetendam, vt mordeat tamen pungat, vſque eo, vt ſæpe lachrymari compell Rem dico nemini ignotam, quam ſæpe eſtis exp ti. Hieronymus vel ob id maximè vult doctrina Euangelicam ſinapis grano collatam. Quid Ar broſius? Præclarè admodum philoſophatur ea re. *Nam ſicut cum ſinapis,* inquit, *ſuccum ſumimus, v tu contriſtamur, fronte contrahimur, ad lachrymas p mouemur, & ipſam ſalubritatem corporis noſtri cum qu dam fletu auſteritatis accipimus, & tunc magis ſani ficimur, cum amplius deploramus. Ita ergo cum fidei Ch ſtianæ mandata percipimus, contriſtamur animo, af gimur corpore, ad lachrymas promouemur, & ipſam latem noſtram cum quodam fletu ac mœrore conſequimu* Sapientia igitur huius ſæculi dulce potius quo dam, ſed flaccidum & inutile ſapit: quod poëtic quod hiſtoria, quod oratoria, quod philoſoph. denique humana continet, mellitis magis gran ſimile eſt, ſed quod ad ſalutem nihil confera quod acrimoniæ nihil habeat, ſiue Tullium, ſ ue Virgilium legas, ſiue Platonem, aut Xeno

phon

phontem, nihil quod ſpiritum accendat, reperies. *Hieron. in expoſit. Euang.*
Doctrina Philoſophorum, ait Hieronymus, *nihil mordax, nihil viuidum, nihil vitale demonſtrat, ſed totum flaccidum marcidumque & mellitum ebullit in olera & in herbas, quæ cito areſcunt & corruunt.* Itaque compungere animum, ſalutares ciere lachrymas, deſiderium virtutis accendere, id planè proprium eſt Chriſtianæ doctrinæ: diuina ſinapis id modo efficit. *Simile eſt regnum cælorum grano Sinapis.* ſic plane Ioannes Baptiſta prædicabat: *Pœnitentiam agite.* Sic ipſe Chriſtus, ſic Chriſti imitator Paulus. *Prædicans*, inquit, *in Deum pœnitentiam.* Ezechiel *Actor. 20.* Propheta volumen ſibi diuinitus oblatum cum voraſſet, illius vim & acrimoniam intus ſenſit. *Amaricatus*, inquit, *eſt venter meus.* Nec diſſimi *Ezech. 3.* lia Ioannes de ſe perhibet. Ea demum eſt ſinapis *Apoc. 10.* cæleſtis ratio, vt pungat, vt mordeat, vt viſcera penetret, lachrymas excitet. At nunc ſinapim quidem amant homines, de multo melle imbutam vel dilutam potius, aut muſto tantopere inſertam, vt nihil pene habeat vigoris ſui. Nullos, inquam, aculeos, cupiunt prædicatorum, nullos confeſſorum, nullos conſiliariorum: ſed eos ſequuntur & captant, qui ſuauiores facilioreſque exhibent: qui omnia concedunt, omnia condonant, omnia licere patiuntur. Auſteros obiurgatores oderunt, vera dicentes, niſi fucata ac minimè pungantia non ferunt. Hi iudices, hi magiſtratus: quibus crumenæ explendæ, potius quam Reipublicæ purgandæ cura ſit. *Argentum tuum*, inquit Pro *Eſa. 1.* pheta, *verſum eſt in ſcoriam: vinum tuum mixtum eſt aqua. Principes tui ſocij furum: omnes diligunt munera, ſequuntur retributionem.* Id ſcilicet mel eſt quod ſinapim debilitat, ac propemodum extinguit, quæſtus, commodi, compendij ratio. Eo reſpectu tanquam vinum aqua permixtum roboris habet nihil.

Tales

Tales eſſe principes conqueritur Propheta, quoſ munera captare intelligit, eos facile fures aut furum ſocios pronunciat. Nam de miniſtris Euangelij dolendum ſerio, quod applauſum humanum quærant, quod gloria vulgari capiantur, quod ſe totos palato hominum potentium accommodent,

Eſa.30. de quibus ſermo propheticus habet: *Filij mendaces, filij nolentes audire legem Dei: qui dicunt videntibus, nolite videre: & aſpicientibus nolite aſpicere nobis quæ recta ſunt: loquimini nobis placentia, videte nobis errores.* Næ iſti non ſinapim, ſed ſapam quærunt. At non ta-

2.Cor.2. lis Paulus, meram auſteramque ſinapim, vinum nequaquam dilutum, ſed meracum afferre ſe profitetur. *Non ſumus*, inquit, *ſicut plurimi cauponantes ſiue adulterantes verbum Dei: ſed ex ſynceritate coram Deo in Chriſto loquimur.* Tales verbi miniſtri compunctionem & lachrymas cient, qui non laudes auditorum, ſed emendationem amant, non præconijs eloquentiæ, ſed vitæ melioris mutatione delectantur,

Hieronym. ad Nepotianum. quibus illud denique Hieronymi, ſedet animo. *Lachrymæ auditorum, laudes tuæ ſint.*

IN EADEM DOMINICA,

CONCIO SECVNDA.

Simile eſt regnum cælorum fermento, quod acceptum mulier abſcondit in farina ſatis tribus, donec fermentatum eſt totum. Matt.13.

1. Eadem re diuerſa in ſcriptura ſignificari.

SACRAE ſcripturæ mos eſt, quemadmodum Auguſtinus rectè ſcripſit, vt res eadem, verbumque idem ſæpe varia imò contraria ſignificet, quod ex orationis curſu ac propoſito intuendum eſt: non enim ſemper ouis rem bonam, non ſemper ſerpens & leo

rem

rem malam notat. Sunt oues poſitæ in inferno: eſt contra ſerpens, cuius aſpectu ſalus recuperatur. Id alias ſæpe vſitatum, in præſenti Euangelica parabola cernimus maximè. Cum enim fermentum quod Auguſtinus animaduertit eodem loco, plerunque malum quid & fugiendum ſonet, hoc loco bonum atque expetendum perſpicuè declarat, cum fermento ſimile regnum cœlorum æquiparatur. Prauum illud ſane fermentum eſt quod Dominus ſuos vitari iuſſit. *Cauete*, inquit, *à fermento Phariſæorum, quod eſt hypocriſi*, hypocriſim Phariſaicam atque doctrinam illam fallacem: atque fucatam, ideò fermentum vocat, quod ſenſim attraheret ad ſe ſēſus moresque hominum. Facilis enim diſcitur fucus atque mendacium, & imbuitur homo arte fallendi, vt videri probus quam eſſe malit. Inde gloriā aucupans, hinc laborem defugiens. Paulus quoque de peruerſo morum fermento loquebatur, cum Corinthios admoneret: *Non epulemur in fermento malitiæ & nequitiæ, ſed in azymis ſinceritatis & veritatis*, fermento nequitiam ac malitiam eadem ratione qua Chriſtus appellans, illum ſimulationis habitū, ſpeciem honeſti habentem, virtutis penitus vacuum quod ſummoperè inficit & contaminat, vt dolo ac fraude plena ſunt omnia. Qua peſte redundant palatia, curiæ, comitatus Principum. Vtinam non in clauſtra etiam religioſa & collegia ſanctitatis irrepſerit. Vnde autem petenda ſit vocis cuiuſque ſignificatio, tradunt Patres. Neque enim natura rei inſpicienda eſt, ſed is ad quem accommodatur vſus. Ita leo Chriſtum aliquando, diabolum contra aliquando notat: in illo fortitudinem, in hoc crudelitatem indicans. Sol iuſtitiæ Chriſtus: Sol exurens Satana, carnis cupiditas. Aues cœli ſuperna petentes vel Angeli, vel viri ſpirituales: aues etiam cæli ſemina rapientes, dæmones. Quæ ratio interpre-

Aug. lib. 3. de doctrina Chriſt. c. 25.

Matth. 16.

1. Cor. 5.

interpretandi ſcripturas vſque eo probata eſt, v
interdum hiſtoria fœdæ ac turpes, myſterio
tineant res ſanctiſſimas atque pulcherrimas, qu
Gregor. admodum Gregorius Papa animaduertit, qu
amore Dauidis in Berſabee alienam coniug
Chriſti in Eccleſiam gentium gratiam adum
tam interpretatur. Quare mirandum minimè
ſi fermentum quod impurum quippiam & prau
plerumque notat, hodiè mirificis laudibus pr
quamur, tanquam rem expetendam præclaram
ſignificans.

2. Fermento notari mirabile Euangelij incrementum.

Eſt autem parabolæ huius ratio ac ſententia
dem ferè, quæ proximè à Chriſto allata de granc
napis. Vt enim ſinapi cùm ſit granum minutum
perexiguum, ſatum tamen ſurgit in arborem ſ
ſtabilem, ita fermentum modicum, magnam bre
maſſam farinæ immixtum efficit. Quibus verbis
ſtenditur, Euangelium tenui initio in maxima b
ui incrementa veniſſe. Rectè autem fermento co
paratam Euangelicam doctrinam Ambroſius d
Ambroſ. l. 7. in Luc. cap. 13. cet: *Bene,* inquit, *fermentum doctrina dicitur Chriſti, q
panis eſt Chriſtus: & Apoſtolus ait, quia vnus panis,
num corpus multi ſumus in Chriſto.* Itaque Chriſtus v
luti incorporatum Eccleſiæ Ambroſius ſentit, a
de multis in vnum coaluiſſe ac coagmentatum e
ſe regnum cœleſte: cuius propagationem fœcun
ditate mirabili Eccleſiæ, Eſaias eleganter deſcri
bit his verbis: *Leua in circuitu oculos tuos, omnes iſti q
congregati ſunt venerunt tibi, viuo enim ego dicit Domi-
nus, quia omnibus his velut ornamento veſtieris, & cir-
cundabis eos tibi quaſi ſponſa. Adhuc dicent in auribus tu
filij ſterilitatis tuæ, Anguſtus eſt mihi locus, fac ſpatium
mihi, vbi habitem. Et dices in corde tuo: quis genuit mihi
iſtos? ego ſterilis: & non pariens tranſmigrata & ca-
ptiua, & iſtos quis enutriuit? Ego deſtituta & ſola, & iſti
vbi hic erant?* Quorum verborum illa eſt ſententia,
quod

quod fideles ipſi vix oculis ſuis crederent; cùm à
paucis hominibus iiſque abiectis & rudibus, totum
pene orbem terrarum breui perſuaſum, mutatum,
fidei Chriſtianæ ſubiectum intuerentur. *Donec* Rom.10.
fermentatum, inquit, *eſt totum*. Etenim: *In omnem ter-* Pſal.18.
ram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eo- Actor.1.
rum. Quod prædixerat Chriſtus: *Eritis mihi teſtes vſ-* Matth.24.
que ad vltimum terræ. Et prædicabitur hoc Euangelium
in vniuerſo mundo.

Quoniam ergò fermentum patet eſſe Euange- 3. Magnã
licam doctrinam, fermenti naturam inueſtige- viuidamq;
mus, atque illius propria in Dei miniſtro quæra- eſſe vim
mus. Primum fermenti inſtar quicquid farinæ con- doctrinæ
tigerit, ad ſe attrahere, in ſe vertere Dei ſeruum o- Euãgelicę.
portet, vt omnibus impertiat vim ac vigorem ſuũ.
Eſt enim ea præcipua natura frumenti. Quarè ſi
Chriſti miniſter is ſit, quem eſſe oportet, vigens fi-
de & charitate, ſapientia præſtans, ad habitum con-
firmare ſuum cæteros debet. Quid enim Paulus a-
liud ſibi volebat, cùm ſcriberet? *Deo autem gratias,* 2. Cor.2.
qui ſemper triumphat nos in Chriſto Ieſu: & odorem noti-
tiæ ſuæ manifeſtat per nos in omni loco, quia Chriſti bonus
odor ſumus, alijs quidem odor vitæ in vitam, alijs autem
odor mortis in mortem. Et ad hæc quis tam idoneus?
Quocunque ſe vertat miniſter Chriſti, debet Chri-
ſti odorem offerre, Chriſti guſtum indere ijs, cum
quibus verſari contigerit. Penetrat ac peruadit
ſubito circumuicina loca excellens aliquod o-
doratumque vnguentum: domum totam illius E-
uangelicæ mulieris nardo perflatam narrat hi- Marc.14.
ſtoria ſacra. Talem ſe præbere conuenit Chriſti mi-
niſtrum, vt omnes Chriſtiana ſua ſapientia imbu-
at. omnes afficit. Vnus Paulus repleſſe ſe memorat
notitia Chriſti ab Hieruſalem per circuitum vſque Rom.15.
ad Illyricum. Vni Thomæ Apoſtolo India ceſſit,
vni Andreæ Achaia, Iacobo vni Hiſpania. Ibericam

Ciliciæ prouinciam maximã vnius anc
Sozomen. ſtianæ opera, Chriſti religionem ſuſcepi
lib.2.cap.6. Sozomenus atque Nicephorus Eccleſi.
& 7. rici. Habet præterea fermentum vim in
Niceph. lib. lem, vt rem animatam ac viuam creder
8.c.14. bullire, ac ſeſe commouere videatur. I
ſuapte natura, & attollitur, ac veluti g
parturit. Talis nempe eſt doctrina cæle
uangelica forma, quæ vitam quandam
atque alijs impertiri cupiat. *Vnius eſt eni*
Heb.5. lus, *ſermo Dei & efficax*. Qui penetret e
nimos, non aures tantum ſono inter
ſet. Quocirca animalia illa ſacra quæ vi
Ezech.1. Propheta, & ipſa ardebant, & viuas ign
tillas vndique vibrabant. Quanto verò
ripiat animum diuini vis verbi, que
ferueat intus, nec continere ſe poſſit, o
diſcipuli Amaon & Cleophas, vt etiam
Luc.24. memorat, inter ſe loquentes, *Nonne co*
dens erat in nobis, dum loqueretur nobis in v
ret Scripturas? Nihil profectò ſimile
humanam eloquentiam requiras: n
nihil Rhetorica, nihil Philoſophia
vigens, inuictumque præſtat: pictura
ni, & virtutis vacuo tumore delectat, &
ſtremò quicquid farinæ, fermento aſp
ſum tollitur. Quam rem diuini eſſe fe
priam, minimè me dicere eſt opus. A
cæleſtis doctrinæ fermento ſtatim an
lum tollitur, cæleſtia quærit: ac tanqu
tus ſuperno ſemine, ſuperna etiam par
amat, iſtis infimis teneri non patiatur
illud eſt, *Quæ ſurſum ſunt, ſapite, non qu*
Coloſſ.3. *quæ ſurſum ſunt quærite, vbi Chriſtus eſt v*
ducis periturisque bonis contemptis,
ſempiternaque mens diuinitus tacta ſu

Quod nimirum fermentum: *Mulier*, inquit, *accipiens abſcondit in farinæ ſatis tribus*. Tres menſuras proculdubio intelligit, tametſi quales quantæve extiterint, quoniam vox eſt Syriaca, illud ſatis difficile cognitu ſit: ſed tamen ad rem haud magnoperè neceſſarium. Porrò quænam ea mulier intelligatur, quæ item illæ menſuræ tres, varias varij ſcriptores diſputationes offerunt, pias quidem omnes & Chriſtianæ charitati conſentaneas. Bernardus Beatiſſimam Mariam eam mulierem interpretatur, quæ tres naturas, id eſt, Deum, animam, corpus, tãquam menſuras tres optima piſtrix commiſcuerit, vnde panem vitalem proferret. *Felix*, ait Bernardus, *benedicta in mulieribus, in cuius caſtris viſceribus ſuperueniente igne Spiritus ſancti coctus eſt panis iſte. Felix, inquam, mulier quæ in hæc tria ſata immiſit fidei ſuæ fermentum. Nec mireris quod fide eius mediante, vnitum dixerim verbum carni, quandoquidem & carnem ipſam de eius carne ſuſcepit*. Nec ſecus Petrus Chryſologus ſic ſcribens: *Maria huius fermenti implet typum, ſimilitudinem præfert, conſignat figuram, dum de ſupernis ſuſcipit fermentum Verbi, & humanam in alueo Virginis, imò in alueo Virginis cæleſtem totam conſperſit in maſſam.* Sic beatus ille ludit. Ambroſius rem eandem pro grauitate ſua ſic explicat: *Bonis autoribus acquieſcimus, vt dicamus, quia Eccleſia renatum hominem, qui eſt in corpore, & anima, & ſpiritu, fermento ſanctificat ſpirituali. Cuius ſententiæ aſſertorem habemus Paulum Apoſtolum dicentem: Ipſe autem Dominus ſanctificet vos per omnia, vt integer ſpiritus veſter, & anima & corpus ſine querela in die Domini noſtri Ieſu Chriſti ſeruetur*. Ambroſij interpretationem etiam ſequuntur Hieronymus & Theophylactus, niſi quod Eccleſiæ Ambroſius, animæ cuiuſque fidelis officium, hi mulieres tribuunt. Sed menſuras eaſdem agnoſcunt tres, quas Paulus memorauit, ſpiritum, animam, corpus. At

4. Quæ ſit mulier, quæ menſuræ tres farinæ.

Bern. lib. 5. de conſider.

Bern. ſer. 2. in nat. Domini.

Chryſolog. ſerm. 99.

Ambroſ. li. 7. in Luc. in c. 13.

1. Theſſ. 5.

Hieron. in expoſ. Euangel.

Theophyl. in exp. Euã.

Aug. lib. 1. de quæſt. Euág. c. 12. Augſtinus mulierem vult diuinam eſſe ſapientiam: tres autem menſuras tria genera hominum in Daniele, Noe, & Iob notata propheticis literis. Alij tres menſuras accipiunt, tres orbis partes, Europam, Aſiam, Africam, quibus Euangelicum fermentum immiſſum maſſam vniuerſi traxit ad ſe. Piæ ſane interpretationes, vt ante iam dixi, omnes hæ: quibus vt quemque iuuerit, vti licebit.

5. Quod niſi cautè cuſtodiatur fermẽtum, facile euaneſcat. Sed illud interim quæri libet ac deplorare, quod cum officio fermenti fungamur tam multi præcones Euangelici, omnino parum vixque promoueamus. Exiguum plane fermentum multam maſſam afficit: nos verò cum ſimus permulti, vix exiguum aliquid perficimus. Quid rei eſſe putatis? An euanuit iam vis illa ac natura fermenti? Verbi, inquam diuini potentia num debilitata iam extinctaque eſt? Sed natura quidem fermenti eadem eſt, at conditio piſtorum & induſtria nunc longè alia. Vult profectò fermentum maximè conſeruari: ab externis aeris iniurijs ſummoperè oportet eſſe tectum atque munitum. Sin minus vigor ille omnis natiuus paulatim debilitatur, ac denique euaneſcit. No verò facile ad externa & vana diffluimus: nequaquam cordis ſecreta ſeruamus, vbi Dei ſpiritus munitus & tectus. Itaque non modo farinam nc attrahimus & ferueſcere cogimus vi ac virtute nostra, ſed etiam ipſi quod dolendum vehementer e fermenti naturam exuimus, in farinam vilem diſſolutam facile vertimur. Quemadmodum an

Pſal. 105. quos Iſraelitas deplorat Pſalmus. *Commixti ſunt inter gentes, & didicerunt opera eorum, & factum eſt ſcandalum*: Quos oporteret de ſecularibus, audito noſtros facere religioſos, contra nos de religio

1. Cor. 9. fieri ſeculares cernimus. Quamobrem Paulus ſe: *Caſtigo*, inquit, *corpus meum, & in ſeruitutem r*

g

go: ne cum alijs prædicauero, ipſe reprobus efficiar. Omninò qui diſciplinam in ſe minimè conſeruat, eum tametſi alijs prodeſſe curet, deteriorem reddi neceſſe eſt. Itaque Timotheum idem Apoſtolus ſerio admonet: *Attende tibi & doctrinæ: inſta in illis:* 1.Tim.4. *hoc enim faciens & teipſum ſaluum facies, & eos qui te audiunt.*

Enimuerò in omni congregatione & cœtu hominum, licet reperire vtrumque fermentum, & bonum inquam, & prauum. Sunt qui ſtudio virtutis eluceant, ſunt qui vitijs teneantur. Sunt prorſus quidam conſuetudine ſua atque ipſo victu cæteros inquinantes, qui ſuperbiam, qui audaciam, qui turpitudinem, qui furorem aſpergant. Vnus iſtorum integrum collegium corrumpere & contaminare queat. Quare ſi in eiuſmodi quenquam incideritis, auertite, vitate, fugite, tanquam labem ac peſtem. Neque ob id bonorum ſocietas deſerenda, quod improbi intermixti ſint: ſed improbi ipſi euitandi, ſi ſanari non poſſe videantur. De qua re Baſilium magnum audire iuuat ita præcipientem: *Si quis improbos quoſdam reperiri inter fratres dicat, qui honeſtatem ac diſciplinam negligant, ac propterea huiuſcemodi hominum ſocietatem relinqui oportere, nequaquam is idoneam recedendi cauſam commentus eſt. Siquidem neque Petrus, neque Andreas, neque Ioannes propter Iudæ improbitatem à reliquorum Apoſtolorum choro ſe ſubmouerunt. Neque vlla in re vitijs illius quiſquam Apoſtolorum retardatus eſt, ſed relicta potius illius peruerſitate, dominicæ diſciplinæ virtutem magno ſtudio ſectabantur.* Ergo non corpore, ſed imitatione deſerendus eſt improbus. quem habes contubernalem. Quod ſi facultas ſit expellendi peſtiferum, præpoſiti pluribus conſulant, vno ſublato In eo genere Paulus admonet: *Neſcitis quoniam modicum fermentum totã maſſã*

6. Fermentũ nequitiæ in omni cõgregatione fugiendum.

Baſilius in monaſticis conſtit.c.22.

1.Cor.5.

corrumpit? auferte malum ex vobis ipſis. Quod ſi li
nacti eſtis, liberorum ſaluti conſulite: ſod
improborum depellite: ſcortatores, aleatores,
ledicos, ſcurras, helluones, procul iubete abire
ros & innoxios mores facile perdent eiuſmo
ſtes. Bene Sapiens conſulit, *Attende tibi à peſtife*
Ezech. 11. *ſcintilla vna,* inquit, *augetur ignis*. Et Salomon. *H*
Prouer. 29. *nes peſtilentes diſſipant ciuitatum.* Denique: *Amicu*
torum, ait idem, *ſimilis eis efficietur. Et qui cum ſap*
Prouer. 13. *bus graditur ſapiens erit.*

IN DOMINICA IN SE TVAGESIMA, CONCIO Prima.

Simile eſt regnum cælorum homini patrifa lias, qui exijt primo mane conducere op rios in vineam ſuam. Matth. 20.

1. Parabolas Euāgelicas & multis pauca, & paucis multa complecti.

INTER omnes parabolas,
bus Saluator noſter vſus eſt
rimis, ea quam ex Matthæo h
audiuimus, maximè inſignis
ſanctorum Patrum comment
nibus illuſtrata plurimum, tum Eccleſiæ auc
te celeberrimo tempore Septuageſimæ, tanc
in primo aditu ipſiſque foribus pœnitenti
ſanctitatis propoſita. De qua parabola ſic ſcri
Orig. hom. 10 in diuerſos locos Matth. reliquit Origenes: *Scire autem debemus quod ſi pa*
la Ieſu, in quo theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſc
ſunt diſcuſſa fuerit, tanta dogmata in myſterio a
dita inueniuntur ab his, qui poſſunt talia inuenire,
ximè de iſta parabola dicat Saluator. Aperiam in p
bolis os meum, loquar propoſitiones ab initio, & e
bo abſcondita à conſtitutione mundi. Sed quo

ſta

ſtantior vberiorque parabola eſt de operarijs in vineam miſſis, eo plane & ad intelligendum obſcurior, & ad explicandum difficilior. Itaque vix alias aut plures, aut magis inter ſe diſcrepantes interpretandi rationes inuenias: ac quo tandem pertineat parabola, ægrè omnibus expenſis conſtituas. Igitur illud in primis tenendum eſt, parabolas Euangelicas, & multis pauca, & paucis ſolere multa complecti: quod videtur quidem eſſe repugnans, & eſt tamen certum & conſtans. Nam ſi primarius ac præcipuus ſcopus attendatur, in quem tendit parabola, ſine dubio eſt vna quædam ſententia quæ totius parabolæ tanquam concluſio eſt. Quale eſt pronuntiatum illud, *Qui ſe exaltat humiliabitur, & qui ſe humiliat exaltabitur.* Luc. 18. Quod ex Phariſæi & Publicani oratione concluditur. *Sic & Pater meus cæleſtis faciet vobis, ſi non remiſeritis vnuſquiſque fratri ſuo de cordibus veſtris.* Matth. 18. Quod ſerui denarios paucos à collega durè ac crudeliter exigentis ſupplicio demonſtratur. Atque ad eundem modum in cæteris oportet inſtitutum Domini cognoſcere, cui demonſtrando parabolam inducat. Cætera verò quæ in narratione parabolæ inſeruntur, non admodum opus eſt cuncta rimari, dummodo ſcopus teneatur, vt in parabola decem virginum egredientium obuiam ſponſo, ſumma eſt illa, oportere nos eſſe paratos, quod neſciamus diem neque horam. Matth. 25. Eò omnia pertinent, quæ de ſomno & excitatione intempeſtiua virginum afferuntur. Cur verò decem dicantur, cur pares fatuis prudentes numero, cur media nocte aduentus ſponſi, quonam pergant fatuæ vt comparent oleum, cæteraque ſimilia diſquirere, non facit ad parabolæ propriam intelligentiam, quam propterea dixi multis pauca complecti. Sunt enim pleraque narrationis gratia inducta. Eam regulam parabolis explicandis Baſilius ſtatuit his

verbis: *Sane quæ afferuntur ſimilitudines, neququam omnino ſingulis earum rerum, ad quas allatæ ſunt, pa bus reſpondent. Sed illud agunt, vt mentem ad id, de agitur, argumentum dirigant.* Quod ſane Baſilij pı ceptum Chryſoſtomus non ſemel parabolis exp candis commendat. *In parabolis,* inquir, *non opor nimia in ſingulis verbis cura perangi. Sed cum quid paral lam intendat didicerimus, inde vtilitate collecta, nihil v terius anxio eſt conatu inueſtigandum.* At eſt etiam ali diuinarum parabolarum vſus, vt non ſolum vna i la ſententia intelligatur, quam præcipuæ intend parabola, ſed obiter parabolæ partes enucleant inueniamus, quas res quibus vocibus ſignificaı voluerit parabolæ narrator Chriſtus. Neque enin dubium eſſe poteſt, quin diuina illa ſapientia ſi mul rem præcipuam quam vult, efficiat, ſimul in telligentias multas atque præclaras parabolarum ſuarum ſinibus intimiſque receſſibus includat. quas latebras perſcrutari & ſanctis Patribus vſitatum eſt, & ad innumerabiles intelligentiæ commoditates idoneum. Ideo dixi ac merito dixi, parabolas ſolere paucis multa complecti. Patet enim ampliſſimus campus intelligentiæ mirabilis, vocum propemodum ſingularum ſignificationibus enucleandis. Quæ fuit non extrema ratio, quare Chriſtus tam frequens docendi parabolis fuerit. Id verò & magni eſſe laboris & ſingularis Dei gratiæ Auguſtinus docet his verbis. *Quis audeat velut manifeſtas legendo percurrere parabolas & propoſitiones, quæ nominibus ſuis indicant altius perſcrutari oportere? In parabolis enim quæ dicuntur, rerum ſimilitudines rebus de quibus agitur comparantur. Quis non his auditis vigilantiam mentis intendat, vt ad eorum fructum intelligendo perueniat.* Et in eodem Pſalmo: *Vtinam qui dixit, aperiam in parabolis os meum, etiam intellectum noſtrum in eas aperire dignetur. Si enim*

Baſil. in regulis breuioribus reſponſione, 254.

Chryſ. homil. 65. in Matth. Idem docet hom. 48. in Matthæum.

Nō eſſe ſingula verba parabolarum exponenda.

Aug. ſuper Pſalm 77.

nõn aperiret ipſas parabolas, non hîc æſtuaremus. Nunc vero ita obtecta & clauſa ſunt omnia, vt etiam ſi ad aliquid ipſo adiuuante, vnde ſalubriter paſcamur, peruenire poſſimus, in ſudore tamen vultus noſtri edamus panem, & pœnam diffinitionis antiquæ non corporis tantum, ſed & cordis labore pendamus. Vſque adeo Auguſtinus difficilem operam ſentit ſingulas partes parabolarum explicandi: ſed tamen fructuoſam & Dei munere conceſſam cenſet. Atque eſſe hunc legitimum minimeque ſuperuacaneum parabolas tractandi exponendique vſum, non modo Patrum omnium ſententia documentoque perſpicitur, ſed etiam ipſius Chriſti optimi ſuarum parabolarum interpretis exemplo liquet. Cum enim parabolas quaſdam ſuas rogatus Apoſtolis explicuerit, non eſt contentus ſummam rei indicare, ſed etiam parabolæ partes, ac ſingulas pene voces quid ſibi vellent, expoſuit. Etenim de zizaniorum para- *Matth.* 13. bola interrogatus, minutè atque enucleatè dixit, *Luc.* 8. quid eſſet ſemen bonum, quis ager, quid zizania, quis inimicus homo, quæ meſſis, qui meſſores. Atque in alia parabola eius qui exijt ſeminare ſemen ſuum, poterat ſatisfacere ſummam eam docendo, quod plurimi auditores fructum ex diuino verbo non referrent, pauci tandem ad cumulum peruenirent: tamen ſingulas partes perſecutus maluit demonſtrare, quid ſemen eſſet, quæ aues rapientes ſemen, quæ terra petroſa ac tenuis, quæ impedimenta veprium ac ſpinarum. Ex quarum rerum notionibus magnas ac mirabiles ſapientiæ cæleſtis opes eruere licet. Ergo quod initio dixi, veriſſimum eſt, atque Euangelica maieſtate digniſſimum, Chriſti parabolas non minus paucis multa docere, quam multis pauca tradere.

Hæc generatim diſputata, deinceps ad rem de qua

2.Parabolæ ſcopum eſſe, Dei gratiam oſtendere, qua inferiores, ijs qui de ſuis meritis præſumũt, anteponũtur.

qua nunc agimus perducenda ſunt. Præcipuum h
diernæ parabolæ inſtitutum illud eſt, vt diui
gratiæ maieſtas intelligatur Prædicatur enim ſu
mi Patris benignitas ac liberalitas magna in qu
dam electos, ſine vlla iniuſtitia in cæteros. Ita
cum omnibus iuſtus ſit, non omnibus tamen
æquè munificus, ſed nonnullos muneribus gra
præ alijs extollit, eos præſertim, qui de ſuis mer
minimè præſumunt, quoſque opinio homin
inferiores putat. Itaque parabola hæc, mea quid
ſententia, præcipuè texitur de ijs, qui ad regnum
leſte vocati ſunt, & tamen diuino munere non
què potiuntur Nam cum de ijs qui Euangelicę
fectionis ſublimiorem gradum tenent, diſſeruiſ
Matth. 19. ſubiecit: *Multi autem erunt primi nouiſſimi, & noui*
primi Cui ſententiæ mirabili demonſtrandæ in
cta eſt ſtatim parabola hodierna. *Simile enim eſt*
gnum cælorum homini patrifamilias: & cætera. Cui
tio reſpondet exitus idem. *Sic erunt nouiſſimi prim*
primi nouiſſimi. Multi enim ſunt vocati, pauci verò el
Tanquam dicat, Quemadmodum audiſtis Patr
familias omnibus quidem iuſtam mercedem
didiſſe operarijs: ſed tamen liberalitate ſua eos
tuliſſe qui videbantur extremi, quibus & prius
tum eſt, & amplius quam ipſi ſperabant præmi
ita profectò inter ipſos fideles gratia in quibuſ
præ alijs elucebit, qui & exiſtimatione ſua &
nione hominum abiectiores erant, cum nemin
men Deus faciat iniuriam. Sunt enim multi ve
ad communem ſalutem, pauci verò ad peculia
atque inſigniorem gradum gratiæ electi. Quæ
doctrina Euangelica mirificè valet, primùm a
luſtrandam Dei gratiam, & illam munificen
extollendam. Hoc enim eſt quod Paterfam
prædicat: *An non licet mihi quod volo facere? volo*
nouiſſimo dare ſicut & tibi. Valet prætereà ad hu

t

tatem commendandam, & ſpeciem fiduciamque omnem, non tam in noſtris laboribus ac meritis, quam in Dei benignitate ac miſericordia collocandam. Ita enim videmus vltimos eſſe prælatos, qui de ſe ſcilicet demiſsè ſentiebant. Qui erant opinione hominum inferiores, hi nihil pacti ſunt de pretio, ſed vocati in vineam ierunt, quacunque mercede contenti. Quod potuerunt laborauerunt: ſed neque laboris pretium petierunt, neque quicquam oblocuti ſunt. Quorum voces nullæ, opera qualis contigit præmium humilitate & ſilentio & obedientia ampliſſimum retulerunt. Quæ omnia ſapienter expendit ſanctus Gregorius Theologus ita hanc parabolam tractans: *Tametſi quantum ad laboris modum plus contenderint, qui in vineam priores ingreſſi ſunt, non tamen ad animi liberæque voluntatis modum. Illi enim non prius crediderunt, & ingreſſi ſunt, quam ipſis eſſet merces conuentione conſtituta: hi nulla condicta mercede ad laborem acceſſerunt, quod quidem maioris fidei argumentum eſt. Ad hæc illi queruli, inuidi, ac murmuratores inuenti ſunt: his nihil tale obijcitur. Tum etiam illis mercedis rationem habebat, quod donabatur: his gratiæ.* Valet igitur etiam parabolæ intelligentia ad contundendam hominum vanam de ſe fiduciam, ſuperbiamque frænandam eorum, qui & merita ſua extollunt, & alios contemnunt præ ſe, & cum Deo ipſo diſputare diſceptareque audent. Quibus dicitur: *Amice non facio tibi iniuriam, an oculus tuus nequam eſt?* ex ſuperbia enim inuidia oritur. *Deus verò ſuperbis reſiſtit: humilibus autem dat gratiam.* Atque huius quidem parabolæ argumentum verſare mihi videtur Apoſtolus, cum gloriationem Iudæorum refellit, & ſuperbam aduerſus gentes contentionem vituperat, quod factis ſuis niterentur ac fiderent, plus quam gratiç Dei. Cum enim de vocatione gentium ex diuinis literis diſputaſſet, atque oſtendiſſet non

Greg. Naz. in oratione in ſanctum baptiſma.

Iacob. 4.

ſolum

ſolum ad eiuſdem Dei cognitionem & ob
quium vna cum Iudæis fuiſſe aggregatas, veru
etiam Dei ſingulari & eximio beneficio ijſd
ipſis Iudæis prælatas, cauſas huius admirandi c
Rom. 9. ſilij pergit quærere, atque ita pronuntiat: *Quid*
go dicemus? Quod gentes, quæ non ſectabantur iuſtiti
apprehenderunt iuſtitiam: iuſtitiam autem quæ ex
de eſt. Iſrael verò ſectando legem iuſtitiæ, in legem
ſtitiæ non peruenit. Quare? quia non ex fide, ſed q
ex operibus. Videtis plane eò ſummam rei perd
ctam, vt electionis Gentilis populi præ Iudaico
ratio demum aſſignetur à Paulo, quòd Iudæi
ctis & obſeruationibus legis nimium fiderent, ge
tes beneficium Dei, nullius boni ſibi conſciæ, b
nitati ac miſericordiæ totum tribuerent? Qua
Hilarius in expoſit. Euangel. obrem Hilarius ac Hieronymus parabolam m
ximè de inuidia Iudæorum in gentium popul
interpretantur: *Vnde Saluator*, ait Hieronymu
concludens parabolam. Erunt, inquit, *nouiſſimi prim*
& primi nouiſſimi. Quod Iudæi de capite vertantur
caudam, & nos de cauda muteniur in caput. Hæc i
tur quærela ad Iudæorum aduerſus gentes: *Hi*
uiſſimi vna hora laborauerunt: & pares illos nobis feciſ
qui portauimus pondus diei & æſtus? Reſponſio ve
Patrisfamilias an non æquitatis plena vobis vid
tur? *Amice, non facio tibi iniuriam, tolle quod tuum eſt*
vade. An non licet mihi quod volo facere? an oculus tu
nequam eſt, quia ego bonus ſum? Quæ verba ſatis decl
rant inuidiam Iudæorum iniquam, quod Dei gr
tia in gentes manaſſet nequaquam inferior. Itaqu
cernere eſt pactum cum populo Iudaico, qui pri
vocatus eſt, ad obſequium Dei, initium nec viol
tum, quod Chriſtus in ſalutem ipſorum ventur
eſſet: qui veluti denarius & merces promiſſa vn
uerſi laboris legalis, perſolutus eſt etiam Iudæi
Sed tamen gentes quæ ſunt poſteriores vocatæ, n
qu

quę vllo pacto interpoſito, Euangelicæ gratiæ conſortes ſunt factæ, prius denarium accipiunt, quod bonis Euangelicis & Chriſti ſalute prius fruuntur. Cæcitas ex parte contigit in Iſrael, donec plenitudo gentium intraret, & ſic omnis Iſrael ſaluus fieret, ait Scriptura. Cæterùm parabola non his finibus concluditur, diſceptationis Iudæorum & gentium, ſed latius patet, atque inter ipſos fideles populi Iudaici intelligi vult, eos diuino beneficio priores partes ferre, qui ſunt opinione hominum poſteriores. Qui enim de ſua iuſtitia præſumunt, quales Phariſæi & Scribæ, illis poſthabentur diuino conſilio atque electione, qui ſe, peccatores agnoſcentes, totos ad diuinæ miſericordiæ præſidia conferunt: quales fuiſſe conſtat multos Publicanos & meretrices, qui Chriſti ſunt clementia conſeruati. Quamobrem ſuperbiam Phariſæorum Chriſtus comprimere volens aiebat: *Amen dico vobis, quia Publicani & meretrices præcedent vos in regno Dei.* Neque inter Iudæorum & gentium populum modo, aut etiam inter Iudæos ipſos parabola oſtendit de poſterioribus priores fieri, & quod Scriptura habet, caudam in caput verti, caput in caudam, ſed illud ipſum accidere poſſe monet inter ipſos Eccleſiæ Chriſti operarios, atque eos præſertim, qui Euangelicam perfectionem inſtituto ſanctiori profitentur, de quibus parabolam declarat magnus Baſilius, nempe de ijs quibus centuplum pro rebus dimiſſis in hoc ſeculo, & vita æterna promiſſa eſt. Idcirco enim vbi eorum præmia dixiſſet, qui omnia pro Chriſto ſequendo relinquunt, quibus viciſſim promittit centuplum nunc, mox vitam æternam adiungit è veſtigio apud Matthæum, *Multi autem erunt primi nouiſſimi, & nouiſſimi primi.* Quam ſententiam liquet cum ſuperioribus eſſe contextam atque ad idem pertinere. Cui qui-

Rom. 11. *Matth. 21.* *Deut. 28.* *Baſilius in regulis breuioribus interrog. 256.* *Matth. 19.*

quidem ſententiæ declarandæ ac probandæ i
cta eſt continuò parabola, eandem tandem c
gens atque definiens. Quare futurum fine d
eſt, (quod nos attendere magnopere oporte
pleriqueeorum, qui in Eccleſia videntur poti
partes tenere, quique rerum geſtarum magnit
ne ac multitudine præſtant, inferiores diuino i
cio relinquendi ſint ijs, quos nequaquam ſple
dos aut ſanctitatis opinione excellentes cerni
Quam rem ſapienter expendens beatus ille Cl
pauper Franciſcus dicere ſolebat, in die iudic
lud mirabile euenturum, vt magni Paſtores ac
dicatores idiotis & otioſis & abiectis cedere c
rentur, ad hunc modum interpretans illum
1.Reg.2. ſum, *Donec ſterilis peperit plurimos: & quæ multos*
bat filios infirmata eſt. Neque ea eſt Franciſci m
Matth.7. ſed etiam Chriſti ſententia: *Multi*, inquit, *dicent*
in illa die, Domine, Domine, nonne in nomine tuo prop
uimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in no
tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis,
nunquam noui vos: diſcedite à me qui operamini iniq
tem. Quem Domini ſermonem Lucas ex alia c
ſione commemorans, etiam hodiernæ paral
Luc. 13. clauſulam intulit, ita ſcribens. *Cum autem intra*
Paterfamilias & clauſerit oſtium, & incipietis foris
& pulſare oſtium, dicentes Domine aperi nobis: & re
dens dicet vobis, Neſcio vos vnde ſitis: Tunc incipiet
cere, Manducauimus coram te & bibimus, & in plate
ſtris docuiſti: Et dicet vobis, Neſcio vos vnde ſitis:
dite à me omnes operarij iniquitatis. Ibi erit fletus &
dor dentium: cum videritis Abraham & Iſaac, & I
& omnes Prophetas in regno Dei, vos autem expelli
Et venient ab Oriente & Occidente & Aquilone &
ſtro: & accumbent in regno Dei. Et ecce ſunt nouiſſim
erunt primi: & ſunt primi qui erunt nouiſſimi. Quæ
ſententia Saluatoris, quantum ſeries ipſa orati
d

docet, generalis eſt: ad Iudæos quidem peculiari ratione pertinens, quod Chriſtum non ſint ſecuti, ſed fideles tamen omnes admonens præferendos eos eſſe, qui non ſunt ſpecioſa Chriſti familiaritate contenti, ſed fidele obſequium obedientia atque humilitate præſtiterunt.

Igitur qui parabolæ celeberrimæ fructum capere vberrimum velit, attendat oportet, vt omnem à ſe ſui fiduciam excludat, meritorum ſuorum nequaquam laude capiatur, laborem, induſtriam, operam ſuam omnem pro nihilo ducat. Nihil enim humana omnia eſſe conſtat, ſi diuinæ gratiæ ope deſtituantur. Quamobrem egregius Chriſti vineæ operarius Paulus dicebat: *Nouiſſimè omnium tanquam abortiuo viſus eſt & mihi. Ego enim ſum minimus Apoſtolorum, qui non ſum dignus vocari Apoſtolus, quoniam perſecutus ſum Eccleſiam Dei. Gratia autem Dei ſum, id quod ſum: & gratia eius in me vacua non fuit, ſed abundantius illis omnibus laboraui: non ego autem ſed gratia Dei mecum.* Hic iam cernitis quam diſtet tantus hic operarius ab illis operarijs, qui aduerſus Patremfamilias conqueruntur, qui labores ſuos magnificiunt, qui præferri ſibi vel potius æquari cæteros operarios, grauiter ac moleſtè ferunt. Noſter tamen tametſi ſe amplius præ omnibus laboraſſe non negat, tamen id non ſibi ſed gratiæ Dei tribuit. Itaque & laudem non ad ſe ſed ad Chriſti gratiam vult pertinere, & cæteros adeo non dolet ſibi æquari, vt ſe etiam omnium minimum ſentiat, ſe abortiuum, ſe indignum Apoſtolico nomine, ſe denique appellet Dei Eccleſiæ perſecutorem. Dici non poteſt quam ſit Deo humilitas chara, quam amet ac complectatur animum omni fiducia & exiſtimatione ſui vacuum: quam ſit illi contra grauis ſtulta ſuperbia hominum, quem ſtomachum moueat ſtolida factorum rerumque geſtarum iactatio. Auguſti-

3 Non noſtris meritis, ſed diuinæ gratiæ fidendum.

1. Cor. 15.

Aug. ſuper Pſalm. 93. ni eſt præclara ſententia. *Sic odit Deus ſuperbos, vt ei magis placeat humilitas in malis factis, quam ſuperbia in bonis factis.* Itaque operarius Chriſti debet nõn ſibi ſed Deo aſcribere quicquid laudis, quicquid gloriæ exiſtit. Quod ſi vocatus ſit prior alijs, idipſum debet reddere gratiorem. Eſt enim vocatio Dei gratia, quare maturata vocatio, amplior gratia. Præclarè id animaduertit Gregorius Nazianzenus, operariorum ſuperbam quærelam ſic retundens: *Greg. Naz. in orat. in ſanctum baptiſmum.* *Hoc ipſum impenſius laborare in vinea Chriſti, vberioris mercedis loco habendum eſſet, his quidem certè, qui animo ſunt non omnino liberali & ſordido.* Ne diuinæ igitur gratiæ ingratus, de cæleſti munere ſuperbiat, quod antiquior in Dei familia ſit, ob id enim & fidelior & gratior ſit neceſſe eſt. Iam verò ſi multam ſuam operam attendit, ſi diuturnos labores, ſi æſtum diei toleratum, ſi moleſtias, inquam in excolenda Chriſti vinea magnas ac multas deuoratas, conſideret porrò, quam Deus illius operi ac laborum omnium nihil indigeat, *Deus enim meus es tu,* inquit, *& bonorum meorum non eges.* *Pſalm. 15.* Qui potius idipſum præclarum eſt Dei donum pro D[illegible] cauſa perpeti iniuriam. *Vobis,* ait Paulus, *donatum eſt pro Chriſto non ſolum vt in eum credatis, ſed vt etiam pro illo patiamini.* *Philip. 1.* Denique exiguum munus men[illegible] humilis, Deus pluris facit, quam ampliſſimu[illegible] arrogantis. Itaque impletur Iſaiæ vaticinium, *Eſa. 29.* Libanus conuertatur in Charmel, & Charm[illegible] in ſaltum reputetur, ſiue quod apertius dicit ali[illegible] *Et erit deſertum in Charmel: & Charmel in Sal[illegible] reputabitur.* *Eſa. 32.* Quod ideo Propheta prædicit, q[illegible] pauperes ſint Chriſti gratia in diuites euaſuri, [illegible]uites contra pauperibus conceſſuri. Veræ e[illegible] diuitiæ ex Dei gratia, non ex noſtro labore [illegible] ueniunt. Humiles igitur in regno Dei prima[illegible] rent.

Ve[illegible]

Verumenimuerò non ea eſſe debet humilitas, quæ faciat otioſum, neque fides operibus vacua. Tenenda eſt via regia neque in dexteram declinandum neque in ſiniſtram. Neque cum Pelagio de proprijs meritis præſumendum, neque cum Luthero inani fiducia nitendum, ſola fide ſine operibus Deo placendi. Etenim operarios nouiſſimos etiam laboraſſe conſtat. Neque deſidiæ ſe dediſſe benignitate Patrisfamilias fretos. Sed illud eſt omni ex parte abſolutum atque perfectum, quod Chriſtus nos cohortatur. *Cum feceritis omnia quæ præcepta ſunt vobis, dicite, ſerui inutiles ſumus: quod debuimus facere fecimus.* Quæ verba Euangelica ſic enarrat Ambroſius: *Sequitur vt nemo in operibus glorietur. Sicut enim tu non ſolum non dicis ſeruo tuo, Recumbe, ſed exigis ab eo aliud miniſterium, & gratias ei non agis, ita nec in te patitur Dominus vnius eſſe vſum operis & laboris, quia dum viuimus debemus ſemper operari. Non te proferas, quia filius DEI diceris: agnoſcenda gratia, ſed non ignoranda natura. Neque te iactes ſi bene ſeruiſti, quod facere debuiſti. Vas gentium electus à Domino, non ſum dignus,* inquit, *vocari Apoſtolus, quia perſecutus ſum Eccleſiam Dei.* Itaque laborandum quidem eſt, ac ſtrenuè in opus incumbendum, nihilque remittendum de conatu ſummo, quo Dei vinea excolatur, & Chriſtiana res creſcat, ſed tamen laboris & operæ magnitudo non tanti fieri apud Deum intelligenda eſt, quanti cordis deuotio atque humilitas. Neque tam proprij laboris quam benignitatis diuinæ merces putanda. *Qui coronat,* inquit, *te in miſericordia & miſeratione.* Quæ cum ita ſint, parabolæ vtilitas illa potiſſima cenſenda eſt, vt vocationis diuinæ affecti beneficio fideles nos Chriſto præbeamus operarios, neque noſtro tamen labore induſtriaque nitamur, ſed illius potius benignitate, ac magnitudine,

4 Prætextu diuinæ gratiæ non eſſe de labore ceſſandum.

Luc. 17.

Ambroſ. lib. 8. in Luc. cap. 17.

Pſalm. 102.

Pſalm.118. qui poteſt de infimis facere ſummos, *qui ſuſcitat de*
2.Cor.3. *terra inopem, & de ſtercore erigit pauperem, vt collocet eum cum principibus.* Neque enim ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis quaſi ex nobis, ſed ſufficientia omnis ex Deo eſt, qui idoneos nos fecit miniſtros noui teſtamenti. Cui ſit honor & gloria nunc & in diem æternitatis, Amen.

IN EADEM DOMINICA,

CONCIO SECVNDA.

Simile eſt regnum cælorum homini patrifamilias, qui exÿt primo mane conducere operarios in vineam ſuam. Matth. 20.

1.Culturã vineæ Euangelicæ magnam diligentiam depoſcere.

MVLTAE ſunt res, ob quas vineæ ſimilitudinem ſacræ literæ regno cælorum accommodent: atque illa quidem perſpicua eſt, quod eſt, accuratè excoli vinea a met: quæ ſi benè culta ſit, peruti lis ac fructuoſa maximè poſſeſſi merito habeatur; ſin neglecta incultaque iace ſinatur, nihil ſit ea poſſeſſione inutilius deteriu que. Cæteræ poſſeſſiones agrorum obliuionis a negligentiæ nonnihil pati poſſe videantur, ſi p ſcua, ſi nemora, ſi vel oliueta etiam ſint: reddu certè ſi non adeò vberes, nonnullos certè do no fructus: at vinea ſi conuenienti opera de tuatur, nullo prorſus emolumento eſt: ne fe quidem materiam ſuppeditat. Poſtulat vineæ c ditio non ſolum operam, ſed ſolicitam ac n tam operam: qua in re oliuetum diſſimile eſt, q exiguo labore continetur. Atque id vtriuſque diſcrimen Poëta eximius eleganter expreſſit verſibus.

Digitized by Google

Bis vitibus ingruit vmbra: *Virgil. 2. Georgic.*
Bis ſegetem denſis obducunt ſentibus herbæ:
Durus vterque labor.

Et paucis interiectis:

Sollicitanda tamen tellus, puluiſque mouendus.
Et iam maturis metuendus Iupiter vuis.
Contra non vlla eſt oleis cultura, neque illæ,
Procuruam expectant falcem, raſtroſque tenaces,
Cum ſemel hæſerunt aruis, auraſque tulerunt.
Ipſa ſatis tellus.

Scriptura etiam ſacra atteſtatur negligentiam in vinea colenda maximè vituperandam. Quamobrem Salomon in negligentem agri vineæque cultorem merito inuehitur: *Per agrum,* inquit, *hominis* *Prou. 24.* *pigri tranſiui, & per vineam viri ſtulti: & ecce totum repleuerant vrticæ, & operuerant ſuperficiem eius ſpinæ, & maceria lapidum deſtructa erat.* Nam quod Cicero dixit. *Ager quamuis fertilis, ſine cultura fructuoſus eſſe non* *Tullius lib.* *poteſt.* eſt quidem in omni agricultura verum, ſed *2. Tuſcul.* nuſquam perinde cernitur atque in vinea. Atque id *quaeſtion.* quod de vinea dixi, ex vitis quoque natura perſpici manifeſtè poteſt. Quid enim vitis fructu pretioſius? quid dulcius? Vino nempe & Deum, & homines exhilarari non malè aliquis dixit. Vuam verò guſtando omnes probant: neque homines modo hanc appetunt, ſed aues quoque plurimæ, & beſtiæ: turdi, canes, vulpeculæ his fructibus inſidiantur, quod dulces guſtatu experiantur. Quam multa ex vna vite commoda proueniant, haud facile numeres. Cuius amplas etiam laudes perſequitur Diuus Ambro- *Ambroſ. lib.* ſius, quæ vitis ſi neglecta exareſcat, nullus prope- *3. Exam.* modum vſus ſit. Soli igni materiam non diutur *cap. 12.* nam præbeat. Id apud Ezechielem diſertè ſcriptum *Iudic. 9.* legimus: *Fili hominis, quid fiet de ligno vitis ex omnibus* *Ezech. 15.* *lignis nemorum, quæ ſunt inter ligna ſyluarum? Nunquid tolletur de ea lignum, vt fiat opus aut fabricabitur de ea*

paxillus, vt dependeat ab eo, quodcunque vas? Ecce igni datum eſt in eſcam. Quæ cum ita ſint, rectè animarum cultura ſpiritualis vineæ nomine demonſtratur, quod anima hominis virtute exculta nihil præſtantiùs, nihil cogitari poſſit vberius. Mens enim ſapientia & iuſtitia prædita, res eſt ipſo Deo digniſſima, Angelis par, cæteris rebus conditis certè ſuperior omnibus. Cuius fructus ſuauiſſimus, atque omni vino precioſior ſummoperè gratus ſuperis, Deum lætitia afficere iure cenſetur. Talis eſt nimitùm ſpiritus iuſtorum perfectorum, de quo Propheticum illud: *Et vir Iuda germen eius delectabile.* Quod ſi mens hominis negligentia torpet, ſi ſylueſcere vitijs ac tanquam vepribus horrida iacere permittatur, nihil eius mentis fructibus, id eſt, ſtudijs atque actibus vel inſulſius vel etiam acerbius. *En Fructus,* inquit, *illorum inutiles & acerbi ad manducandum & ad nihilum apti.* Tales eſſe ſylueſtres vuas noſtis, quæ dentes ipſos exacerbant, ac peſſimè offendunt. Vuam ergo acerbam ſcriptura vocat in[...] quam hominis mentem. Vt enim iuſtus Angeli par rebus omnibus maior, ita impius ipſis feris d[...]terior, diabolo comes, odio plurimo eſt Deo. *Od[...] inquam, eſt Deo impius, & impietas eius.* Quare cum vtramque partem tanta ſit vel damni vel emo[...]menti magnitudo, qui in excolenda vinea ſpiritu[...]li laborat, non ſegniter, non remiſsè laboret, [...]ceſſe eſt. Cuius ardentis ſtudij, ſolicitudinis in[...]ſtriæque pleni egregium documentum proponi[...] à Chriſto Domino is paterfamilias, qui vineæ colendæ ſtudio accenſus, ipſe primo manè ſurr[...]rit, ipſe forum petierit, operarios condux[...] que ſemel id, ſed bis & ter, ac ſæpius, denique [...]ties fuit opportunum, negotium geſſerit. Qua[...] gentia quid poteſt depingi præclariùs? quid ea[...] vehementiùs? Nempe quales ſe præbere de[...]

Eſa. 5. *Sapient. 4.* *Sapient. 14.*

coloni, diſcere abunde poſſunt, ſi officio velint ſatisfactum ſuo. Epiſcopi, inquam, presbyteri, cæteriq́ue Eccleſiæ Chriſti miniſtri quam ſedulitatem afferre debeant, iam cognoſcant, atque optimum operarium Auguſtinum grauiter ea de re diſſerentem audiant: *Ante omnia peto, vt cogitet religioſa prudentia tua, nihil eſſe in hac vita, & maximè hoc tempore faciliùs & lætiùs, & hominibus acceptabilius, Epiſcopi, aut presbyteri, aut diaconi officio, ſi perfunctiorè atque adulatoriè res agatur: ſed nihil eſſe apud Deum miſerius & triſtius & damnabilius. Item nihil eſſe in hac vita & maximè hoc tẽpore difficilius, laborioſius, periculoſius, Epiſcopi, aut presbyteri, aut diaconi officio, ſed apud Deũ nihil beatius, ſi eo modo militetur, quo noſter imperator iubet.* Hęc Aug. ſcripſit Valerio Epiſcopo, cũ adhuc presbyteri tantũ officio fungeretur, otium ſibi nonnullum flagitans, quo mẽtem lectione ſcripturarum ac meditatione excoleret atque inſtrueret. *Legendo, ait ipſe, plangendo & orando*: quo muneri ſuo ſatisfacere meliùs poſſit: *Auguſtin. ad Valerium, epiſtol. 148.*

Cum igitur Deus vineam tam charam habeat, & culturæ magnoperè indigentem gnauos quærit ac ſtrenuos colonos, operarios requirit diligentes, non loquaces paraſitos aut ſcuras. Forum circulatoribus, theatrum mimis, orcheſtra ſaltatoribus datur: at vinea non verboſos artifices, ſed laborioſos ac robuſtos operarios exigit. Talem inſtituebat Paulus Timotheum: *Solicite cura teipſum probabilem exhibere Deo, operarium inconfuſibilem, rectè tractantem verbum veritatis.* Opera igitur opus eſt: manus patet operarius, non linguam neceſſe eſt. Etenim *Regnum Dei,* ait ille idem, *non eſt in ſermone, ſed in virtute.* At quanti greges eorum, qui expectant, qui conduci in vineam concupiſcunt? Videas Romanam curiam feruere, atria pene omnia oppleri frequentia candidatorum, qui præſulatum, qui dignitatem Eccleſiaſticam, præbendam, beneficium, ambiunt: *2. In eos qui vineã Chriſti, nõ Chriſti, ſed ſui gratia ambiunt. 2. Timoth. 2. 1. Cor. 4.*

qui vacare primum quiduis horum acceperint, accurrunt, petunt, flagitant, omnibus modis, quibus licet, & quibus etiam non licet fortaſſis, extorquent. Quid collegia literaria quam plurima? quid academiæ: quid ipſæ curiæ principum. Nonne beatam putes Chriſti vineam, quæ à tot tamque ſedulis operarijs expetatur? Eſſet certè beata, ſi laborem & operam iſti cogitarent: at paſtum ſuum, imò delicias magis cogitant: in vinea Chriſti non quem illa ſit fructum ex ipſorum opere relatura, ſed quæ ipſi potius emolumenta percepturi inde, meditantur, de quibus dictum eſt illud. *Exiſtimantes quæſtum eſſe pietatem,* Nec non illud, *Exiſtimauerunt conuerſationem vitæ compoſitam ad lucrum.* Vtinam plerique non ij ſint, quibus illa vituperatio conueniat. *Huiuſmodi Chriſto Domino noſtro non ſeruiunt, ſed ſuo ventri.* Quod ſi quis excedere me opinatur, audiat Bernardum liberrimè ambitioſorum mores notantem: *Hi ſunt qui ſubeſſe non ſuſtinent, præeſſe non norunt, ſuperioribus infideles, inferioribus importabiles. Hi inuerecundi ad petendum, ad negandum frontoſi. Hi importuni vt accipiant, inquieti donec accipiant, ingrati vbi acceperunt. Docuerunt linguam ſuam grandia loqui, cum operetur exigua. Largiſſimi promiſſores, & parciſſimi exhibitores. Blandiſſimi adulatores & mordaciſſimi detractores. Simpliciſſimi diſſimulatores & maligniſſimi proditores.* Et idem ad eundem Papam Eugenium: *Hoc tibi perſuade, qui admittendi ſunt, difficile in curia poſſe probari: & ideò ſi fieri poteſt viros probatos oportere deligi non probandos. Curia bonos facilius recipere, magis quam facere conſueuit. Quod ſi plures in ea defeciſſe bonos, quam malos profeciſſe probauimus, querenda ſane, quibus nec defectus timeatur, nec profectus optetur, vtpote iam perfectis.* Hæc omnia Bernardus de ijs qui in curijs dignitates Eccleſiaſticas ambiunt. Quos oportet ſcire ad laborem operarios quæri, non ad im-

1. Timoth. 6. *Sapient. 15.* *Rom. 16.* *Bernard lib. 4. de conſiderat. ad Eugenium Papam.*

ad imperium. Non mittit Chriſtus in vineam ſuā, qui epulas & conuiuia adornent, qui choreas ducant, qui genio indulgeant, ſed qui operentur, qui laborent, qui ſudore ſuo terram imbuant, ad fertilem̄ reddant. Quod quidem officium qui non præſtat, impedimento magis eſt quam auxilio, damno, non emolumento rem afficit. Atque eo miſerior imfeliciorque vinea Chriſti, quo gregibus talium abūndat, neque enim iniuria prophetica voce Dominus queritur. *Paſtores multi demoliti ſunt vineam meam.*

Sed quoniam operarij mittuntur in vineam, operandi gratia, quid operentur, conuenit ſcire. Operarij plane in vinea opus eſt fodere. Non medio cre malum minæ propheticæ portendunt: *Et ponam vineam meam deſertam: non purgabitur, & non fodietur, & aſcendent vepres & ſpinæ*. Contra magnum ſe beneficium collaturum ficulneæ cultor vineæ ille Euangelicus exiſtimauit, qui conſeruatam volens, ita eſt depactus: *Domine dimitte illam & hoc anno, vſque dum fodiam circa illam, & mittam ſtercora*. Ergo hæc præcipua opera, hic labor, induſtria, fatigatio, hoc pene vniuerſum opus. Sed quam ob rem vineæ excolendæ terra defoditur? Nequaquam enim vacare conſideratione digna, res ea putanda eſt, vt philoſophari nos pigeat. Ergo ſicut ij tradunt, qui rem ruſticam optimè norunt, tres ob res terra foditur. Primum, inutilis vel potius noxia herba perimitur. Deinde terra ipſa aperitur, ac molleſcit, imbri ſubeundo, retinendoque aptior. Adhæc illud accedit, quod vitis ipſius radices, gleba foſſione aggerata à nimio vel frigore vel æſtu defenduntur: foſſione item aperiuntur: ne iniuria temporis pereat fructus illius. Talia in ſuis Georgicis Maronis præcepta agnoſcet, qui attentè legerit, atque inter alia illud:

3. Quid ſit fodere in vinea Domini.

Eſai. 5.

Luc. 13.

Virgil. 2. Georg.

Eſt etiam ille labor curandis vitibus alter.
Cui nunquam exhauſti ſatis eſt. Namque omne quotannis.
Terque quaterque ſolum ſcindendum, glebaque verſis.
Æternum frangenda videntibus,

Et illud:

Primus humum fodito, bis vitibus ingruit vmbra,
Bis ſegetem denſis obducant ſentibus herbæ.

Itaque fratres ſi vultis veros vineæ Chriſti operarios cognoſcere, in opus reſpicite: quem mentibus veſtris vſum afferant, cogitate. Si verbo Dei tanquã ligone alte iactato vtitur, atque intimas animi fibras penetrat, ſcitote eſſe legitimum ac probatum operarium. Tale enim eſt Dei verbum, vt conterat, vt penetret, vt euertat, neque glebam ſolum frandat quod Poeta dixit, ſed ipſas petras etiam diſcindat & ſoluat; quod Hieremias ait; *Nonne verba mea ſicut malleus conterens petras?* Tunc autem terra noſtra foditur diuino ligone, cum ſurſum deorſum cor vertitur, id eſt, quæ infra iacebant, eriguntur, quæ erant elata, ſubruuntur: ſtudia vanitatis trãſeunt in ſtudia veritatis. Id propriè fit compunctione cordis, quæ ex diuini verbi auditione ac meditatione excitatur. Ita Beatus Ambroſius foſſionẽ interpretatur. *Circunfodit*, inquit, *Deus vineam, quando exonerauit terrenarum mole curarum. Nihil enim magis mentem onerat, quam iſtius mundi ſolicitudo, & cupiditas vel pecuniæ vel potentiæ.* Egregium operarium Petrũ in opus incumbentem aſpicite: cuius oratione audita dura antea pectora concuſſa diſciſſaque ſunt: *His auditis*, inquit, *compuncti ſunt corde*. Vultis parem huic alterum verbo Dei laborantem videre, ſed in terræ ſorte aſpera & ſaxoſa? quid Lucas de diſputationibus Pauli cum iudice ſuo Felice narrat? *Diſputante*, inquit, *illo de iuſtitia & caſtitate, & de iudicio futuro,*

Hiere. 23.
Amb. li. 3. Exam. c. 12.
Actor. 2.
Actor. 23.

turo, tremefactus Felix. Vim Paulinæ diſputationis ſuſtinere non potuit: ceſſit inuitus, ſed infelix Felix, quia cultorem à ſe abalienauit, fructum tulit nullum. Denique diuinitus Hieremias Propheta munus id ſuum edocetur. *Miſi te, vt euellas, & plantes, vt diſſipes & ædifices.* Quare robuſtum eſſe oportet Dei operarium, atque ipſum ferramentum ſuum, quod debet terram fodere, id eſt diuinum verbum, bene paratum excultumque afferre, hoc eſt, vt lectione diuinorum librorum probè ac non ad ſpeciem tamen inſtruct⁹ ſit: Tum illa ſine dubio præſtabit mẽtibus, quæ ligonis operator terræ. Nam euellet profectò inutiles ac pernicioſas herbas vitiorum, prophetico oraculo edoctus, *Annuntia populo meo ſcelera eorum, & domui Iacob peccata eorum:* Id enim faciet ligone doctrinæ, iuxta Paulina præcepta. *Argue, obſecra, increpa, in omni patientia & doctrina.* Et rurſus: *Cum modeſtia corripientem eos, qui reſiſtunt veritati.* Neque enim cum iracundia & furore, aut cum libidine & ſuperbia id præſtandum, ſed in omni patientia & doctrina Iam terra ipſa quæ foditur, molleſcit etiam: & cor hominis diuinis præceptis & ſermonibus non ſolum cõteritur & cõcutitur, ſed etiã leniter & ſuauius fit, conſolationẽ laboribus, miſerijs remediũ inueniens. Itaq; redditur idonea mẽs auditoris cæleſtibus imbribus accipiendis beneficijs plane auxilijſque ſupernis etiã continendis, ne effluant: Sed quod Paulus ait, *Terra ſæpe venientem imbrem bibens, gerat opportuna his quibus colitur.* Poſtremò nihil eſt quod à tentationibus ita defendat ac muniat animũ ac verbum Dei multa cogitatione congeſtum: quo radices virtutum ſuſtentantur, atque ab iniurijs vel frigoris vel æſtus importuni, quæ ſunt huius vitæ res ſecundæ & aduerſæ, fortiter vindicentur. Talem ergo operarium rectè cum Paulo dixero inconfuſibilem, rectè tractantem verbum veritatis.

Hierem.1. *Eſai.58.* *2.Timot.4.* *2.Timot.2.* *Hebr.10.*

Qua-

4. In falſos & inutiles operarios. Quapropter cognoſcere oportet dignos ſuo nomine operarios, neque exiſtimare omnes, qui vineam Domini tractant eſſe tales. Sunt enim nugaces & inertes operarij, qui diem fabulis narrandis ducunt, qui rixas & contentiones ſerunt, ſunt qui humum non altè defodiunt, ſed ad ſpeciem tantum ſcalpunt, qui operari videntur, cum nihil ſuo labore proficiant. Sunt qui ad prandia & pocula celeriter occurrunt, ad operam pigri & deſides. Dici non poteſt vel quanti ſint fallacium operariorum in Chriſti vinea greges, & quantum ab ipſis Chriſtiana reſpublica detrimentum capiat. Paulus velut de ſpecula clamitat. *Videte canes, videte malos operarios, videte conciſionem.* quod de ijs loquitur, ſcilicet, qui lites & iurgia in Eccleſia ſerunt, & in commilitones ſuos arma vertunt, quæ ſunt in Chriſti hoſtes comparata. Illos idem deteſtatur, qui ſuo ventri ſeruiunt potius quam Chriſto, qui per dulces ſermones ſeducunt corda innocentium. Eos verò ferre non poteſt, qui loquaces cum ſint, ad verborum pompam omnia referunt, quorum ſe minatur operam non ſermonem cogniturum, quos alius Apoſtolus dicit: in auaritia fictis verbis de hominibus fidelibus negotiari. Verum cum tot exiſtant operariorum vitia, illi tamen præ omnibus odioſi habentur, dominosque rei ruſticæ ignaros maximè offendunt, qui ſuperficiem tantum ſcalpentes, non altè defoſſo ligone, labori fucum faciunt. Videntur enim aliquid agere, cum nihil agant: qua fraude culturæ detrimenti plurimum afferunt. Hos Paulus Apoſtolus operarios ſubdolos ſiue doloſos, falſoſque Apoſtolos appellat. Itaque pede collato cum iſtis dimicat, ac de ſe ita profitetur: *Et in omnibus ſine onere me vobis ſeruaui & ſeruabo. Eſt veritas Chriſti in me, quoniam hæc gloriatio non infringetur in me in regionibus Achaiæ Quod autem facio & faciam, vt amputem occaſio-*

Philip. 2. Rom. 16. 2. Cor. 4. 2. Pet. 2. 2. Cor. 11.

occaſionem eorum, vt in quo gloriantur, inueniantur ſicut & nos. His de ſe commemoratis, ſtatim gladium ſtringit in aduerſarios atque ita percutit. *Nam huiuſmodi pſeudoapoſtoli ſunt operarij ſubdoli, transfigurantes ſe in Apoſtolos Chriſti*. Qui ſermo Apoſtolicus tametſi in hæreticos præcipuè conueniat, qui volunt magiſtri veritatis haberi, cum ſint miniſtri mendacij, tamen ſuo etiam modo ad eos pertinere putandus eſt, qui lucrum crumenæ pluris faciunt quam ſalutem animarum. In hos Bernardus mordacius inuehitur, atque hos irridet his verbis: *optimi videlicet æſtimatores rerum, qui magnam de minimis, paruam aut nullam de maximis curam gerunt*. Sed vt liquido datur intelligi, patientius ferimus Chriſti iacturam quam noſtram. Quotidianas expenſas quotidiano reciprocamus ſcrutinio: & continua dominici gregis detrimenta neſcimus. De precio eſcarum, & numero panum, cum miniſtris quotidiana diſcuſſio eſt, rara admodum cum preſbyteris celebratur collatio de peccatis populorum. Cadit aſina, & eſt qui ſubleuet eam: perit anima, & nemo qui reputet. Tales plane ſubdolos operarios merito dixeris, qui non tam animarum ſalutem, quam rei familiaris acceſſionem cogitant: ad ſpeciem proinde & fucum rem Chriſtianam tractantes. Hi adulantur potius principibus, quam ab errore auertunt, & plauſum hominum gratiamque plus amant, quam vitæ perditæ correctionem. Siue confeſſiones peccatorum audiant, facile continent, ſiue conſilijs rempublicam gerant, placere, quam vera dicere malunt. Siue paſtores præſideſque Eccleſiæ ſint, nihil de ſeria ac ſeuera in perditos mores ac profligatos cenſura cogitant. Viſitationes diœceſeos inſtituunt belliſſimas: altari, & baptiſterio ac ſacriſtia viſitatis, concione vna memoriter vbiuis dicta, ſatis ſe munere ſuo functos putant. Interim concu-

Bernard. li. 4. de conſiderat. ad Eugenium.

concubinatus feruent, vſuræ, aleæ, petulantia ſumma clericorum: profanis omnia licent, pauperum cura nulla. Vineæ Chriſti egregij videlicet operarij quid non tam accurata opera perficiant? ô nos infelices qui tales ſumus nacti pleroſque operarios. Et verè, ſiquidē operarij pauci, paſtores qui ſemetipſos paſcant perquam multi. Reprehendit Hieronymus Epiſcopos qui indignos ordinant clericos, ex quorum ignorantia & vitijs omne damnū manare Eccleſiæ ſentit. Sed verba Hieronymi melius eſt ponere. *Non eſt enim peccatum leue mittere margaritas ante porcos, & dare ſanctum canibus, & ordinationem clericatus nequaquam ſanctis, & in lege Dei doctiſſimis, ſed affeclis ſuis tribuere, & vilium officiorum miniſtris, quodque his dedecoroſius eſt, muliercularum precibus. In quo conſideranda loquentis in Paulo Chriſti Apoſtoli ſapientia, qui vt ordinationis periculum demonſtraret, iunxit, tormenta peccatorum: Neque communicaueris peccatis alienis. Sicut in ordinationibus malorum particeps eſt peccatorum qui tales conſtituit, ſic in ordinatione ſanctorum, particeps eſt iuſtitiæ, qui bonos elegit.* Eiuſmodi igitur inepti miniſtri non ſunt operarij vocati à Chriſto in vineam. Itaque in eos vtpote fallaces fucatoſque operarios Propheta inuehitur: *Eo quod decerpſerint populum meum dicentes pax, pax, & non eſt pax, & ipſe ædificabat parietem: illi autem liniebant eum luto abſque paleis. Dic ad eos, qui liniunt abſque temperatura, quod caſurus ſit paries, erit enim imber inundans.* Quicquid ſit litus paries, ſi opus non hæret malè materiatum, neceſſe eſt cadat. Ipſaque ruina fallaciam artificis teſtetur. Igitur quæ non ſolida veritate nituntur, tametſi ſpecioſa ſint, & fictione delectent, longè grauius mentibus damnum dent oportet, quod alio loco amplius declarat idē Ezechiel. *Prophetæ liniebant eos abſque temperamento videntes vana, diuinantes mendacium. Væ,* inquit, *prophetis*

Hieron. lib 16 in Eſai. c. 58.

Ezech. 13.

Ezech. 22.
Ezech. 13.

phetis inſipientibus qui ſequuntur ſpiritum ſuum, & nihil vident. Quaſi vulpes in deſertis prophetæ tui Iſrael. Non aſcendiſtis ex aduerſo, neque oppoſuiſtis murum pro domo Iſrael, vt ſtaretis in prælio in die Domini. Qui laborem defugit, qui periculum auertit, haud quaquam operarius ac miniſter idóneus haberi debet.

Quare qui vineæ Domini vtilem operam impendere cupit, quo ſe vocatum diuinitus gratulatur, conditionis diligentis peritique operarij maximè obſeruet. Primum veſtimenta prolixa depo nat, vt impedimentis ſolutus libetius in opus incumbat. Quæ ſint veſtimenta ponenda ſcriptura docet: *Nemo militans Deo implicat ſe negotijs ſecularibus, vt ei placeat qui ſe probauit.* Item illud: *Vade vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni ſequere me.* Abiecit à ſe Dauid grauiora arma Saulis: *Non poſſum,* inquit, *ſic incedere.* Mundi curas, carniſque illecebras relinquat oportet, qui velit expeditus, vt par eſt opus Domini aggredi. Deinde operarius noſter ligonem ſuum bene concinnatum atque expolitū curet, ſine doctrina idonea opus Domini non decet aſſumere. *Oportet enim Epiſcopum eſſe doctorem,* & Angelum præſeferre ſacerdotem, à quo legis ſcientiam populus petat. Ne ſi ſcientiam ipſe repulerit, repellatur viciſſim ex prophetica voce, ne Dei ſacerdotio fungatur. Tum illud videndum, vt ferramentum manibus admoueatur operi faciundo, & quidem validè defigendum, ſi proficere cupiat, iuxta illud poeticum.

5. Quid operario Christi agendum.

2. Tim. 2.

Matth. 19.

1. Reg. 17.

1. Tim. 13.

Oſee. 4.

Cum bene iactati pulſarunt arua ligones.

Et quod alius melior Poeta dixit,

Et labefacta mouens robuſtus iugera foſſor.

Ouid. & Virgil.

Non oſtentandi ligonis humero, ſed manu vtraq; iactandi gloria cordi ſit. Rebus, inquam, & factis perficiat doctor Chriſtianus, quæ alijs præcepit, exemplo pluſquā ſermone nitatur: audiat Chriſtū. *Qui* Matth. 5.

fecerit

fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur. Audiat & Paulum *Nihil enim audeo loqui eorum quæ per me non efficit Chriſtus*: Eundem quoque Tito pręcipientem. *Exemplum præbe te ipſum bonorum operum.* Auguſtinum audiat bonus operarius & diligens & patiens ſic monentem: *In vinea operaris: fac opus tuum, & accipies mercedem tuam. Et iſta tolerantia ad opus tuum pertinet, & hoc ad mercedem pertinet. Minus vis facere in vinea, qui non vis tolerare, quia & ipſa tolerantia ad ipſam operationem pertinet, vt inuenias mercedem.* Qui ijs conditionibus vineam Chriſti excoluerit, & fructũ operæ ſuæ plurimum conſequetur, & laudem officij à Domino ex miam feret.

Tit. 2.

Auguſt. in Pſal. 93.

IN EADEM DOMINICA
CONCIO TERTIA.

Simile eſt regnum cœlorum homini patrifamilias, qui exijt primo mane conducere operarios in vineam ſuam. Matth. 20.

1. Prouidẽtiam Dei omnia curare etiam minima.

MVlta quidem præclaraque conſideranda parabola hodierna nobis offert: atque in primis Dei prouidentiam declarat erga res à ſe conditas admirabilem. Inducit enim Patrẽfamilias quendam admodum diligentem, induſtrium, ſedulum, nunquam à negotio gerendo ceſſantem. Iuſtum quoque eundem, ac fidelem, denique liberalem & ſplendidum narrat. Quæ in Deum omnia conuenire apprimè, nemo dubitaret. Ac ſolet alias deſcribi Deus ſimilis regi, aut homini diuiti, quo magnitudo potentiæ atque opum diuinarum melius intelligatur: nunc verò Patremfamilias ſimpliciter appellare maluit, curam prouidentiamque in res ſuas præcipuè oſtendere volens. Nam vel

à familia

à familia vel à re familiari curanda paterfamilias dictus eſſe videtur. Id certè intelligunt omnes, cum Patremfamilias cogitant, ſedulum ac ſolertem prouidumque eſſe oportere. Atque Ariſtoteles ſane ſummus Philoſophus Dei prouidentiam etiam Patrisfamilias ſimilitudine exponendam duxit in metaphyſicis ſuis; id quidem rectè: ſed illud falsò & ineptè, quod diuinam prouidentiam intra limites peranguſtos includendam putauit, quod iure in eo philoſopho reprehendunt Clemens Alexandrinus & Theodoretus Cyrenſis. Vt enim Patremfamilias non decere res perexiguas & viliſſimas, quæ domi geruntur cognoſcere omnes, quas vel mancipia vel beſtiæ agunt, ſed filiorum omnia, ac familiæ præcipua ſcire eſt ſatis; ſic Deum ſentit is philoſophus nequaquam minutiora naturæ ſcire opus eſſe, alienumque ab illa maieſtate parua hæc & abiecta curare. Itaque auſus eſt dicere. *Quanam melius eſſe nō videre, quam videre. Pari profectò errore atque eorum, quos ſcriptura commemorat, ita de Deo ſentiens. Circa cardines cæli perambulat, nec noſtra conſiderat.* Qui error abſurdiſſimus inde manauit, quod ſcientiam ac prouidentiam Dei more noſtro accepit, quaſi multitudine rerum obruatur, atque diducta cogitatione in plura, minus queat ſingula perſpicere: quod ſecus omnino eſt. Tanta enim illius mentis diuinæ altitudo eſt, vt neque maximis vrgeatur, neque minima aſpernetur: quam Dei præclaram noſtri ſapientes naturam cognoſcentes, longè de illa ſapientia ac prouidentia magnificentius pronuntiarunt. Dionyſius quidem Areopagita ſic: *Et procedit ad omnia tota intrinſecus manens.* Aurelius verò Auguſtinus ſic: *ô tu bone omnipotens, qui ſic curas vnum quemque noſtrum, tanquam ſolum cures, & ſic omnes tanquam ſingulos.* Nempe diuinæ literæ eam tradunt ſummi Patris prouidentiam in res etiam minutiſ

Ariſtot. 12. Metaph. cap. 10.

Ariſtot. 12. Metap. c. 9. Iob. 22.

Dionyſ. de diuinis nominib. c. 11. Aug. lib. 3. confeſ. c. 11.

ſimas acerrimam, quam nihil omnino prætereat, quæ omnibus adſit, quæ ſine ſuo præſcripto ne paſ-

Matth.10. ſerem quidem perire patiatur. *Nonne*, inquit, *duo paſſeres aſſe veneunt, & vnus ex illis non cadet ſuper terram ſine patre veſtro? Veſtri autem & capilli capitis omnes numerati ſunt*. Quam Seruatoris noſtri ſententiam

Tertull. in li. de exhortatione caſtitatis. Tertullianus refert his verbis: *ſine Domini voluntate nec folium de arbore labitur, nec paſſer aſſis vnius ad terram cadit*. Atque alius illo vetuſtior autor ſic ſcribit: *Cuius prouidentia non tantummodo ſigillatim per ſingulos homines cucurrit, aut currit, ſed etiam per totum orbem. Et ne quis non etiam ad minima quæcunque Dei putaret iſtam infatigabilem prouidentiam peruenire. Ex duobus, inquit Dominus, paſſeribus, vnus non cadet ſine patris voluntate. Sed & capilli capitis numerati ſunt*. Quid hac Chriſtiana philoſophia præclarius? quid Euangelica veritate ſublimius? quæ non modo humanam tenuitatem conſolatur atque erigit, Dei erga ſe beneuolentia curaque incredibili cognita, verumetiam diuinam maieſtatem illuſtrat & decorat, quæ capere tot tantaque nulla imminuta ſentiendi vi queat. *Et cum ſit vna*, ait Sapiens no-

Sapien 7. ſter, *omnia poteſt; & in ſe permanens, omnia innouat*. Nihil igitur de ſua quiete ſtatuque diuino declinat, quod res curet humanas omnes illa mens ſumma quæ minutos etiam paſſerculos cibo, vita, ope omni neceſſaria minimè præterit, vſque eo vt præter eius decretum ne vnus quidem turdus cadere poſſit.

2. Deum præuenire nos ad ſalutem noſtram. Hæc verò tanta noſtri Patrisfamilias vel cura vel diligentia proditur indicijs plurimis: quod ſummo mane euigilarit ac prodierit in quærendis operarijs: quod toties exierit, nullum idoneum tempus prætermittens: quod ſeros etiam atque exiguæ operæ laboratores minimè neglexerit. Ea verò omnia quo ſtudio obijt? vel mercede propoſita, vel

vel negotio commendato, vel etiam conuenienti reprehenſione otij adhibita. Quas huiuſce prouidentiæ cæleſtis partes exequi ac percurrere ſermone conuenit, quo melius diuinam in nos beneuolentiam prouidentiamque intelligamus. *Exijt primo mane*. Illud eſt primum. Vbi non abs re ſit vigilandi curam laudare, quæ maximè decet Patresfamilias, quos Ariſtoteles vult in ſuis Aeconomicis vltimos debere ire cubitum, primos ante omnem familiam lecto ſurgere. Contra quam mos habet propè omnium qui eò ſe dominos cæteris ſuperiores opinantur, ſi ſomno pro omnibus indulgeant. Eſt autem ſurgendi à ſomno mane, vt optimè monet ille Philoſophus, vtilitas plurima, tum ad ſanitatem corporis, tum ad negotiorum familiarium expeditionem: & quod caput eſt, ad philoſophica mentis ſtudia, Ariſtotelis verba ſunt hæc. *Expergiſci decet prius Dominum, quam ſeruum, & cubitum ire poſterius: neque vnquam incuſtoditam eſſe domum, quemadmodum nec vrbem, cum opus eſt neque die, neque noctu. Et ante lucem ſurgere, quod & ad ſanitatem & ad curam rei familiaris, & ad ſtudium Philoſophiæ prodeſt quam plurimum*. Nulla enim diei pars aptior optimis cogitationibus conſilijſque ſubeundis. Veſpaſianum Imperatorem hiſtorici perhibent ſolitum ſummo mane experrectum pleraſque Reipublicæ grauiores cauſas definire: magno compendio ad res omnes opportunè ac tranquillè conſtituendas. Sed morale ſit hoc illud myſticum ac parabolæ proprium: Deum primum ad homines venire, greſſus eius ad nos vocandos omnem noſtram operam antecedere. *Præoccupat enim*, vt ait Scriptura, *qui ſe concupiſcunt diuina ſapientia, vt illis ſe prior oſtendat: qui mane vigilauerit ad illam, non laborabit: aſſidentem enim foribus ſuis inueniet ſapientiam*. Quicquid nos vigilemus, priores certè partes in beneficio ſūt

Ariſt. lib. 1. Æconom. cap. 5.

Veſpaſian. in vita Veſpaſiani. cap. 21.

Sapien. 6. 1. Ioan. 4.

ſemper illius: quod Ioannes & agnoſcit & prædicat: *Non quaſi nos dilexerimus Deum: ſed quoniam ipſe prior dilexit nos*. Nam quæ ad naturam bona pertinent, ea ſine vllo quiſque merito ſuo nactus eſt, vt ſit, vt vniat, ſentiat, intelligentia vigeat, corpore integro, ſano, robuſto, mente acri, perſpicaci, prouida præditus. Quis enim vt hæc ſibi contingerent laborauit? *Quoniam ipſe*, ait Pſalmus, *fecit nos, & non ipſi nos*. Quæ verò ad gratiam Chriſtianam beneficia ſpectant, in ijs non minus cernitur Dei prouidentia omnem noſtrum actum, omne meritum anteuertens. Gratis enim iuſtificat Deus hominem, nullis meritis præcedentibus, primusque gradus ad iuſtitiam Dei motione ponitur. Itaque gratia ipſa iuſtificans à ſacris autoribus creatio quædam nominatur, tanquam ex nihilo noſtro, illud diuinũ fiat in nobis. Sic Paulus non ſemel nouam creaturam vocat. Sic Iacobus initium creaturæ eius. Atque idem Paulus rem totam explicat verbis præclaris: *Gratia ſalui facti eſtis per fidem: & hoc non ex vobis, Dei enim donum eſt, non ex operibus, vt ne quis glorietur. Ipſius enim ſumus factura, creati in Chriſto Ieſu, in operibus bonis quæ præparauit Deus vt in illis ambulemus.* Videtis quẽadmodum primas ac præcipuas partes ſanctificationis noſtræ Apoſtolus gratiæ ac dono Dei tribuat, vt ipſa etiã bona opera noſtra afferat diuinitus fuiſſe præparata & conſtituta: veſtigium verò ſalutis noſtræ primũ diuina benignitate eſſe poſitum. Cũ enim altè dormires homo peccatorum ſomno demerſus, euigilauit Deus, vt te excitaret ac vocaret ad ſe, rectè Paterfamilias noſter primo mane exiſſe narratur: cuius benignitati & clementiæ ſi non pares, ad quas licet gratias agere debent electi, ac dicere, *Domine præuenisti nos in benedictionibus dulcedinis*. Hanc verò diuinæ gratiæ præuentionem non ſolum in admonenda intelligentia cerni, ſed etiã in

excitanda

Pſal. 99. *2. Cor. 5.* *Galat. 6.* *Iacob. 1.* *Epheſ. 2.* *Pſal. 20.*

excitanda & mouenda voluntate declarat Diuus Cyrillus tractans illud, Apprehenderunt Angeli manum eius, & manum vxoris ac duarum filiarum eius, eo quod parceret Dominus Loth: *Manifeſto, inquit, argumento tibi hoc eſſe poteſt, non verbis ſolum incitari, & adhortationibus menti immiſſis, vt à peccato diſcedamus: ſed tanta benignitate erga nos ſeruatorem totius vniuerſi Deum vti, vt actu ipſo efficaciterque nobis auxilium præſtet, ſecundum quod ſcriptum eſt. Apprehendiſti manum dexteram meam, & in conſilio tuo deduxiſti me. Cum enim humana natura non ſatis valida eſt, neque per ſe ſufficit, vt malum effugere queat, vna quodammodo nobiſcum contendit Deus: duplicique beneficio afficere cognoſcitur, admonitionibus nimirum perſuadens, & ſubſidiū præſtans fortius, quamuis ab impediente aut imperato malo ſuperari poſſit.* Magna hæc & præclara tanti patris de gratia & efficaci promotione ſententia: vt Dei beneficio grati maximè ſimus.

Cyrill. lib. 1. de adoratione et cultu in ſpiritu & veritate.

Iā illa eadem Dei prouidentia diligens ac ſolicita oſtenditur, quod non cunctetur primo mane quæſitum operarios exijſſe, forum repetit ſæpe ſæpius: quotieſcunque rei gerendæ occaſio occurrit, prætermitti non potuit. Itaque hora etiam tertia, & ſexta, & nona, & vndecima tandem, cum iam diei ſupereſſet exiguum, adeſt, forum init, rem vrget. Quæ quidem iteratio ac repetitio fori diuerſis horis etſi conuenienter à ſanctis Patribus Auguſtino & Gregorio ita accipitur, vt vel diuerſas mundi ætates, quod Origenes & Hilarius, & Theophilactus, vel diuerſas etiam vitæ noſtræ ætates ſignificet, quod Hieronymus & Euthymius probant: tanquam alij primo mane pueritiæ, alij tertia hora adoleſcentiæ, alij ſexta feruente iuuentute, alij inclinante die in nonam, iam ætate virili, alij denique vltima ſenectute velut vndecima hora vocentur, eſtque ea commentatio veriſſima atque optima: tamen poteſt non

3. Mira Dei ſedulitas in noſtra ſalute procuranda.

Auguſt. de verbis Domini, ſer. 59. Gregor. ho. 19. in Euāg. Orig. ho. 10. in Matth. Hilar. in expoſit. Euang. Theophyl. in expoſit.

ineptè intelligi ad eundem etiam hominem hæc ipſa toties repetita vocatio pertinere. Itaque ſiue mundi totius curſus, ſiue populi alicuius; ſiue etiam eiuſdem hominis ætates cogitentur, verũ profectò eſt illud quod Deus prophetico ore loquitur: *Ego autem loquutus ſum ad vos, de mane conſurgens, & loquens, & non obediſtis mihi: miſiſque ad vos omnes ſeruos meos prophetas, conſurgens diluculo mittenſque & dicens, Conuertimini vnuſquiſque à via ſua peſſima, & bona facite ſtudia veſtra.* Quam ſuam ſedulitatem & ſalutis noſtræ inflammatum deſiderium Saluator illa etiam flebili voce denunciat: *Hieruſalem Hieruſalem, quoties volui congregare filios tuos, ſicut gallina cõgregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti?* Singularem ſuam benignitatem cum noſtra ſumma contumacia certaſſe toties ac tantoperè declarat dulciſſimus Ieſus: nec per ſe ſtetiſſe, ſed per nos, quo minus immenſa illa dulcedine frueremur. Neq; ab ijs diſſidet quod Eſaiæ voce teſtatur: *Tota die expãdi manus meas ad populum non credentem, ſed contradicentem mihi*: Cogitet vnuſquiſque veſtrum fratres, apud ſe, quoties ſit vocatus à Domino, quoties diuina inſpiratione pulſatus, quas voces ab ineunte ætate acceperit cœleſtes: quibus modis, quot quantis rationibus egerit ſecũ ille clementiſſimus pater, vt à perdita vita reuocare, ne rueret in exitiũ, vt inſanias falſas relinqueret, & certam ſalutem arriperet. Nonne concionatorum vocibus ſæpe homo excitatus es? nonne morbi graui periculo decumbens? nonne tempeſtatis horrore ſubitæ concuſſus? nonne infortunij cuiuſdam caſu exercitus? nonne ſodalium ad meliorem frugem exemplo inductus? *Quoties*, inquit, *volui, & noluiſti?* O nos nõ modo ingratos tantæ benignitati, ſed etiam impios in illam maieſtatem. Pater quidem familias inſtat, vrget negotium, non defatigatur eundo & redeundo, omni hora adeſt, ſæpius vocat: & quod iure

Hieron. in comment. in Matth. Eutym. in expoſ. Euãg. Hierem. 35. Matth. 23. Eſai. 65.

iure mireris, ne extremam quidem diei particulam officio vacuam iure patitur. Quis noſtrum ſi hominem videret extrema hora operarios conducentem, non rideret? At Deus ne illud quidem exiguum ſpatium benignitatis ſuæ expers prætermittit. Itaque vel ſerum & tardum operarium nō abijcit, non dedignatur. Quid dico non dedignare? vltro vocat, inuitat, allicit, atque extimulat ad opus paruo vel nullo potius emolumento ſuo, ſummo illius compendio. Hoc illæ voces amatoriæ ſignificant: *Ergo ſaltem amodo voca me Pater meus*. Vel ſero tandem vel poſt innumerabiles errores tuos ad me redi. *Reuertere ad me, & ego ſuſcipiam te*. Cuinam tandem hæc tam dulcia, tam blanda, tam amatoria? cognoſcite quæſo. Nempe cui erat dictum. *Tu fornicata es cum amatoribus multis*. Et rurſus: *Frons meretricis facta eſt tibi, & noluiſti erubeſcere. Erubeſcant hæretici*, inquit Hieronymus, *qui nolunt ad meliora conuerti, nec regredi ad patrem creatorem ſuum: & audiant: ſaltem amodo voca me Pater meus, dux virginitatis meæ es tu. Ipſe reſpondit animam veſtram amplexibus ſuis, & docet quomodo orare debeat & agere pœnitentiam. Quanto autem ille clementior, qui ſalutis poſt fornicationem oſtendit viam, tanto miſerior meretrix, quæ non vult poſt vulnera recipere ſanitatem.* Ergo ſi Dei minus reuerentia tangimur, ſi pudore non ducimur, certè patiamur Dei perſeuerantia & contentione nos vinci. Toties exit, toties vocat: tandem aliquando ſequamur. Atque illud ſane mirabile accidit Patrifamilias nihil de ſuo perire ſi renuas, tibi damnum parari maximum. *Si peccaueris, quid ei nocebis? Si iuſtè egeris, quid donabis ei, aut quid de manu tua accipiet?* Attamen ita nos Pater ille ſollicitat, ita allicit, tanquam ſummoperè eius interſit. Denique operarij & vinea, & merces ad noſtram rationem pertinent omnia. Beneficium accipimus

Hierem. 3.

Hieron. in Hierem.

Iob. 35.

pimus ipſo obſequio: excolimus vineam, quæ noſtra mens eſt: & redditur merces pro accepto beneficio: noſtram rem agimus, & Deum debitorem tenemus. Omnibus modis eximia in nos Dei noſtri benignitas declaratur.

4. Forum eſſe ſeculũ & contra otioſos.

Quoniam de Patrisfamilias diligentia ac ſedulitate dictum eſt: de operariorum otium deinceps dicendum erit. Ex foro omnes in vineam acciti operarij ſunt. Vineam eſſe aliquando diximus Eccleſiam, iuſtorum cætum, Euangelicam denique profeſſionem, quam vel in alijs vel etiam in ſeipſo vnuſquiſque excolit. Forum verò ex quo in eam vineam itur, in quo foro reſident homines, quidnam eſſe putemus? Bene forum Hilarius interpretatur in hunc modum. *Forum*, inquit, *accipi pro ſeculo, res ipſa admonet, æqualiter turbis hominum calumniarum iniuriarumque contentionibus, & diuerſorum negotiorum ſemper tumultuoſis.* Igitur & mihi iſte mundus amplum quoddam forum eſſe videtur: in quo tot rerum ſpecies videas, turbam hominum tantam, tumultu ac ſtrepitu omnia plena, congrediendi, colloquendi, ambulandi facultatẽ amplã. Atq; hæc omnia interdiu feruent: ſimul atque nox incubuerit, vacua omnia, ſed domum cuncti recipiunt. Forum vel lutulentũ, vel pulueruleutũ ſibi relinquitur. Num ſecus habere tibi mundus videtur? *Præterit*, inquit, *figura huius mundi: & mũdus tranſit & concupiſcentia eius.* Vel ipſi mundi amatores fraudem, ſed ſerò deplorant: *Tranſierunt omnia illa.* Qui igitur domicilium ſibi aut hoſpitium nocturno tempore non parauerit, quam eum putatis ineptum ſola fori iſtius amplitudine captum? Veniet nox fratres: qui in illa vita domicilium non munierit ſibi, videat quo pacto ingruentem noctis obſcuriſſimæ tempeſtatem transfigat. Igitur in forum iſtud cateruis hominum refertum, vbi fraudes, vbi inſidiæ, vbi contentiones

Hilarius in expoſ. Enãg.

1. Cor. 7.
1. Ioan. 3.
Sapien. 5.

nes vigent, ſapientia quoque diuina ingreditur, & ex pernitioſa amplitudine, adſtrictam ſed ſecuram ſemitam vitæ vocat, concionatur, & clamitat. An non de illa ſcriptum eſt: *Sapientia foris prædicat, & in plateis dat vocem ſuam: in capite turbarum clamitat, vſquequo paruuli diligitis infantiam, & ſtulti ea quæ ſibi ſunt noxia, cupiunt? Conuertimini ad correptionem meam: en proferam vobis ſpiritum meum.* Vultis cognoſcere ſapientiæ diuinæ correptionem? Patremfamilias audite operarios otioſos coarguentem. *Quid hic ſtatis tota die otioſi?* Ac verè ſanè otioſitas reprehenditur: quod boni nihil pariat, malorum verò ſegetem amplam ferat: Seneca ſapienter de otio illud: *Paulatim effœminatur animus: & in ſimilitudinem otij ſui, & pigritiæ, in qua iacet, ſoluitur. Otium ſine literis mors eſt, & viui hominis ſepultura.* Noſter verò ſapiens, & ſi minùs ornatè, multò tamen robuſtius in otium inuehitur. *Multam*, inquit, *malitiam docuit otioſitas.* Illud probè Diuus Hieronymus: *In deſiderijs eſt omnis anima otioſi, quod videlicet ſemper aliquid agendum ſit, ne ager pectoris noſtri ceſſante manu, malarum cogitationum ſentibus occupetur.* Verum eſt illud Chryſoſtomi dictum, *Omnium vitiorum quaſi magiſtra quædam & origo eſt otioſitas.* Nam vitiorum omnium ſemina in otio inuenias. Inde garriendi, mentiendi, detrahendi, ludendi, furandi, peierandi, concupiſcendi, mœchandi, humanas leges ac diuinas denique violandi origo atque materia. Ager otio torpens vepribus & ſilice impletur: equus in ſtabulo diu à labore ceſſans, inutilis redditur: ipſum ferrum niſi exerceatur, rubigine hebeſcit. *Deſideria occidunt pigrum*, ait Salomon. Quare Paulus grauiter otioſos obiurgat atque admonet. *Rogamus*, inquit, *vos fratres, vt veſtrum negotium agatis, & operemini manibus veſtris.* Mulieres etiam durius accipit, *Quæ diſcunt circuire domos otioſæ, non ſolum autem otioſæ, ſed & verboſæ & curioſæ.*

Prou. 1.
Seneca in epiſt. 83.
Eccl. 33.
Hieron. lib. 5. in Ezech. in c. 16.
Chryſoſtom. homil. 36. in Matth.
Prou. 21.
2. Theſſ. 4.
1. Tim. 5.

Contra beatum prædicat Scriptura virum labore *Pſalm.* 127. victum parantem: *Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es & benè tibi erit.* Fœminam quoque *Prou.* 31. principem laudat, quod, *Panem otioſa non comedit* Ac primum homini Deus excolendum hortum voluptatis tradidit, vt cuſtodiret & operaretur, tunc negotium prout decebat iniungens: mox verò etiam peccati pœnam ſimul atque medicamentum eſſe *Geneſ.* 3. laborem voluit. *In ſudore,* inquit, *vultus tui veſceris pane tuo.* Atque otiari quidem culpa non vacat: at otiari totam diem, magno reprehenſionis aculeo dignum: *Quid hic ſtatis,* inquit, *tota die otioſi?* Nihil diſtat otioſus à ſtipite: quod eſt ingenij atque induſtriæ probrum ſummum.

5. Maximè otioſos eſſe, qui varijs ſeculi negotijs tenentur.

At ſi ſe ita res habet, dicetis credo, præclarè ſe tabelliones gerere inſtitores, nundinatores, litigatoresque, quorum eſt tanta opera & aſſidua cura, tam feruens huc illuc diligentia, vt feſtos etiam dies negotientur, ac negotiorum multitudine ſe pares eſſe non poſſe querantur. Hos Dominus nequaquam arguere poſſit, ac dicere. *Quid ſtatis tota die otioſi?* quibus ad cibum & ſomnum neceſſario capiendum vix otij ſatis ſit. Sed enimuerò quantum equidem ſentio, hoſce negotiatores libentius Pater noſter familias reprehenderit, otioſoſque cenſuerit. Neque enim qui in foro nugantur, eos quippiam agere dixeris, tametſi horas totas fabulando, iocando, ridendo conſumere videas. Quin potius eo iſtorum otium turpius ac vituperatione dignius ſit, quo plus in rebus futilibus & nihili teneantur. *Socrates quidem vt ſcribit Xenophon grauis autor, cenſebat eos eſſe otioſos, qui dimiſſis inutilibus, meliora agere negligerent. Nam & qui taxillis, & qui riſui excitando vacant, aliquid agunt: nihilominus otioſi ſunt, quod liceat iſtis omiſſis meliora agere.* Et rectè hæc Socrates. Quid enim otioſum, quid

Xenophon lib 3. *de dictis & factis Socratis.*

vanum

vanum & inane dixeris, niſi quod nullius fructus, nullius ſit emolumenti? Num eos non cenſeamus otioſos, qui ludicra tractant, puerilibus occupantur, cum ſeria inſtent, cum de capite & fortunis agatur? Iubet te Deus quærendæ æternæ vitæ operam dare, ſaluti tuæ conſulere, tu verò re tanta neglecta, ludis, nugaris, ſaltas: Quid enim niſi nugæ ſunt meræ, occupationes iſtæ honorum, quæſtuum, contentionum, ſempiterna ſalute contempta? Cælum tibi comparare potes, & tu viliſſimas merces & ſcrupea quædam inania pluris facis? Neque amittis ſolum tantum commodi, ſed exitium tibi veriſſimum comparas? Audi propheticas voces in iſtam ſtultitiam planè miſſas: *Confidunt in nihili*, ait Eſaias, *& loquuntur vanitates: conceperunt laborem, & pepererunt iniquitatem. Oua aſpidum ruperunt, & telas araneorum texuerunt. Qui comederit ex ouis eorum morietur, & quod confotum eſt erumpet in regulum. Telæ eorum non erunt in veſtimentum, neque operientur operibus ſuis. Opera eorum, opera inutilia: & opus iniquitatis in manibus eorum.* Miram hominum fiduciam ſui, incredibilem iactantiam ac vanitatem arguit Propheta: eoſque docet multum quidem laborare, multum ſudare, vt ſceleris tandem prouentum faciant. Quorum fraudes & technæ ſint ouis aſpidum ſimiles, inuenta & labores telis araneorum, quibus texi veſtis nō queat. Qui denique cum nihil vtile & opportunum gerant, ſunt tamen & ſibi & alijs ſummoperè pernitioſi. Aduerſus hos negotiorum inutilium vel potius pernitioſorum architectos, beatus Chryſoſtomus ſcitè diſputat in hunc modum. *Nolo mihi reſpondeas, nonnihil te quotidie facere: ſed illud mihi oſtende, ſi earum rerum aliquid tractas ac facis, quæ neceſſariæ ſunt. Sin verò pecuniarum quæſtus, quaſi diligentiſſimus caupo, et ingem quam de accumulandis opibus habes, curam mihi proponis: non verebor ipſe* tibi

Eſa.59.

Chryſoſt. homil.36. in Matth.

tibi reſpondere, non eſſe opera hæc. Quippe cum illa, mea quidem ſententia & quidem certa, magna opera ſint, miſericordia erga pauperes, oratio iugis, eorumque protectio, qui iniuria maioris alicuius vexantur. Quæ omnia apud nos nullum habent locum: ſed in maxima deſidia ocioque viuimus ſemper. Hęc idcirco Chryſoſtomus dicit, quod occupationes omnes & labores cenſeat inanes & vanos, niſi Dei mandata ſeruentur. *Vanitas vanita-*
Eccleſ. 1. *tum* dixit Eccleſiaſtes, *& omnia vanitas. Quid habet amplius homo de vniuerſo labore ſuo quo laborat ſub Sole?* Nonne rectè ad meliorem frugem Scriptura nos vocat? nonne vberiores laborum fructus pollicetur, ſi Dei mandata ſeruamus, ſi illi nos operarios,
Eſa. 55. qui nos conducit in ſuam vineam, præbemus? *Quid hic ſtatis tota die otioſi?* Vel potiùs. *Quare appenditis argentum & non in panibus? laborem veſtrum & non in ſaturitate?* Sapientiam diuinam, fratres, potius audiamus, illius præceptis pareamus, in illius opere libenter verſemur. Fidelem experiemur, quæ ita pro-
Eccli. 6. mittit: *In opere meo exiguum laborabis: & cito edes de fructibus meis.*

IN EADEM DOMINICA, CONCIO QVARTA.

Simile eſt regnum cælorum homini patrifamilias, &c. Matth. 20.

1. Iuſtitiam Dei gratiæ in nos, eſſe coniunctam.

SI diligenter parabolæ propoſitæ narrationem attendimus, inueniemus certè Patremfamilias nō modo diligentem, ſed etiam æquum & iuſtum. Ita enim rei ſuæ familiari conſulendum putat, vt eam curantibus commodus ſit. Tria igitur conſiderare debemus, pactum quod inter Pa-

ter Patremfamilias atque operarios intercedit: laborem ab operarijs exhibitum: mercedem à Patrefamilias redditam. Pactum quidem eiuſmodi eſt, *ex denario diurno conuentione facta*. Ac mox, *ite & vos in vineam meam, & quod iuſtum fuerit dabo vobis*. Itaque præmium pollicetur, vt ad laborem inducat. Quocirca gratiam Dei præcedere & primas partes agere, nullo modo dubitare fas eſt. Idcirco perhibetur primum exire Paterfamilias & vocare de foro quos vult. In nemo poteſt meritis ſuis tribuere, neque ſe quæſiſſe Patremfamilias dicere, priuſquam ab illo quæſitus vocatusque ſit. Itaque vocatio Dei gratuita omnino eſt. At ſuppoſita iam gratia prima vocantis, ſequitur iuſtitia pollicentis, reddentisque mercedem. Ex parte quidem liberi arbitrij, diuina adiuuante gratia, eſt aſſenſio, & acceptio promiſſi, tum labor & opera præſtita, cui merces eſt promiſſa. Integrum enim operarijs fuit ire, ac manere: accipere conditionem vel repudiare. Neque eos coactos legimus à prætore, ſed à Patrefamilias conductos. Quare & operatur homo & meretur promiſſam mercedem. At Dei benignitatem ſimul cum iuſtitia coniunctam pariter videmus. Neque enim tribuit mercedem niſi laboranti. Quem vt alliciat, promiſſis incitat, fidelis & iuſtus in exoluendo Quare via æterna, & gratia dicitur rectè, & merces rectè. *Stipendia peccati mors: gratia autem Dei vita æterna*. Ita Paulus, qui alio loco ſic loquitur: *Repoſita eſt mihi corona iuſtitia, quam reddet mihi Dominus in illa die iuſtus iudex*. Rogo te Paule, quomodo gratia, ſi eſt corona iuſtitiæ? ſed prima gratia conſiderata, qua Deus vocat & conuentionem cum homine facit, nullis eius meritis præeuntibus, iam vita æterna merces iuſtitiæ eſt. Egregium gratiæ prædicatorem ac defenſorem Auguſtinum audiamus ſic diſſerentem: *Quomodo eſt gratia vita æterna, quæ ex operibus*

Rom. 6.
2. Tim. 4.

Aug. de gratia & libero arbitrio, c. 8. & 9. *ribus ſumitur? Iſta quæſtio nullo modo videtur mihi poſſe diſſolui, niſi intelligamus & ipſa bona opera noſtra, quibus æterna redditur vita, ad Dei gratiam pertinere, propter illud quod dicit, ſine me nihil poteſtis facere. Itaque chariſſimi vita bona noſtra nihil aliud eſt quam Dei gratia, ſine dubio & vita æterna, quæ bonæ vitæ redditur, Dei gratia eſt: & ipſa enim gratis datur, quia gratis data eſt illa cui datur. Sed illa cui datur tantummodo gratia eſt. Hæc autem quæ illi datur, quoniam præmium eius eſt, gratia eſt pro gratia, tanquam merces pro iuſtitia, vt verum ſit, quoniam verum eſt, quia reddet vnicuique Deus ſecundum opera eius. Ex eius plenitudine accepimus, vt benè viuamus: & inſuper accipiemus gratiam pro gratia, quando nobis vita æterna reddetur.* Hæc Auguſtinus, de cuius ſententia imò Pauli ipſius merces vitæ æternæ ſimul eſt gratia, & quidem maxima: & iuſtitia item veriſſima, vſque eo vt idem Apoſtolus aſſerat iniuſtum Deum futurum fuiſſe, ſi laboris noſtri rationem non haberet. *Non enim iniuſtus Deus,* inquit, *vt obliuiſcatur operis veſtri & dilectionis, quam oſtendiſtis in nomine ipſius.* Magnum gratiæ beneficium, quod te Deus vocauit operarium, cum poſſet in foro relinquere: quod conduxit in vineam, æternæ vitæ mercedem conſecuturum. Cui Dei gratiæ non ingratus Apoſtolus dicebat: *Gratias ago Deo meo qui me fidelem exiſtimauit ponens in miniſterio.*

Heb. 6.

1. Tim. 1.

2. Quales operarios Deus probet.

Sed hac iam accepta gratia videat Chriſti operarius ne abutatur. Oportet enim fideliter laborare. Neque proderit pactum iniiſſe, ſi conditionem tuam non ſerues. Non accipies mercedem niſi labores. Hoc enim erat in tribus illis ſecundum. Summa vel ſtultitia vel impudentia ſit, victoriam velle ſine certamine, brauium ſine curſu, mercedem ſine labore. *Qui operatur,* ait Salomon, *terram ſuam, ſatiabitur panibus.* Et rurſus: *Egeſtatem operata eſt manus remiſſa.* Videat vnuſquiſque quid faciat, quam dili-

Prou. 12.

Prou. 10.

diligenter, quam grauiter operam ſuam præſtet, recepturus ſine dubio mercedem pro ratione laboris & operæ. Ita ille prædicat vineæ Dominus, voce præclara: *Ecce venio cito, & merces mea mecum eſt, reddere vnicuique ſecundùm opera ſua.* Cui Paulus aſſentiens, vnuſquiſque, inquit, ſecundùm laborem ſuum propriam mercedem accipiet. Debet autem labor operarij eſſe tum obediens, tum impiger, tum denique concors alijs. Obediens quidem ſit oportet, vt Patrisfamilias voluntati obſequatur. Nec enim eligere eius eſt qui operam præſtat, ſed eius cui præſtat. *Ego vos elegi,* inquit, *vt eatis*. Ne ſi curramus non miſſi, querelam Dei audiamus, non gratiam. Quare in qua quiſque vocatione vocatus eſt, in ea maneat. Vnuſquiſque prout accepit gratiam illam adminiſtret. Ibi operarius fodiat, vbi Paterfamilias iuſſerit. Neque ſibi placere, ſed Domino qui ſeruit, velle debet. Deinde impiger ſit labor, non ad ſpeciem & fucum, ne ſubterfugiat opus, ſtrenuè grauiterque ſe gerat: illa diligentiſſimè curet, quæ cum Deus curare volet. *Maledictus enim habetur, iuxta prophetam, qui facit opus Domini fraudulenter.* Doloſum operarium Auguſtinus & deſidem reprehendit his verbis: *Quod ſi doloſus es, vide ne non ſolum accipias mercedem, ſed & pœnam inuenias, quia voluiſti eſſe operarius doloſus. Et quidem operarius doloſus, vt incipiat non benefacere, oculos patrisfamilias attendit, ad illum aſpicit, qui conduxit ad vineam, vt cum ille auerterit oculos, ceſſet & non bene operetur: cum autem ille aduerterit oculos bene operetur. Deus autem, qui te conduxit, non auertit oculos, non tibi licet doloſè operari. Super te ſunt ſemper oculi Patrisfamilias: quare vbi illum fallas, & ſi potes ceſſa.* Ergo fratres, diligenter atque impigrè in opus Domini incumbendum nobis eſt. Nam qui parcè & malignè Deo operam ſuam nauat, facilè reſpuitur opera eius, atque contemnitur

Apoc. 22. *1. Cor. 3.* *Ioan. 15.* *1. Cor. 7.* *1. Pet. 4.* *Hierem. 48.* *Aug. in expoſ. Pſalm. 93.*

Aggæo

Agg. 1. Aggæo ſic atteſtante: *Intuliſtis in domum, & exufflaui illud: quam ob cauſam, dicit Dominus exercituum, quia domus mea deſerta eſt, & vos feſtinaſtis vnuſquiſque in domum ſuam.* Exufflaſſe atque reſpuiſſe dicit quæ erant illata in templum, propterea quod præcipuam operam rei ſuæ familiari quiſque adhiberet, templo autem ædificando, non niſi cum eſſent curis domeſticis perfuncti, vacarent. Ergo veros, fideles, ſtrenuoſque operarios quales amat Paterfamilias, paucos eſſe videmus. Præterea ipſos benè inter ſe conuenire operarios oportet, vt opus creſcat atque proficiat. Si enim diſſideant, & tumultuentur, ligoneſque ad mutuam cædem vertant, actum erit de opere æquè atque operarijs. Qui lites & iurgia amant, qui laceſſunt ſocios, qui verbo Dei & facultate abutuntur ad inuidiam & contumeliam faciendam fratribus, eos potius euerſores operis Dei quam fabricatores Spiritus ſanctus oſtendit. In hos

Philip. 3. illud Apoſtolicum propriè eſt dictum: *Videte canes* (*ſe nimirum mutuò mordentes,*) *videte malos operarios, videte conciſionem.* Quare admonendi ſunt eiuſmodi iracundi & bellicoſi operarij, quod idem Apoſto-

Galat. 5. lus ſcribit: *Quod ſi inuicem mordetis, & inuicem comeditis, videte ne ab inuicem conſumamini.* Ac ferè fit, vt optimè conſtituta reſpublica, diſcordia ciuium maximè diſſipetur, atque illud cernere eſt, quod de

1. Reg. 14. Philiſthæis Scriptura commemorat, *Verſum fuiſſe gladium cuiuſque in proximum, ac ſe mutua cæde truncaſſe.* Quapropter quod in vineis fodiendis vſus habet, vt foſſores vno agmine cateruatim fodiant, atque ita & ſe mutuo excitent, & opus ipſum commodius perſequantur, id in ſpirituali operatione, qua Eccleſiæ ager excolitur, multò diligentiùs ſeruandum eſt. Valet enim mirificè concordia atque ordo ille rei gerendæ accommodatus, quo labor minus moleſtus ſit, & longè ampliùs promoueat.

Solet

Solet verò interdum ipſe etiam vineæ procurator ſumpto ligone tanquam dux commilitones ad ſe ſequendum cohortari, atque liberali quadam vi ad opus vehementius vrgere, cum pudori ſit præeuntem deſerere. Quæ res in Chriſto tanquam duce laboris & comite pro ſua humanitate nos eximio documento adhortante, illuſtriſſimum ac iucundiſſimum ſpectaculum præbet Eccleſiæ vniuerſæ. Nam cruce tanquam ligone quodam ac præcipuo operis inſtrumento in humeros ſublato, nos omnes ad ſequendum ſe hortatur, & tollere ſuam quemque crucem iubet. Quem tantum tamque præclarum ducem pudoris ſit ſummi deſerere, gloriæ ſingularis ſequi, cuius ſtudio Paulus accenſus ſocios item extimulat: *Exeamus igitur ad eum extra caſtra, improperium Chriſti portantes.* Et item: *Aſpicientes in autorem fieri & conſummatorem Ieſum per patientiam ad propoſitum nobis certamen curramus.* *Heb. 13.* *Heb. 12.*

De conuentione, & labore dixi: de mercede reſtat, vt dicam. Non diſplicet Deo deſiderium præmij: mercedem ideo promittit, vt eius cupiditate homo excitetur ad laborandum, laboriſque mole ſtias fructus cogitatione ſuſtentet. *Quoniam eſt*, inquit, *merces operi tuo.* Quare apud Iob legimus. *Sicut præſtolatur mercenarius finem operis ſui, ſic ego menſes vacuos enumeraui mihi.* Præſentem penuriam futura compenſatione opulentiæ ſe toleraſſe dicit. Eſt autem merces ea tanta, vt quanuis operam, quoſuis ſudores, eius reſpectu homines non modo æquo animo, ſed grato etiam ac libenti ferre debeant. Denarium diurnum Scriptura vocat. Si conſuetudinem hominum ſpectes, vile admodum pretium pútes: ſin rem eo verbo myſticè dictam perpendas, nihil optare præſtabilius poſſis. Etenim denarium Patres interpretantur vitam æternam, felicitatem nunquam finiendam. *Salutis*, ait Origenes, *nomen*

3. Mercedem denario ſignificatam eſſe vitam æternam.
Hierem. 31.
Iob. 17.

Orig. homil. 10. in Matthæum
Auguſtin. de verbis Domini ſerm. 59.

arbitror eſſe denarium. Diui Auguſtini verba ſunt etiam hæc: *Denarius ille vita æterna eſt: & in vita æterna omnes æquales erunt. Quamuis enim meritorum diuerſitate fulgebunt, alius maius, alius minus, quod tamen ad vitam æternam pertinet, æqualis erit omnibus. Non enim alteri erit longior, alteri breuior: quod pariter ſempiternum eſt, quod non habebit finem.* Benè diurnus denarius dicitur. Quæ eſt enim tota vita mortalium ad illam æternitatem comparata, niſi dies vnus & ſanè breuis. Sic philoſophatur Origenes: *Vide,* inquit, *ſi poſſumus totum hoc ſeculum præſens dicere vnum diem: magnum quidem quantum ad nos, modicum autem & exiguum temporis quantum ad Dei patris & Chriſti & Spiritus ſancti vitam.* Diurnum verò etiam accipere poteſtis, qui ad victum diei vnius ſufficiat: ſed diem intelligite illum quem Petrus vocat æternitatis. Quare denario nihil opus eſt amplius: ſatis vnus eſt ad vitam perpetuo ducendam, in ea ciuitate, quæ diei ſuccedentem noctem nunquam vidit. Eſt autem denarius ille regium planè numiſma, in quo non Cæſaris imago & nomen ineſt, ſed Dei cæleſtium ciuium Regis ſempiterni. Vultis ne ſcire quænam merces ſit vobis oblata? qui expectandus denarius? ipſum audite Dominum cum fideli ſeruo Abraham ſtipulantem. Cum enim is ſecum de ſuorum laborum fructu cogitaret, antequam in illam vocem erumperet: *Domine Deus, quid dabis mihi?* Anteuertit ſermo diuinus, & ait: *Noli timere Abraham, ego ſum merces tua magna nimis.* An vobis non videtur ea merces magna, qua maius eſſe nihil poteſt? quæ ipſum Deum æquet. *Ecce Saluator,* ait Propheta, *& merces eius cum eo:* Ita planè, cum ipſo Deo merces oſtenditur, cum ſit qui dat, idipſum quod datur. Satis proinde Petri deſiderio eſt factum ſciſcitantis quid ſibi & ſocijs præmij ſperandum eſſet, qui omnia reliquiſſent, Chriſtum ſequuti, cum poſſeſſuros vi-

Orig. homil. 10. in diuerſos locos Matthæi.
2. Pet. 3.
Geneſ. 15.
Eſa. 62.
Matth. 15.

ros vitam æternam confirmauit. Nam quid ſit illud bonum quo beati fruuntur, nullo poteſt modò melius explicari, quam ſi dicas, omne eſſe bonum in vno bono conſiſtens. Nummus planè idcircò mihi nominari videtur vita illa beata, quod ſicut in nummo ſunt omnia, eſt cibus, eſt veſtis, domus, equus, ſeruus, res denique omnes ad vitam opportunè agendam, quæ nummo comparantur: ſic in illo bono ſunt omnia bona, diuitiæ, gloria, maieſtas, voluptas, ſalus ſempiterna, cunctæ denique res, quæ beatum facere poſſunt. *Erit enim Deus omnia in omnibus.* *1 Cor. 15.*

Cum ea igitur merces reddatur omnibus: tamen non omnes æquè beantur. Alij alijs præferuntur ſine vlla cuiuſquam iniuria, magna certè magnificentiæ diuinæ laude. Id quemadmodum fiat, attendite: *Cum ſero,* inquit, *factum eſſet, dicit dominus vineæ procuratori ſuo. Voca operarios, & redde illis mercedem ſuam incipiens à nouiſſimis.* Procuratorem intelligimus Chriſtum, qui tametſi Dominus vineæ æquè ſit, tamen ſe procuratorem præbere etiam voluit homo factus, mediator Dei & hominum Chriſtus Ieſus: cui pater *omne iudicium dedit, quia filius hominis eſt: non enim pater iudicat quenquam.* Vt Euangelicus ſermo tradit. *Dominus Ieſus Chriſtus,* ait Remigius, *ipſe eſt Paterfamilias & vineæ procurator, ſicut & ipſe eſt oſtium & oſtiarius.* Horam verò ſeram illam cum labore finito, de mercede capienda cogitandum eſt, finem eſſe ſeculi, accipite vel vitæ cuiuſque finem, eodem enim redit: ſiquidem, vt Auguſtinus dixit, tunc vnicuique mundi finis exiſtit, cum vitæ huius finis aduenerit. Felix ſanè hora atque omnibus votis exoptanda ijs, qui fidelem operam poſuerunt. Quanta cum voluptate operarius accedit, ligonem ponens, manum mercedi aperiens. Sed intereſt plurimum. Apud mortales, laboris tolerantia diutur-

4. Quam felix hora ſit accipiendæ mercedis.

Ioan. 5.

Remig. in catena S. Thomæ.

Aug epiſtol. 80. ad Heſychium.

na, pecuniæ ſolutio breuis: duodecim pene horas qui ſudauit, celeri acceptione mercedis compenſatur. Apud ſuperos longè ſecus. Vix horam vnam laboraueris, præmium capies ſempiternum. Quam

2. Cor. 4. rem altè contemplans Paulus ſic ſe excitabat: *Id enim quod in præſenti eſt momentaneum & leue tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis, quæ videntur, ſed quæ non videntur. Quæ enim videntur temporalia ſunt: quæ autem non videntur æterna*

Rom. 8. *ſunt.* Quamobrem aliàs idem dicebat: *Exiſtimo quod non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Itaque qui ſe intuentur pro Chriſto fideliter laboraſſe, iniurias pertuliſſe plurimas, nihil niſi Domini opus curaſſe, meritò is iucundiſſimam illam vocem habebit,

Apoc. 2. *Voca operarios,* dicetque ex animo: *Veni Domine Ieſu: & qui ſitit, dicat: Veni, & accipiat aquam vitæ gratis.* Hoc æternæ retributionis deſiderium electorum

Greg. hom. 8. moral. c. 7. Gregorius explicat illis beati Iob verbis contineri: *Sicut ſeruus deſiderat vmbram, & ſicut mercenarius præſtolatur finem operis ſui: ſic & ego habui menſes vacuos, & noctes laborioſas enumeraui mihi. Vmbram,* ait Gregorius, *ſeruum deſiderare, eſt poſt tentationis æſtum, ſudoremque operis, æterni refrigerij requiem quærere. Hanc vmbram comprehendere Paulus anhelabat, deſiderium habens diſſolui & eſſe cum Chriſto. Ad hanc vmbram ex deſiderij iam perfectione perueneraut, qui dicebant: Nos qui portauimus pondus diei & æſtus. Mercenarius etiam, quod graue perpendit ex opere, leue exiſtimat ex remuneratione. Sic electi cum mentis oculum ad æternæ patriæ conſiderationem tendunt, ex comparatione præmij, quam ſit leue, quod patiuntur, inueniunt. Hinc eſt quod Paulus labores ſuos enumerat & contumelias, & pericula, & ita ſe grauatum dicit, vt tæderet iam viuere. Sed quomodo remunerationis linteo ſudores tanti laboris*

tergat,

tergat, ipſe denuntiat dicens: Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. Finem itaque laboris quaſi mercenarius præſtolatur, qui dum profectum remunerationis conſiderat, vile æſtimat, quod penè deficiens laborat. Hactenus B. Gregorius.

Verum quid illud eſt, quod à nouiſſimis inchoare procurator iubetur in reddenda mercede? Nempe cum ſit in omnes iuſtus & fidelis Deus, eſt præterea in nonnullos liberalior, eoſque ſæpenumero præfert, qui nouiſſimi ſunt opinione hominum atque externorum operum meritis. Quo liqueat cunctis in hos oſtendi munificum, propterea quod neque ipſi ſibi, neque alij illis tribuere poſſunt præſtantiora munera. Eam enim rationem attulit facti ſui: *An non licet mihi quod volo facere? volo autem huic nouiſſimo dare ſicut & tibi.* Eſt nimirùm bonorum ſuorum Dominus: facit, quod vult, neque alia eſt cauſa requirenda, quam illius magnificentia & maieſtas, quæ eo pacto maximè declaratur. Qui otioſi totam diem nihil agendo conſumpſerant, hi vna hora laborantes, cæteris præferuntur. *Nam tametſi quantum ad laboris modum, quemadmodum dicit Nazianzenus, plus contulerint qui priores ingreſſi ſunt vineam, non tamen quantum ad animi liberæque voluntatis modum.* Dei verò longè diuerſum eſt iudicium ab humano. Nos externos labores conſideramus: ille fidei & dilectionis internæ modum pluris facit. Itaque qui diu fuere otioſi, exiguo tempore laborantes, diu laborantibus non immeritò anteponuntur: vt patrisfamilias liberalitas ampliùs eluceat, & Dei gratia fiat illuſtrior. *Semper enim libentius damus aliquid illis, quibus gratis donamus, quia pro ſolo noſtro honore donamus.* Quemadmodum hoc loco autor non ignobilis dixit. Equidem etſi videtur audacius dictum, addam non ſolum in otioſos fuiſſe liberaliorem, ſed ſæpè etiam in pernitioſos, in ſceleratos, in blaſphe-

5. Deum cum ſit iuſtus in omnes, in quoſdam amplius ſe præbere munificum.

Nazianzen. in orat. in ſanctum baptiſmum.

Autor imperfecti in Matth homil. 34.

Actor 9. blaſphemos & impios. Nonne Saulus ſpirans minarum & cædis in diſcipulos Domini in ipſa furoris feſtinatione, diuinitus proſternitur, & illuminatur: & fit electionis præclariſſimum vas? Nonne *Matth. 9.* Matthæus de telonio transfertur in Apoſtolatum? de tabulis fœnerarijs ad Euangelicas tabulas conſcribendas traducitur? Quid illa peccatrix, quæ meruit audire, ſibi eſſe remiſſa peccata multa, eoque *Luc. 7.* maiori gratia donatam, quo peccatorum grauior fuiſſet ſarcina? Cur hęc tam admiranda? Dauid cer- *Pſalm. 128.* tè canit egregiè, *Quis ſicut Dominus Deus noſter, qui in altis habitat, & humilia reſpicit in cælo & in terra? ſuſcitans de puluere egenum, & de ſtercore erigens pauperem, vt collocet eum principibus, cum principibus populi ſui.* Ergo ea res ad declarandam diuinæ potentiæ magnitudinem pertinet, vt eſt vſitatum ſummis terræ monarchis, amicos infimæ ſortis aſcitos ad faſtigium imperij extollere. Aſſuerum quidem Perſarum Medorumque regem potentiſſimum literæ ſa- *Eſther 3.* cræ tradunt ſic Amano Agagæo fuiſſe, vt eſſet ſecundus in regno: eodem mox depoſito & ad ex- *Eſther 8.* tremam ignominiam in crucem ſublato. Mardochæum Iudæum ex plebeio & condemnato, ad ſummas opes imperij momento temporis peruenisse. Omnes igitur iuſti pro acceptis beneficijs gratias agere debent omnium bonorum largitori Deo. Si qui plus alijs accepiſſe videntur, neque glo- *1. Cor. 4.* riari, neque cæteros contemnere decet. *Quid enim habes quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis?* Eripit breui ſuperbia, quod gratia diuturna contulit. Sed qui minus ditati ſunt, neque ijs ſe donis conſpicuos cernunt, quibus eminere alios intuentur, neque mœrere, neque inuidere conuenit, multoque minus in Deum diſtributorem obloqui quicquam. Neque enim vllam ſibi iniuriam factam poſſunt expoſtulare, cum neceſſaria

præ-

præſidia atque adiumenta ſalutis ſuæ minimè negata intelligant. Neque per Deum ſtare, quo minus ſalui ſi velint, fiant. Id videlicet ſenſit, cum dixit, *Tolle quod tuum eſt, & vade.* Caueant proinde ingrati donis acceptis, ijdemque inuidi exactores minimè debitorum, ne eis illud eueniat: *Habenti dabitur & abundabit: ei autem qui non habet, & quod videtur habere auferetur ab eo.* Verè enim à ſacro autore quodam eſt dictum. *Stultum interfi cit iracundia: paruulum occidit inuidia.* Nam exigui certè & ſordidi animi abiectique eſt, quod præclarum in alio videas, quia tuum non eſt, ægrè ferre. Quin potius ſicut inuidia aliena bona, ſua eſſe damna reputat, ita charitas alienis pro ſuis fruitur: facit enim amor proprium exiſtimare, quod amici eſt bonum. Quare Paulus dicebat, *Vtinam regnetis, vt & nos vobiſcum regnemus.* Itaque quod in parabola dicit, obmurmuraſſe primos operarios, quod ſe ſpe ſua fruſtratos viderint, cum maiora ſibi præ alijs pollicerentur, ferrent verò iniquus, mercede æquatos; tempore illos vltimos ſibi fuiſſe prælatos, nequaquam putare debemus in illa cæleſti retributione futuram eiuſmodi aliquorum vel inuidiam, vel querelam, vbi erit Deus omnia in omnibus, vbi ſumma pax & concordia ciuium beatorum, ſed id tantum parabolæ ſatis eſt, vti Chryſoſtomus animaduertit hunc locum exponens, ſeruata iuſtitia in omnes, talem futuram Dei munificentiam in quoſdam præ alijs, vt ſi locus eſſe poſſet querelæ atque inuidiæ, cæteri & dolere & queri viderentur. Quod ſi parabola non tantum ad retributionem æternæ mercedis accommodetur, ſed etiam ad præſentem diuinorum donorum diſtributionem, quemadmodum peritiſſimi quoque interpretes volunt, ſane nihil habet abſurdi, quod inter ipſos operarios à Deo

Matth. 13.

Iob. 5.

1. Cor. 4.

vocatos, nonnihil interdum querelæ, nonnihil inuidiæ exiſtat. Quæ ſi fraternam etiam charitatem violet, non dubium eſt, quin excludat à regno Dei: idque Baſilius ſic accepit interpretans operariorum querelas & inuidiam. Sed citra crimen tam exitiale: poteſt intelligi quædam inter ipſos etiam iuſtos hoc tempore contentio atque æmulatio. Sic enim conſtat Iudaici populi cultores, quod Hieronymus Hilariusque declarant gentilibus inuidiſſe, ac de gratiæ Euangelicæ quam iure quodam antiquitatis Iudæi ſibi vendicandam arbitrabantur, acriter admodum contendiſſe: vt neceſſe fuerit Paulo ſe præbere diſceptatorem longa illa atque eleganti ad Romanos epiſtola ſcripta. Nos verò, fratres, diſcamus & vocationi diuinæ libenter obtemperare, & opus Domini quodcunque contigerit, diligenter fideliterque perficere: & quod caput eſt omnium humiliter ac demiſsè de nobis ſentire, vt cum opinione noſtra vltimi ſimus, ac cæteros nobis præponamus, diuino fortaſſe beneficio ac munificentia nunquam expectatam gloriæ celſitudinem conſequamur.

Baſil. in regulis breuioribus interrogat. 256.

IN DOMINICA IN SEXAGESIMA, CONCIO prima.

Exijt qui ſeminat, ſeminare ſemen ſuum. Luc. 8.

1. Quantus fuerit concurſus Chriſtum audire cupientium.

QVIVS præſtantiſſimæ parabolæ narrator Chriſtus, voluit etiam interpres eſſe & expoſitor, quod eius intelligentiam probè tenere magnoperè noſtra intereſſe ſciret. Eſt autem parabolæ ſcopus is potiſſimus; verbi diuini auditores pleroſque

que non eam vtilitatem capere quam oporteret, idque varijs ex cauſis accidere: eos verò, qui vt par eſt, acciperent, ac continerent verbum Dei, mirabiles fructus inde referre. Quam ſane parabolam ea occaſione Chriſtus induxit, quod frequentiſſimi vndique auditores confluxiſſent, vſque eo vt nauiculam ſubire neceſſe fuerit, vt turbam litore irruentē à ſe paulisper arceret. Nam conſcenſæ nauiculæ Matthæus & Marcus meminerunt: cauſam autem fuiſſe multitudinem auditorum ſatis Lucas expoſuit cum dixit: *Cum autem turba plurima conueniret, & de ciuitatibus properarent ad eum, dixit per ſimilitudinem, Exijt qui ſeminat.* Matth.13. Matthæus quoque ſatis expreſſit neceſſitatem ſubeundæ nauiculæ ad docendum multitudinem auditorum attuliſſe: ait enim, *Exiens Ieſus de domo ſedebat ſecus mare, Et congregatæ ſunt ad eum turbæ multæ, ita vt in nauiculam aſcendens ſederet: & omnis turba ſtabat in litore.* Quocirca videre eſt prophetiam Michææ atque Eſaiæ completam, qui de Euangelicæ gratiæ fortunatis temporibus vno ſpiritu atque verbis eiſdem ſic pronuntiarunt: *Eſai.2. Michæ.4.* *Erit mons domus domini præparatus in vertice montium, & eleuabitur ſuper colles (quod de celſitudine doctrinæ doctorijque Euangelici dicit:) & fluent ad eum populi, & properabunt gẽtes multæ, & dicent, venite aſcendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos de vijs ſuis, & ibimus in ſemitis eius.* Quæ quidem omnis oratio quanuis ad Eccleſiæ primæuæ amplitudinem declarandam pertineat, quod ſatis indicant, illa quæ ſequuntur, *Quia de Sion egredietur lex, & verbum Domini de Hieruſalem;* quemadmodum Euſebius & Iuſtinus accipiunt, tamen negari non poteſt, quin etiam ad ipſum Euangelij autorem Ieſum, quod Hieronymo etiam placet, referenda ſit. Sed tantæ multitudini Chriſtus oſtendere volens non pares futuros eſſe Euangelicæ doctrinæ pro-

Euſeb. li. 6. demonſt. Euangel. cap.13. Iuſtin. in 2. Apolog. & in colloq. Triphon. Hieron in 2. Eſai & in 4. Michæ.

uentus, ſimilitudinem oportunè narrauit eius, qui cum multum ſementis feciſſet, plurimam partem excidere ſibi ac perire conſpexerit. Inde alteram

Eſai. 9. eiuſdem Eſaiæ prophetiam non minus veram demonſtrans, *Multiplicaſti gentem: non magnificaſti lætitiam*. Nam pro multitudine credentium, non ea eſt copia iuſtorum, quam deſideres: neque ſementi largiſſimæ aquæ lætæ atque vberes reſpondent ſegetes. Id nos probè intelligere multum refert, ne vel audiendi ſtudio contenti ſimus, vel Chriſtiano nomine gloriemur, facta minimè Chriſtiano digna exhibentes. Ergo egregium concionatorem Chriſtum attentè ac ſtudioſè audiamus ipſam Dei ſapientiam ad nos ea verba facere exiſtimemus.

Prouerb. 8. *Audite quoniam de rebus magnis locutura ſum.* Huic præclaro concionatori ſuggeſtum ad dicendum idoneum eſt viſum, puppis exiguæ nauiculæ, qui locus etſi videtur piſcatorem potius quam ſatorem decere, tamen ex eo ſemen cæleſte terræ mandatur, vel quod amplius mirere, arenæ: quod ea ſit potentia verbi Dei, vt poſſit etiam ex arena frugem referre: ac nouo genere ex nauicula piſcatur in terra, & ſementem facit in aqua. Siquidem aquæ multæ,

Victor Antiochen. in 4. c. Marci gentes multæ. Pulchrè Victor Antiochenus: *Sedens in naui, eos per verbi rete piſcatur, qui in terra aſſiſtebant*. Neque abs re eſt, quod turba auditorum litori inſiſtere deſcribitur, propterea quod pleriq́ue inſtabili arenæ hærentes, neque conſtantiam mentis maiorem afferunt, neque frugem meliorem pol-

Hilar. can. 13. in Matth. licentur. Ita Hilarius: *Sediſſe autem Dominum in naui, & turbas foris ſtetiſſe ex ſubiectis rebus eſt ratio. Facti ipſius genere ſignificat eos, qui extra Eccleſiam poſiti ſunt, nullam diuini ſermonis poſſe capere intelligentiam. Nauis enim Eccleſiæ typum præfert, intra quam verbum vitæ poſitum eſt, & prædicatum ijs qui extra ſunt, & arenæ modo ſteriles intelligere non poſſunt.*

Quanti

Quanti verò referat non ineptum ſe præbere auditorem huic præclaræ concioni, illud palam oſtendit, quod tanquam perſonam ſuam oblitus, & grauitatem dignitatemque illam cœlo ipſi venerandam quodammodo deponens, non veretur Chriſtus clamare, vociferari, ac ſumma vocis contentione illa edere. *Qui habet aures audiendi audiat* Euſebius hic Emiſſenus, ſi tamen is eſt, commentatur: *Non ſine cauſa*, inquit, *clamat Ieſus, qui enim clamat audiri deſiderat, meritò igitur clamabat Dominus, quia pauci erant qui eum audirent. Audiebant quidem vocem, audiebant ſimilitudinem: illud autem non audiebant quod per vocem & ſimilitudinem ſignificabatur. Vnde & aures audiendi requirebat, quia non aures corporis, ſed aures cordis hunc clamorem audiunt & intelligunt*. Id igitur vt inſinuaret, etiam voce contenta Chriſtus hodie clamat. Cuius rei nouitate, quis es qui non excitetur? quis ad inuſitatos clamores tanti magiſtri non arrigat aures? Iudicis perſona neglecta, præconis partes agere Chriſtũ? Ruſticanũ atque agreſte homines opinantur, clamitare principes viros, decere ſermonem putant grauem, quietum, moderatum. Incõditas voces edere paſtorum, nautarumque magis cenſent. At illa maieſtas pluris habet ſalutẽ noſtram, nec ſe dedecere iudicat, quicquid vtilitatis mortalibus amplius conferat. Itaque apud Salomonem ſic ſcriptum legimus: *Nunquid non ſapientia clamitat, & prudentia dat vocem ſuam? In ſummis excelſiſque verticibus ſupra viam in medijs ſemitis ſtans, iuxta portas ciuitatis in ipſis foribus loquitur, dicens: O viri ad vos clamito, & vox mea ad filios hominum*. Tantum cæleſtis ſapientiæ ſtudium, tanta beneuolentia exiſtit in homines. Quare & ſomno merſos excitari, & ſurditate peſſima detentos audire cupiens, vociferatur & clamitat, *Qui habet aures audiendi audiat*. Quis ille clamor tuus ô Chriſte Deus? Vtinam

2. Qua cõtentione vocis & animi Chriſtus prædicauerit Euãgelica. *Euſeb. Emiſſenus in expoſit. Euang.*

Prouer. 8.

In ſemente eſſe, neque in ſatore vitium, ſed culpa e ius agri in quem iacitur, accidere pulchra ſimilitudine Chriſtus oſtendit: quæ eo etiam pertinet, vt qua parte fruges tandem coaleſcant, reliquum damnum omne compenſent. Non poteſt nempe agricola laborare, arare, ſerere, niſi ſpes futuræ frugis affulgeat, cuius enim amentiæ eſſet fruſtra velle ſementem facere, corpus ſine vllo commodo fatigare? *Quoniam debet*, ait Apoſtolus, *in ſpe qui arat, arare, & qui triturat in ſpe fructus percipiendi.* Ea videlicet ſpes laborem leuat, impenſas tolerat, moras diuturnas ſolatur. Sic ſe habet res, quemadmodum Iacobus Apoſtolus dixit: *Ecce agricola expectat pretioſum fructum terræ, donec accipiat temporaneum & ſerotinum.* Quare qui cœleſtem agriculturam exercent, debent ſe confirmare atque erigere ſpe vera pretioſi fructus ſalutis inquam animarum, quam tanti Deus fecit, vt ſanguinem pro ea adipiſcenda fundere, atque extrema perpeti non recuſauerit. Verum pro hac ſancta cupiditate fructus cœleſtis, cum ſæpe contingat frugem opinioni minimè reſpondere, verendum eſt ſanè, ne Euangelici coloni animus debilitetur, & vigor ille ſummoperè neceſſarius paulatim remittatur & concidat: ſterilis malignuſque prouentus quanuis cupidum & ſtrenuum agricolam frangit. Summis enim laboribus nihil emolumenti cõſequi, infælicitatis, ſi prouideri non potuit, dementiæ, ſi potuit, extremæ eſſe videatur. Eam ergo inualetudinem vel morbum potius, qui frequens ſolet accidere Euangelici verbi miniſtris, vt tædio inutilis laboris, quadam præduritia auditorum deſperatione frangantur, curare ſatagit hodierna parabola magiſter optimus, ſe etiam ipſum documentum rei eius idoneum proponens. Etenim ſolent agricolæ diuerſas agri partes ſerere, neque ex omnibus fructum ſemper referunt, ſed alijs atq; alijs ſeminibus

Iæ magnã eſſe oportere cupiditatem indefeſsũ ſtudium ſalutis hominum, Pauli & Chriſti ipſius exẽplo.

1. Cor. 9.

Iacob. 9.

bus amiſſis, alia rectè poſita fructificant, & damnum repenſant. Itaque nullo pacto ceſſare debet agricola Euangelicus, ſed ſapientis obedire præceptis, *Mane ſemina ſemen tuum, & veſpere ne ceſſet manus tua: quia neſcis quid magis oriatur, hoc an illud: & ſi vtrunque ſimul, melius erit*. Quid futurum plane ſit, nos ſcire minimè poſſumus; ſed tamen accidere certè videmus, vt inde maior interdum ſeges ſurgat, vnde vel nullam vel perexiguam expectabamus. Contraque quæ videntur lætiora habere principia, crebro ſterileſcũt, & opinionem noſtram fallunt. Ergo incumbendum eſt operi, & nulli parcendum labori, neque vel tenui frugis ſpe allucente, fraudandus diuino ſermone auditor. Præclarum eſt illud Eſaiæ præconium. *Beati qui ſeminatis ſuper omnes aquas, immittentes pedem bouis & aſini*. Quem locum tractans Gregorius ſcribit: *Seminare ſuper omnes aquas, eſt cunctis populis fructuoſa vitæ verba prædicare: pedem verò bouis & aſini immittere, eſt viam Iſraelitici & Gentilis populi per præceptorum cæleſtium vincula religare*. Quam interpretandi rationem inuenies apud priſcos, atque in ijs Clementem Alexandrinũ. Super omnes igitur aquas ſeminare cenſendus eſt, qui in humectis & ſiccis pariter locis ſementem facit, accliuia æquè & humilia non prætermittit, ſero perindè atque cito prouenientia loca ſemine impertit. Bouẽ autẽ aſino iungere lege vetuſta prohibitũ quidẽ erat: at noua & Euangelica conceſſum atq; laudatum. Vbi tanta eſt cupido rei gerendæ ruſticæ, vt cum deſunt paria boum aratro ferendo, aſinus pro boue boui copuletur, quod quidem exquiſitum quoddam ſtudium demonſtrat operis efficiẽdi. Myſticè verò vt dixi iuxta patres Iudaico populo Gentilium copulandum Apoſtolicis temporibus indicatum. Itaque is verè beatus diuinis literis prædicatur, qui opportunitatem præterit nullo gerẽdo nego-

Eccleſ. 11.

Eſai. 12.

Greg. li. 35 moral. c. 11.

Clem. Alexand. ſtromat. lib. 6.

Deuter. 2.

Non arabis in boue ſimul & aſino. 3.

negotio Euangelicò, ſaluti hominum procurandæ, verbo denique Dei quaqua verſum diſpergendo. Quo ſtudio teneri ſe Paulus declarat, cùm ſcribit, *Græcis & barbaris, ſapientibus & inſipientibus debitor ſum. Ita, quod in me, promptum eſt, & vobis qui Romæ eſtis, Euangelizare, non enim erubeſco Euangelium: virtus enim Dei eſt ad ſalutem omni credenti: Iudæo primum & Græco.* Rom. 1. Eum Pauli rei gerendæ Euangelicæ infatigabilem ardorem, qui imitari glorioſè debet, non debet elabi ſinere vllam ſalutis animarum quærendæ occaſionem. Et ſi enim plurimæ votis non ſuccedent, tamen aliæ tandem fructui deſiderato non deerunt. Cuius rei exemplum nullum poteſt illuſtrius peti, atq; ipſe Chriſtus Deus noſter, qui ſuos ita cõfirmat & munit. *Si ſermonem meum ſeruauerunt, & veſtrum ſeruabunt: Non eſt ſeruus maior domino ſuo.* Ioan. 15. Atqui videmus plane, quanquam copioſiſſimos Chriſtus habuerit cætus auditorum, pauciſſimos tamen ſectatores ſibi adiunxiſſe: pleroſque etiam doctrina eius audita nihilominus ſuis hæſiſſe cupiditatibus, ne dicam ſermonem diuinum non paucos vituperaſſe. Quam mortalium duritiem ſummamque in ſe ingratitudinem cognoſcens apud Patrem, amanter quæritur his propheticis verbis: *Et ego dixi, in vacuum laboraui, ſine cauſa & vanè fortitudinem meam conſumpſi.* Eſai 49. Nam pro amplitudine & præſtantia doctoris, pro ſumma eius in docendo diligentia & opera, mundus omnis ad eum ſe conferret, neceſſe erat: quod omnino accidit ſecus, plurimi enim neglexerunt, non pauci etiam oppugnauerunt: rari de tot ſequuti ſunt, ob id adiungit: *Ergo iudicium meum cum Domino, & opus meum cum Deo meo.* Quibus verbis illud ſibi vult, ſe hominum indignitate & iniqua conditione minimè commotum, ſalutem eorum comparare pergere, diuinæ voluntatis reſpectu, vt Patri in opere ſibi demandato placeat.

Hũc Eſaiæ locũ ſi voles apprimè explicatũ videre, lege librum de procurãda ſalute Indorum primum. cap. 3.

placeat. Quæ quidem debet eſſe Chriſtiani doctoris cogitatio, qui Chriſtum ſibi propoſitum tanquã inſigne documentum intuens, fidelem operam ac diligentẽ præbeat, atq; in re Euangelica procuranda dies & noctes minimè ceſſet: Etſi enim plurima nõ proueuiẽt, at nonnulla certè ſuccedent, quibus cætera compenſentur. Electos habiturus eſt fructus, quorum centenario prouentu, perditorum damna inſtaurentur: Quo ſpectans Apoſtolus dicebat: *omnia ſuſtineo propter electos, vt & ipſi ſalutem conſequantur*. Quanquam ne illud quidem mercede caret operæ, quod fruſtra inſumi putatur. *Vnuſquiſque enim propriam mercedem accipiet, non ſecundum fructum inquit, ſed ſecundum ſuum laborem*. Quare in perditos & profligatos homines clamare non deſiſtat, vt ij non illius, ſed ſua ſolummodo culpa pereant. *Chriſti*, ait idem, *bonus odor ſumus Deo, & in ijs qui ſalui fiunt, & in ijs, qui pereunt, alijs quidem odor mortis in mortem, alijs verò odor vitæ in vitam, & ad hæc quis tam idoneus?*

2. Tim. 2. — *1. Cor. 3.* — *2. Cor. 2.*

4. Quid ſit exire ad ſeminandũ.

Non eſt autem prætereundum, quod exijſſe dicit Saluator eum qui ſemina mandaret humo. Satis enim videri poterat, ſi agricolam ſæuiſſe dixiſſet, ſed maluit id etiam addere, quod neceſſario alioqui intelligendum erat, & ſolet ſcriptura id non ſuperfluo facere, ſed iudicandi myſterij alicuius gratia. *Exijt*, inquit, *qui ſeminat*. Neq; enim ſementem feceris, ſi domi te continueris, ſi larem focumque ſeruaueris, ſi lautis epulis diem totum indulſeris. Amat agricola tempus pluuium ſementi, domo pedẽ effert libenter, cum humecta terra, lutulenta veſtigia vix dimouere queat, quod tempeſtiuum ſementi id maximè ſciat. Id ſi tempori deeſt, quoad licet arte conſequitur, quod Poeta in Georgicis dixit:

Virgil. 1. Georgic.

Quid dicam iacto qui ſemine comminus arua
Inſequitur, cumuloſque ruit male pinguis arenæ,
Deinde ſatis fluuium inducit, riuoſque ſequentes.

Itaque

Itaque egrediendum & cum incommodo ſuo res commodè agenda. Abraham quidem in patriam vertere exilio iuſſus promiſſa obtinuit ampliſſima, vt in ſemine illius omnium gentium felicitas ſit. Quem imitari debere omnes qui benedictionis cæleſtis participes futuri ſunt, illis verbis ſignificatum ſcribit Cyrillus: *Benedicentur in te omnes gentes*. Iacob peregrinatus in Meſopotamiam, domum & fortunis & liberis magnoperè auctus redijt. Ioſeph venditus in Aegypto, Daniel ad Babylonios relegatus, hic Perſici imperij ille Pharaonis, primas vterque partes adeptus eſt. Paulus ad nationes longinquas, quarum ne nomen quidem audierat, miſſus Euangelicam frugem fecit ampliſſimam. Quare qui diuinæ ſementi daturus eſt operam, intelligat plane, ſecumque penitus ſtatuat, ſibi eſſe exeundum è domicilio: commoditatis ſuæ nullam aut perexiguam habendam eſſe rationem, dignitatis certè ſtudium in opere Eaangelico ex fide tractando ſolummodo ponendum: voluptati locum relinqui nullũ, niſi ex re Chriſtiana bene gerenda. Nam qui inter Euangelica miniſteria, honores, fortunas, vel quod eſt turpius, delicias & quæſtum cogitat, ne is non magis in ſemente Euangelica proficiet, quam qui inter focum & menſam opiparam agrum ſibi ſerẽdum eſſe, conſtituat. Exire igitur atque ire porrò debet agricola, ſi prodeſſe operam ſuam cupit: quod Chriſtus Dominus ſuos voluit admonitos: *Ego*, inquit, *poſui vos, vt eatis & fructum afferatis*. Neque alienum ab his præceptis, quod Pſalmus glorioſè prædicat: *Euntes ibant & flebant mittentes ſemina ſua. Venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos ſuos. Qui ſeminant in lachrymis, in exultatione metent.* Bernardum audite id commonentem: *Fructificate*, inquit, *& vos chariſſimi; quoniam in hoc poſiti eſtis, vt eatis, & fructum afferatis: vnde eatis? Vtique à vobis ipſis*

Cyrill. de adorat. in ſpiritu. lib. 2.

Ioan. 15.
Pſal. 125.
Bernar. in ſerm. de S. Bened. Abbate.

ſicut ſcriptum eſt, A voluptatibus tuis auertere. Nam & de Domino legimus: Quia exit ſeminare ſemen ſuum. Ecce hic habemus ſemen ſuum, ſicut & prius fructum ſuum. Imitemur hunc fratres, quoniam ad hoc venit, vt formam nobis traderet, & viam demonſtraret. Ita Bernardus. Igitur quia ſeipſum Chriſtus ſine dubio intellexit eſſe eum qui ſeminauerit, rectè illum etiam exijſſe vt ſereret, intelligimus. Exijt enim verè à Patre procedens æterno illo egreſſu, quem Michæas perhibet, dicens: *Et egreſſus eius à diebus æternitatis,* quod ipſe de ſe confirmat. *Exiui à Patre & veni in mundum*, vt quid rogo vos? ipſe potius declaret, *Ego,* inquit, *ad hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum, vt teſtimonium perhibeam veritati.* Rectè Beda: *Satorem filium Dei intelligimus, qui de ſinu patris quo creatura non erat acceſſus, egrediens, adhoc venit in mundum, vt teſtimonium perhibeat veritati.* Neque verò optimi ſatoris officium facturus, habitum, moremque ruſticanum recuſauit, ſeruili forma indutus, qui ſe apud quendam prophetam agricolam profitetur, quemque alius Propheta miratur, atque alloquitur, *Quare vt colonus futurus es in terra?* Nacti igitur, fratres, tam præclarum terræ noſtræ colonū, gratias eius benignitati immortales agamus, atque vt agrum hunc noſtrum vel ſuum potius excolere ac diuino ſemine implere non ceſſet, omnibus precibus deuoti flagitemus.

Miche.5. Ioan.16. Ioan.18. Beda in Lucam. Zach.13. Hiere.18.

IN EADEM DOMINICA, CONCIO SECUNDA.

Exijt qui ſeminat ſeminare ſemen ſuum. Luc.8.

Verbum

VERBVM Dei ſeminis eſſe ſimile, ipſe Chriſtus expoſuit. *Semen,* ait, *eſt verbum Dei*. In primis illud intelligi voluit, cæteras omnes diſciplinas, quamuis virere aut florere videantur, ſi cum Dei verbo conferantur, paleas potius vel ſtipulā, vel fœnū exiſtimari oportere. Itaque eū cuius interſit agrum dominum ſerere, earum rerū omnium non magnoperè ſarcinam curare debere, ſed ſtudium omne certè præcipuum ad granum diuini verbi colligēdum, alijſque impertiendum potius conferre. Quid enim Poetica, quid Rhetorica, quid denique ipſa Philoſophia ſit, ſi cū diuini verbi facultate cōparetur? Illud plane interſit inter humana illa omnia & diuinum hoc neceſſe eſt, quod inter paleas & grana. Hieremias idoneus autor ſit, qui commentitios falſoſque Prophetas à veris diuiniſque ſic diſcernit, vt fucatū ac compoſitū iſtorū ſermonem paleis aſſimilet, ſimplicem & ſolidum horū, grano pleniſſimo. *Quid paleis ad triticum?* dicit Dominus, *Nunquid non verba mea ſunt ſicut ignis, & ſicut malleus conterens petras?* Tritici quidem granum vim habet mirabilem, neque eſt quicquam æquè efficax ad alendum, ad confirmandum, ad augendum cordis robur. *Et panis,* ait Pſalmus, *cor hominis confirmat,* & idem, *Erit firmamentum in terra, in ſummis montium extolletur ſuper libanum fructus eius*. quod noſtri codices habent firmamentum, inuenies in alijs frumentum, idque ad Hebraicum ſermonem proprius: eſt enim re vera firmamentum hominis frumētum. Atque humana eloquentia poteſt quidē tanquam ſiliqua plus ſonare, poteſt inflare ventrē: alere, nutrire, corroborare æquè nō poteſt. Quæ cum ita ſint, illorum quæſo concionatorū ſtultitiā im-

1. Verbum Dei eſſe granū, humanā eloquentiam paleas.

Hiere. 23.

Pſal. 103.

Pſal. 71.

menſam cognoſcite, qui ad Eccleſiaſtica pulpiti præcipuam ſuppellectilem, ſæculares profanaſque periodos afferunt, qui velut cantilenam quandam mulcendis auribus orationem accommodāt ſuam, quorum cura omnis & opera in eo ponitur, vt benedixiſſe videantur, neque ab inimico humani generis & theatro loquaciſſimorum ſpectatorum tam grauia ſcripturæ loca, tam diuina diſcernunt. Quid apud Deum futurum putatis, ſi agricolam bono verbo Dei grano neglecto ſaccum palea vndique refertum geſtare in agrum conſpiciet? Qui riſus? quæ probra? quis pudor ineptiſſimi operatoris? At nunc ſaccos ſtipula inani plurimi interficiunt, vix inter palearum aceruos granum vnum aut alterum videas Poeticis, mimicis, Hieroglyphicis ſcatent plurimi. Scientiam ſcripturæ vix flocci faciunt, ſpiritum ne pili quidem. Hieronymus eiuſmodi carpit concionatores his verbis: *Quemcunque videris in Eccleſia declamatorem, & cum quodam lenocinio ac venuſtate verborum excitare plauſus, ac riſus excutere, ſcito ſignum eſſe inſipientiæ, tam eius qui loquitur quam eorum qui audiunt.* Neque Hieronymi eſt modo ea reprehenſio iſtorū, ſed Pauli etiam Apoſtoli, qui tales notat, cum ait: *Non ſumus ſicut plurimi adulterantes verbum Dei: ſed in ſynceritate coram Deo in Chriſto loquimur.* Adulteratū, hoc eſt fucatum, oſtentationi laudique ſeruientem ſermonem Paulus refutat, auerſatur, explodit. Neq; tamen ornari vetat benedicendo ſententias Euangelicas, quin potius Auguſtinus & Paulum fuiſſe eloquentem vehementer contendit, & elocutionem in Eccleſiaſtico oratore valde probat, *Nam cum per artem Rhetoricam*, inquit, *& vera ſuadeantur & falſa, quis audeat dicere aduerſus mendacium in defenſoribus ſuis inermen debere conſiſtere veritatem?* Cyrillus etiam id confirmat ex eo quod Iſraelitæ ſacrificari iuſſi ſunt Deo hoſtias Aegyptiorum. *Nonne hoc faciunt*

Hieron. in Eccleſiaſt. c. 9.

2. Cor. 2.
Aug. 4 lib. de doctrina Chriſti. c. 2. & c. 6. & 7.
Cyrill. lib. 1. de adorat. in ſpirit.

ſiunt, inquit, *qui mundanæ ſapientiæ adminiculis, ſacris diuiniſque noſtris dogmatibus opitulantur, cum dictionis ſplẽdorem, & ſcientiæ acumen ſectantes, cultumque rationalem Deo perſoluentes?* Sed ornamenti cauſa comparãtur, non debet eorum eſſe vel ſola præcipua cura, ſed ſalutis ac vitæ ſtudium reliquis imperare atque excellere omnibus decet. Humanam verò eloquentiam & externa ornamenta ita adhibere verbo fas eſt, vt ſeruiant, non dominentur.

Cum ſit autem verbum Dei ſemen præſtantiſſimum, quid eſt quod tam peritus agricola tantam eius grani copiam perdere vult? quis enim petris & ſaxis pretioſum ſemen committat? quis trito viarum ſolo, vbi conculcari neceſſe ſit? Nonne inſipientis ſit, nullo prouentu tantum optimæ ſementis prodigere. Num ſapientis illud negligendum eſt? *Vbi auditus non eſt, non effundas ſermonem*, An verò ipſe Chriſtus non ita ſuos admonet. *Nolite ſanctum dare canibus: neque mittatis margaritas veſtras ante porcos.* Vt qui igitur nobiliſſimum ſemen ita diſſipatum vijs, petris, vepribus creditum? Excelſa videlicet Dei ſapientia, conſilio vtitur pleno prouidentiæ, quod diſcere nos oportet. At Chryſoſtomus quidem illam rationem affert: *Increpandus*, inquit, *eſſet agricola, qui ſuper ſenſibiles ſpinas & petram, & viam ſeminaret. Non enim eſt poſſibile petram terram fieri, nec viam non eſſe viam, nec ſpinas non eſſe ſpinas. In rationalibus autem ſecus eſt. Poſſibile eſt enim petram conuerti in terram pinguem, & viam non conculcari, & ſpinas diſſipari.* Sed quoniam peritus etiam agricola conditione ipſa agri cogitur ſæpe magnam ſementis iacturam facere, cœleſtis ſapientiæ conſilium altius perſpiciendum eſt. Permixtæ nimirum ſunt variæ terræ ſortes, atque inter ſe, quæ conditione plurimum diſtant, loco proximè ſæpenumerò hærent. Itaque iniquo etiam loco ferendum, vt idoneus ſemen accipiat:

2. Studioſum Euangelij agricolã æquo & iniquo loco debere ſerere.

Eccleſ. 32.

Matth. 7.

Chryſoſt. in catena Sancti Thomæ.

cipiat: neque parcendum grano, dum affulget ſpes prouentus. Pulchrè Auguſtinus: *Exijt ſeminans ſeminare impiger. Quid enim pertimuit, quod aliud cecidit in via, aliud, in petroſa loca, aliud inter ſpinas? Si iſtas difficiles terras timeret, ad terram bonam non perueniret.* Rectè prorſus. Huc accedit quod natura ſterilis aut malè luxuriantis agri non ſe ſtatim prodit, ac niſi vſu, dignoſci ſæpè non poteſt. Quamobrem periti ac diligentis agricolæ eſt, omnibus locis ſemētem iacere, quo ſit certius frugem vel hinc vel inde colligere. Quocirca docemur primum, malis etiam eſſe benefaciendum propter bonos, ſiquidem ſeiungi, vitæ huius ratio non patitur. Deinde cū de conditione non liquet, vtrum bonus quiſpiam an prauus exiſtat, beneficium nullo pacto negandum: ſterilis an fertilis ager obtigerit, dum plane ignoras, agri partes dubias excolere omnes debes. Sic cōſulit Salomō vbiq; sēperque ſerendum, quod neſcias quid potius proueniat. Paulus omnibus ſe debitorem agnoſcit, ſapientibus atque inſipientibus, Iudæis & Græcis, Barbaris & Scythis. Cum omnibus ſane de regno Dei diſputabat: lucrum animarum vndecunque cupidus negotiator quærebat. Probādi ij doctores minimè ſunt, qui niſi frequenti ac lectiſſima concione docere non inducunt in animū. Curias, Academias, ciuitates præclaras plerique amant concionatores. Oppida anguſtiora, vicos pagoſque contemnit. Cum eruditis, cum nobilibus agere iuuat: ruſticanos, plebeios, docere tædet. At noſter agricola copioſam ſementem facit, neque inculta & horrida dedignatur. Idcirco Auguſtinus vel quiſquis autor is ſit, bene adhortatur agricolas Euangelicos: *Non ergo nos dilectiſſimi aut timor ſpinarū, aut ſaxa petrarum, aut duriſſima via perterreat, dum tamen ſeminantes verbum Dei ad terram bonam aliquando peruenire poſſimus. Accipe verbum Dei omnis ager, omnis homo*

Aug. ſer. 1. de Apoſtolis

Eccleſ. 11.
Rom. 1.

In 9. to. Auguſt. in tractat. de quarta Feria.

homo,ſiue ſterilis ſiue fœcundus. Ego ſpargam: tu vide quomodo accipias;ego erogem, tu vide quales fructus reddas. Melius eſt enim, vt de accepto tu pro te rationem reddas, quam nobis non erogantibus Dominus iraſcatur. Et Victor Antiochen. *Chriſtus Dominus diſcipulos inſtruit, ne conſternentur animo,ſi plures interdum ex ijs, qui Euangelij doctrinam exceperant,perire, quam ad ſalutis portum appellere intelligant. Nam hæc ſementis ſterilitas ipſi quoque Domino vſu venerat.* Laborandum eſt igitur impigrè, & Deo relinquendus euentus: neque contemnenda & mediocria aut exigua emolumenta verbi Dei. Sæpe nimirum hamum iactat piſcator, vt aliquando prehendat piſcem, & quanquã optimum mallet,non contemnit tamen vel mediocrẽ vel etiam tenuem hamo hærentem. Quæ quidem cupiditas frugis faciendæ diligentiaque indefeſſa in bonorum etiam actuum ratione, quibus vita æterna paratur,intelligenda eſt, vt ſementem facere quauis occaſione non ceſſet diſcipulus Chriſti, cuius auribus Pauli illud inſonuit: *Quæcunque ſeminauerit homo,hæc & metet. Bonum autem facientes non deficiamus: tempore enim ſuo metemus non deficientes: Ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes.* Mirabiles vtilitates affert ea bene agendi ſedulitas, atque illa eſt egregia, vt ſi multa de benefactis noſtris exciderint,quod neceſſe eſt in tanta confuſione vitæ mortalium,tamen reſtent plurima, quibus fruamur. Neque enim opera noſtra, etiam quæ firma putamus,manſura omnia eſſe Apoſtolus apertè prædicit,ac verendum ſane, quod Achæus vaticinatus eſt illis,ne nobis quoque contingat. *Seminaſtis multum,& intuliſtis parum,* Multa reſpectus hominũ,multa vanitas perdit: quid ſolidũ, quid integrũ,fructuoſũq; ſit, vix in tãtis ignorantiæ huius tenebris, iudicare licet. Atq; vtinã ne illud eiuſdem prophetæ aliquãdo appareat, *Et qui mercedes cõgregauit*

Victor in expoſ. Euang.

2. Cor. 3.

Galat. 6.

Agg. 1.

gauit, miſit eas in ſacculum pertuſum. Equidem pertuſum diruptumque ſaccum interpretor mentis noſtræ intentionem, quæ veluti fundum quoddam eſt actuum humanorum: quam intentionem ſæpe diſſipatam humana laude aut inuidia, aut proprio cōmodo velut perfoſſam, neceſſe eſt meritorum plurimam facere iacturam. Se ergo vnuſquiſq; interroget & de vniuerſa ſemente, quam ſe feciſſe diligenter, gaudet, inueniet fortaſſe vix quartam partem eſſe ſaluam: cæteras omnes, alijs alias cauſas, interijſſe.

3. Maximā partem eorum, qui verbum Dei participant, ſua culpa perire.

Iam verò quanquam eſt inuidiæ plenum quod dicturus ſum, dicam tamen, illud etiam, Euangelica hac parabola inſinuari, ex ipſo fidelium agro, partem multò maximam non peruenire ad optatū exitum, idque accidere nulla negligentia optimi agricolæ, nullo iacti ſeminis vitio. Videtis enim de quatuor agri Euangelici portionibus, tres omnino amiſſas, quod hoc loco ponderat Victor antiquus & grauis autor: *Ita ex toto ſemine, quarta duntaxat pars ſeruatur*. Neque enim de multis ſyluis, aut inuijs montibus loquitur Euangelium, quibus illatū nunquam eſt ſemen Dei. Loquitur planè de fundo ſuo, de hæreditate, de ipſo agro, aratro cæleſti proſciſſo atque Euangelica ſemente conſperſo. Huius, inquā agri ſui partes omnino tres fruge fruſtratas dicit, vel nullam feciſſe frugem, vel eam ad cumulum nō perueniſſe, palam confirmat. Ergo Barbaros modo relinquamus: idolorum cultores, Paganos prætereamus: Sarracenos ac Turcas, cæteroſque infideles quibus lex Euangelica non eſt annuntiata, miſſos faciamus; illi, illi ipſi fideles, qui Eccleſiam frequētant, qui Dei verbum audiunt, non fiunt ſalui omnes: de ijs quibus verba diuina fiunt, tres partes nequaquam dignos retuliſſe fructus parabola docet. Quid eſt hoc? quid audimus, fratres? quis hic noſtrū

non

non expaueſcat? Nam copioſam fieri ſementem, negare minimè poteſtis. Tot cæleſtes conciones: tot ſcripturæ diuinæ annuntiatæ: vbi horum fructus? quis agit pœnitentiam? quotus quiſque ex tanto auditorum cœtu vitam in melius mutat? quos mihi oſtendas, deſertis inanibus mundi illecebris, Dei regnum digno ſtudio atque opera quærere? Præclarè equidem vobiſcum agi putarem, ſi vel quarta pars hominum qui nos audiunt, diuini ſeminis fructum aliquem ferret. Paulus quidem ita nos adhortatur: *Sic currite vt comprehendatis.* Dixerat verò. *Omnes quidem currunt, ſed vnus accipit brauium.* Cuius ſententia documenta ſtatim permagna ſubdit: *Nolumus enim vos ignorare fratres, quoniam patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes in mari & in Moyſe baptizati ſunt: & omnes eandem eſcam ſpiritualem manducauerunt.* Et reliqua, quæ tandem eo exitu terminat, *ſed non in pluribus eorum beneplacitum fuit Deo.* Id plane volens intelligi etiam cæleſtium ſacramentorum, baptiſmi inquam atque Euchariſtiæ ac cæterorum participes, regno Dei priuari pleroſque, quemadmodum ex illis antiquis Patribus plurimi tantis ac talibus beneficijs quibus hæc noſtra ſignificabantur, affecti, nihilominus duri & ingrati à Deo repulſi alienatique ſunt. Quem Pauli locum explicans Diuus Anſelmus ſcribit: *exemplum de priori populo ideo proponit, vt in Chriſtianorum populo nullus in eo ſolo confidens, quod baptizatus eſt, & eſcam ac potum corporis & ſanguinis Domini percepit, putet ſibi Deum parcere ſi peccauerit: ſed tunc omnia hæc cognoſcat ſibi profutura, ſi Deo humiliter obedire perſeuerauerit.* Et poſt totum locum explicatum concludit: *Non ergo ſolis ſacramentis confidamus, quia his ſolus ad regnum cæleſte non perueniemus, ſi bona operari neglexerimus.* Fuiſſe verò mentem Apoſtoli Pauli docere, electorum eſſe exiguum numerum præ multitudine vocatorum, etiam

1. Cor. 9.

1. Cor. 10.

Anſelm. in expoſit. 1. Cor. 10.

S.Thom.1. Cor. c. 9. lect. 5. iam beatus Thomas confirmat, breui compendio complexus his verbis: *In primo notatur conditio viatorum, nempe in illo, qui in ſtadio currunt, in ſecundo multitudo vocatorum, ſcilicet in illo, omnes quidem currunt, in tertio paucitas electorum, videlicet in illo, vnus accipit brauium, quia multi ſunt vocati, pauci vero electi.* Ita quidem Thomas & verè. Quapropter nos idem monet Apoſtolus, cum metu ac tremore ſalutem noſtram operari. Ne falſo nobis de diuinis muneribus blandiamur, quæ ſunt certè ſemina fructum expectantia idoneum, quæ quo ampliora ſunt, eo magis damnatione ingratos atque inutiles iuſtiſſima vindicabunt. Conueniat ſuam quiſque conſcientiam: videat etiam atque etiam quos fructus tulerit ſermo Dei toties acceptus, timeat ne in perniciem vertatur culpa ſua, quod erat diuinitus in ſalutem in prouiſum. *Qui ſpernit me*, ait Chriſtus, *& non accipit verba mea, habet qui iudicet eum: ſermo quem locutus ſum, ille iudicabit eum in nouiſſimo die.* Et nos ergo iudicem aliquando noſtrum futurum ſcientes ſermonem Dei, ita cum benignus ad nos accedit, accipiamus hoſpitio, vt gratum ac beneuolum dimittamus. Dimittemus certè, ſi optimis eius conſilijs libenter paruerimus.

Philip. 2.

Ioan. 12.

4. Quod audientes Chriſtum non intelligerent, ipſorum vitio accidiſſe.

Dicet aliquis, Tu Dei benignitatem laudibus extollis, quod ſalutis hominum tam ſit auidus, vt omni loco etiam iniquo & ſterili ſemen verbi ſui inſpergat: neque iacturam magni æſtimet trium ſementis partium, dummodo vel quarta proueniat. At huic benignitati Dei & charitati in homines quam prædicas, valde repugnat quod ipſe Chriſtus teſtatur. Nam in parabolis ſe loqui maximè reſpondet, quod ita fiat, vt turbæ minimè intelligant. Hæc Chriſti ratio eſt atque vox ad diſcipulos parabolæ ſenſum interrogantes: *Vobis datum eſt noſſe myſterium regni Dei: cæteris autem in parabolis, vt videntes non*

1. Cor. 14.

tes non videant, & audientes non intelligant. Quid prodeſt loqui, ſi ita loquaris, vt is quo cum loqueris, non te capiat? *Si neſciero,* ait Apoſtolus, *virtutem vocis, ero cui loquor, barbarus: & ille erit mihi barbarus.* Iſta quidem certè ratione qua Chriſtus turbas ſe alloqui dicit, eo tendere videtur, vt auditores damnationem potius quam ſalutem ex eius ſermone ſibi comparent. Ita quidem diſputare aliquis poſſit. Nos verò primum ſic ſatisfaciendum iudicamus, vt cum de immenſa Dei clementia & benignitate ſentire præclariſſimè debeamus (eſt enim omni noſtro ſenſu, omni cogitatione ſuperior,) tamen eſſe diuinis iudicijs locum intelligamus, modumque iuſtiſſimum illum quidem, ſed quo iuſtiorem, eo occultiorem, atque à noſtra intelligentia longe remotiorem. Noſtram enim conditionem cogitare debemus, atque illud opportunè in mentem reuocare: *Nunquid dicit figulo lutum, quare me finxiſti ſic?* Et illud prolixius ex ſapientia: *Quis enim dicet tibi, quid feciſti? aut quis ſtabit contra iudicium tuum? aut quis in conſpectu tuo veniet vindex iniquorum hominum? aut quis tibi imputabit, ſi perierint nationes quas tu feciſti? Non enim eſt alius Deus, quam tu, cui cura eſt de omnibus: vt oſtendas quoniam non iniuſte iudicas iudicium. Neque Rex, neque tyrannus inquirent de ijs quos perdidiſti. Cum ergo ſis iuſtus, iuſte omnia diſponis: ipſum quoque qui non debet puniri, condemnare, exterum æſtimas à tua virtute.* Sic enim lectio correctior Pontificia autoritate probata habet: quibus copioſe Sapiens demonſtrat, Dei iuſtitiam vbique eſſe perfectam: neque tamen poſſe ab hominibus ſæpenumero comprehendi. Quare ſilentio & obedientia venerandam potius eſſe, quam diſputatione acri indagandam. De qua quæſtione Auguſtinum differentem placet audire, hunc Euangelicum locum ita tractantem: *Hinc eſt quod Dominus cum eis loqueretur, qui carnales aures apertas ha-*

Rom. 11.
Sapient. 12.
Aug. lib. de bono perſeuerantiæ, c. 14.

tas haberent, dicebat tamen, Qui habet aures audiendi, audiat: quas non omnes habere proculdubio nouerat. A quo autem habeant, quicunque habent, ipſe Dominus oſtendit, vbi ait, *Dabo eis cor cognoſcendi me, & aures audientes. Cur autem illi habeant aures audiendi, illi non habeant, quis cognouit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius eius fuit? Aut tu quis es homo qui reſpondes Deo? Nunquid ideo negandum eſt, quod apertum eſt, quia comprehendi non poteſt, quod occultum eſt? Nunquid,* inquam, *propterea dicturi ſumus, quod ita eſſe perſpicimus, non ita eſſe, quoniam cur ita ſit, non poſſumus inuenire?* Ergo de ſententia Auguſtini & veritatis in humilitate perſtandum, potius quam Dei occulta iudicia diſcutienda. Sed illud eſt etiam perſpicuum (vt ad rem propius accedamus) iſtorum cæcitatem abſurditatemque grauiſſimam, ipſorum meritis ac peruerſæ voluntati factiſque ſceleratis tributam: neque quo minus diuina caperent, atque intelligerent, intelligentesque ſalui fierent, per Chriſtum ſtetiſſe, qui omnes quantum in ipſo erat, & vocabat, & alliciebat, & veriſſimè ſaluare cupiebat. Neque enim falſum eſſe poteſt aut fraude tectum, quod veritas per-

Matth. 11. ſpicuè dicit: *Venite ad me omnes qui laboratis.* Et, *Omnes*

2. *Timoth.* 2. *vult ſaluos eſſe & ad veritatis agnitionem venire.* Quin ipſos pertinaciter ſtudio ſalutis ſuo reſtitiſſe valde

Matth. 23. dolenter queritur: *Quoties volui congregare filios tuos, vt gallina pullos ſub alas, & noluiſti?* Nam quod Lucas obſcurius dicit, *Ideo in parabolis loquor eis, vt videntes non videant, & audientes non intelligant:* quaſi eo fine & inſtituto, parabolicè & obſcurè loquatur, ne intelligatur, quod videtur inuidiæ potius eſſe quam beneuolentiæ officium, ſane Matthæus quomodo

Matth. 13. ſit accipiendum magis declarat, ita ponens: *Ideo in parabolis loquor eis quia videntes non vident, & audientes non audiunt neque intelligunt.* Vbi ſatis liquet Chriſtum oſtendere, culpam eſſe auditorum, non ſuam, quod

quod non videant, neque intelligant. Neque ſe obſcura ideo loqui, quod nolit intelligi, ſed quod auditores ita comparatos nouit, vt nollent intelligere. Itaque ea quæ parabolis edidit, ſi aperto ſermone proferret, nequaquam eſſent accepturi propter prauum mentis affectum, à veritate ſequenda alieniſſimum. Id Theophylactus animaduertit ſic ſcribens: *His autem qui indigni ſunt tantis myſterijs, obſcurè dicuntur. Videre enim ſe putant, non vident autem: & audiunt quidem ſed non intelligunt. Huius ergo gratia hoc eis Chriſtus abſcondit, ne maius eis præiudicium generetur, ſi poſtquam nouerint, Chriſti myſteria contempſerint. Qui enim intelligit & poſtea ſpernit, grauius punietur.* Theophylacto Beda conſentit, dicens: *Rectè in parabolis audiunt, quando clauſis ſenſibus cordis non curant cognoſcere veritatem.* Itaque culpa erat illorum, qui non idoneum audiendi ſtudium afferebant. Quibus diſcipuli erant profecto diſſimiles, ſincero animo veritati ſtudentes. Hoc Ioannes amplius declarat, cum ſcribit. *Cum tanta ſigna feciſſet Ieſus coram eis: non credebant in eum. Vt ſermo Eſaiæ impleretur quem dixit, Domine quis credidit auditui noſtro? & brachium Domini cui reuelatum eſt?* Et adiungit Ioannes. *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Iſaias, Excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum: vt non videant oculis, & non intelligant corde, & conuertantur & ſanem eos.* Non poſſe credere dicit, quod fidei reſiſtat prauus affectus & peruicax, quo perdurante credere impoſſibile ſit, ſed permanendi, malitia cauſa eſt, non neceſſitas. Nam quod Deum excæcaſſe iſtos & obduraſſe ponit, vt recidere in Deum cauſa videatur, notum eſt Theoligicis literis, quemadmodum Deus excæcare & obdurare dicatur, nequaquam efficiendo aut iuuando aut impellendo in peccatum, ſed iuſto iudicio voluntarium hominis malum permanere ſinendo.

Theophyl. in expoſit. Euangelij.

Beda in expoſit. Euang.

Ioan 12.

Eſa. 53.

Eſa. 6.

Poſtre-

5. Mirus parabolarum Euangelicarum vſus.

Poſtremo quod parabolis Chriſtus vteretur crebrò cum plebe agens, erat beneficentię, erat ſapientiæ, erat etiam cuiuſdam, quod negare non poſſumus, iuſtæ ſeueritatis. Quæ omnia conſiderare pluriмum refert. Habet enim id apprime parabola, vt ampliſſimè doceat, vt breuibus plurima complectatur. Habet nihilominus, vt inuolutam veritatem ita dicat, inuolucra ipſa vt non penetranti, nihil dicat. Ita vno eodemque ſermone alij intelligentes docentur plurima, alij rei ſignificatæ inſcij, nihil omnino percipiunt. Rectè D Ambroſius: *Dominus Iudæis in parabola loquebatur, vt imperiti non intelligerent, intelligerent ſapientes, vt intelligebant Apoſtoli, & in quo mouebantur, interrogabant Dominum. Iudæi autem nec intelligebant, nec iterum diſcere non intellecta cupiebant.* Atque ad noſtræ intelligentiæ modum, eſt ſanè perquam accommodatus vſus parabolarum, cum cognitio omnis noſtra naturaliter à ſenſibilibus ad intelligibilia procedat, ex notis ignota rimetur. Quod non modò autores & noſtri & externi confirmant, Ariſtoteles, ac Dionyſius Areopagita, ſed etiam vſus ipſe quotidianus planum facit. Fuit igitur beneficentiæ, rude vulgus ſermone ad noſtrum intelligendi modum accommodato parabolis alloqui, & eorum qui audiebant ſciendi ſtudium ex rebus ſenſibilibus & vſitatis excitare, atque ad cæleſtia transferre. Nam vt Victor ait Antiochenus: *Parabola ſermonem illuſtriorem reddit, & auditorum memoriæ altius imprimit res per ſimilitudines ſenſibus quodammodo ſubijciens.* Quod ſi hi auditores forent, quos oportebat, quod fecerunt diſcipuli, facerent, vt interrogarent, vt obſcura illucere ſibi depoſcerent. Impertiſſet ſanè bonus magiſter ſtudioſos auditores veritatis clara diligentia. Sed illi & audiebant, & non audiebant, aure externa ſenſus aderant, mentis ſtudio aberant. Quare Dei ſapien-

Ambroſ. in expoſit. Pſalm. 43.

Ariſtot. 3. de Anima.
Dionyſ. c. 7. de diuinis nominibus.

Victor. in Marc. c. 4.

ſapientia par pari referens, & loquebatur, & non loquebatur. Et veritatem annuntiabat, & integumentis ſimilitudinum occultabat. Quod erat ſapientiæ, ne margaritæ canibus darentur, & ijs quibus veritas innoteſcebat, parabolis ipſis longe locupletior & luculentior cognitio offerebatur. Ob eam rem Pſalmus canit: *Aperiam in parabolis os meum, loquar propoſitiones ab initio mundi*: Quod Matthæus referens, addit: *Eructabo abſcondita à conſtitutione mundi.* Quare ſapientiæ diuinæ opes in Euangelicis parabolis elucent maximè, quæ paucis ſimplicibuſque verbis ſenſus habent reconditos & plurimos & præſtantiſſimos. Tandem ſeueritatis non mediocris etiam erat per parabolas alloqui auditores indignos, & ineptos nudæ veritati perſpiciendæ. Nam qui non id ſtudij afferunt ad audiendum Dei verbum quod decet, non reuerenter, non cupidè, non diligenter auſcultant, eos tanquam agri partem inutilem & alienam ſemen præterit ſine vllo aut exiguo fructu. Qui vero vt opus eſt, accedunt religioſe ac deuotè, lucrum faciunt vberrimum. Quare ſerio nos Apoſtolus cohortatur his verbis: *Propterea abundantius oportet obſeruare nos ea quæ audimus: ne forte pereffluamus. Si enim qui per Angelos dictus eſt, ſermo factus eſt firmus, & omnis præuaricatio & inobedientia, accepit iuſtam mercedis retributionem, quomodo nos effugiemus, ſi tantam neglexerimus ſalutem?* Hæc quidem Paulus, quibus nos Christianos vehementer terret, ne beneficium Dei ſummum per noſtram ignauiam in extremam nobis perniciem vertamus. Quare attendite, fratres, quemadmodum ſacras conciones audiatis? quemadmodum diuina myſteria frequentetis, quemadmodum ad exomologeſim & ſinaxim cæleſtem accedatis. Ne vobis fortè eueniat, quod dictum à Chriſto eſt. *Habenti dabitur: ei autem qui non habet, & quod videtur*

Pſalm. 77.

Matth. 13.

Heb. 2.

Matth. 13.

habe-

habere, auferetur ab eo. Videtis fidem etiam apud quoſdam exciſam atque euerſam, cur? quod ſolo Chriſtiano nomine gloriarentur, facta nequaquam fidei paria curarent. Itaque quod videbantur habere, id etiam ablatum iure eſt, vt fidem quam gerebant mortuam, nullam omnino iam habeant. Graue atque horrendum vindictæ genus. Quod ſi, qua potiſſimum mente audire de beatis atque ad Deum accedere, ſcire cupitis, ſcripturam potius audite, quam me: *Fili à iuuentute excipe doctrinam, & vſque ad canos ſapientiam. Quaſi is qui arat, & qui ſeminat, accede ad illam, & ſuſtine bonos fructus illius.* Aratro proſcindi terram pectoris oportet, vt verbi Dei ſemina conuenienter excipiat: acceptam verò ſementem diligenter conſeruate, vſque dum in frugem optatam ſurgat, & ad meſſem maturam perueniat, quod diuturna patientia fit.

Eccli. 6.

IN EADEM DOMINICA, CONCIO TERTIA.

Et dum ſeminat, aliud cecidit ſecus viam, &c. Luc. 8.

1. Quadruplex conditio eorum, qui Dei verbum audiunt.

CREDO vos animaduertiſſe fratres, omnem diuini verbi auditorum frequentiam in quatuor à Chriſto Domino partes eſſe diſtributam. Cum enim ſemen declaraſſet eſſe verbum Dei, tres eius partes periiſſe docuit diuerſa quidem, ſed iniqua conditione accipientium. Quartam frugiferam & benè comparatam fructus tuliſſe vberrimos. Quare niſi nos fallit Dei ſermo, omnes quicunque hic adeſtis, qui ad audiendum diuinum verbum conueniſtis, in aliqua certè illarum quatuor

ſorte vos conſiſtere, cogitetis neceſſe eſt. Quæ quidem cogitatio quam ſit vtilis, quam ſalutaris, non poteſt ſatis dici. Nam vel in eorum numero ſit quiſque veſtrum oportet, quibus ſemen eſt illatum ſine fructu, quod tribus modis accidere poſſe Saluator declarat, vel ad agri partem fertilem ac beatam pertinebit, quæ cumulatè ſementi diuinæ ſatisfecit. Atque vt rem primis initijs ductam ſub oculos ponam, illud primum explicandum arbitror, varium atque multiplicem eſſe ſtatum frugum: ſed quatuor habere tanquam gradus præcipuos, quibus ex imo itur ad ſummum. Primus ſeminis eſt nudi, cum granum terræ mandatur. Secundus cum iam à terra conceptum ſemen radices agit, & germinat herbæ quippiam. Huic ſuccedit tertius, cum ſurgit in culmum, & ſpicam proferre incipit. Summus demum is eſt, cum ſpica impletur ac matureſcit, quæ nihil aliud iam requirit, quam falcem. Itaque conſiderare licet granum, herbam, culmum, ſpicam. Similibus ſane gradibus verbum Dei mentibus commiſſum noſtris ex tenui principio ad exitum feliciſſimum peruenit, paulatimque conualeſcit, vſque dum quod opus eſt proficiat, votiſque reſpondeat. Neque meum hoc inuentum cogitationemque exiſtimate, ſed ipſius Domini potiùs ſententiam cognoſcite, cuius apud Marcum verba ſic habent: *Sic eſt verbum Dei, quemadmodum ſi homo iaciat ſementem in terram, & dormiat, & exurgat nocte & die, & ſemen germinet & increſcat, dum neſcit ille. Vltro enim terra fructificat primum herbam, deinde ſpicam, deinde plenum frumentum in ſpica.* Hæc Marcus vel potius Chriſtus. Itaque poteſtis deprehendere multiplicem virtutis ſtatum, vt herbæ ſimilis primum, mox culmo ſpicam parturienti, tandem frumento pleno maturoque. Tunc ſcilicet gaudium eſt integrum: vſque eo in- *Marc. 4.*

ter ſpem ac metum verſatur agricola: multaque poſſunt accidere incommoda, quæ frugem exoptatam interimant. Sapienter hæc eadem Gregorius Papa demonſtrat memoratum Euangelij locum tractans: *Ecce, inquit, veritatis voce per qualitates frugum diſtincta ſunt incrementa meritorum. Ait enim primum herbam, deinde ſpicam, deinde plenum frumentum in ſpica. An non adhuc herba tunc fuerat Petrus, cum ab ancillæ ore ſubito vnius flatu ſermonis inflexus eſt? iam quidem per deuotionem viridis, ſed adhuc per infirmitatem tener? Plenum verò frumentum in ſpica inuentus eſt, quando in tritura perſecutionis tot verbera pertulit, & tamen nequaquam palearum more immutatus eſt: ſed granum integrum manſit. Paulisper quippe in vnaquaque anima, vt ita dicam, internæ gratiæ humor exuberat, vt herba in frugem tranſeat.* Sunt igitur gradus quidam Euangelicæ frugis. Ac ſunt propria cuiuſque horum ſtatus pericula, quibus fit, vt fructus impediatur: quæ quidem præclarè præſens parabola enarrat. Eſtque ſcitu digniſſima, quam proinde Dominus non ſolum proponere, ſed exponere etiam voluit. Noſtra verò plurimum refert hoſce ſingulos ſtatus cognoſcere, & quæ cuique impedimenta contingant, probe noſſe, tum quibus ex cauſis ea damna veniant, accuratiſſimè diſcere. Omnia hæc doctrina Euangelica copioſè præſtat.

Greg. lib. 22. moral. c. 20. & in Ezech. homil. 15.

Ergo, inquit, *Dum ſeminat, aliud cecidit ſecus viam, & conculcatum eſt, & volucres cæli comederunt illud.* Hoc genus detrimenti Chriſtus explicans ait: *Qui autem ſecus viam, hi ſunt qui audiunt, deinde venit diabolus, & tollit verbum de corde eorum, ne credentes ſalui fiant.* Primum detrimentum accipit ſemen, cum adhuc purum ſemen eſt, quod granum integrum perditur, in via vel conculcatum à viatoribus, vel ereptum ab auibus. Significat autem eos auditores, qui nihil percipiunt, nihil intelligunt, neque iis quæ

2. Primum genus auditorum, quibus nihil confert verbum Dei.

quæ dicuntur attendunt. Matthæus apertius dixit de his: *Omnis qui audit verbum regni & non intelligit, venit malus & rapit, quod ſeminatum eſt in corde eius. Hic eſt qui ſecus viam ſeminatus eſt.* Iſtius generis auditores ego eſſe plurimos puto: qui nihil pene aliud ad concionem afferunt, quam aures & oculos: mentem atque animum minimè afferunt, ſed in re familiari, aut in negotio, vel etiam in meris nugis defixum reliquerunt. Atque vtinam vel aures interdum afferret, quas fabellis inuſitantium etiam in Eccleſia ſæpe accommodant. Vtinam oculos ſaltem orationi præberent, quos deflectunt crebro formis fœminarum contuendis. Iſti æquè in ſacram concionem atque in comœdiam ſe conferunt: pari obſeruatione quadrageſimam frequentant, ac bachanalia agunt. Nihil in eccleſia niſi quod delectet & voluptatem teneat, requirunt. Concionem ad aurium dulcedinem perinde quaſi mimicum quippiam auſcultant. In iſtos Deus apud Ezechielem verba facit, quorum ſtudium inane deſcribit in hunc modum: *Filij populi tui qui loquuntur de te iuxta muros, & in oſtijs domorum, & dicunt vnus ad alterum, vir ad proximum ſuum loquentes: Venite & audiamus, quis ſit ſermo egrediens à Domino. Et veniunt ad te quaſi ingrediatur populus, & ſedent coram te populus meus: & audiunt ſermones tuos, & non faciunt eos, quia in canticum oris ſui vertunt illos, & auaritiam ſuam ſequitur cor eorum. Et eſt eis quaſi carmen muſicum, quod ſuaui dulcique ſono canitur: & audiunt verba tua & non faciunt ea.* En auditorum genus plus ſatis vſitatum: en qua mente & cogitatione plerique ad ſacras conciones veniant, quibus iucundum benedicentem audire oratorem, tanquam cytharæ dum aliquem animi cauſa dulce modulantem, quid interim ille canat, nihil ad ſe pertinere putantes. *Audiunt*, inquit, *ſermones tuos, & nō faciunt eos: quia in cãti-*

Ezech.33.

cum oris ſui vertunt illos, & auaritiam ſequitur cor eorum. Concionantem quidem attente audiunt, applauduntque bene & diſertè dicenti, diſputant etiam libenter, quam illud vel illud acutè, quam eleganter, quam eruditè ſit dictum. Cæterum quid ipſis inde agere conueniat, mentio nulla, ſequitur nimirum auaritiam cor eorum. Negotijs ſuis & quæſtui & ambitioni æquè audita concione vacant, ac cum è ſpectaculis theatri domum redeunt. Ezechielis memoratum teſtimonium Hieronymus tractans hæc loquitur: *Qui Prophetæ verba audire deſiderant non ad animæ ſalutem, ſed ad aurium voluptatem. Et nolunt facere quod audierunt. Iſtiuſmodi mihi videntur ſimiles, qui theatralibus luduntur carminibus, & vel tragœdos audiunt vel comœdos, & ibi cum voluptate palpantur: ita vt cum egreſſi fuerint ad te replicent ea & decantent, & dulci ſono ſe decipiant. Et audient, inquit, verba tua, & non facient ea. Tales ſunt vſque hodie multi in Eccleſijs, qui aiunt, Venite audiamus illum & illum, mira eloquentia prædicationis ſuæ verba voluentem, plauſuque commouent, & iactant manus.* Hæc Hieronymus. Hoc genus hominum facile, leue, ſpecie tenus Chriſtianum, Chriſtus notat egregiè vocabulo viæ. *Cecidit*, inquit, *ſecus viam.* Omnibus æquè via patet, & bonis, & malis, ſapientium & ſtultorum diſcrimen nullum, nulla ratio quis honeſtè ingrediatur, quis turpiter: omnium enim eſt via. Eam ſtultam turpemque facilitatem ſeſe cuiuis libidini dantium Propheta meretricis in biuio poſitæ ſimilitudine reprehendit: *Ad omne*, inquit, *caput viæ diuiſiſti pedes tuos omni tranſeunti.* Rectè à Victore Antiocheno hoc genus hominum ſic viæ æquiparatur. *Anima*, inquit, *quæ inſtat viæ publicæ, ab omnis generis vitijs & flagitijs calcatur & præteritur*, & cætera. Quid igitur miramur granum hic nullum feciſſe fructum, ſimul enim atque iniectum

Hieron. lib. in Ezech. cap. 33.

Victor. in Marc. c. 4.

ctum eſt, pedibus viatorum calcatur: aues quoque vt diripiant, confeſtim aduolant. Hos auditores fidei expertes Chriſtus cenſet, non quod infideles eſſe neceſſe ſit, ſed quod perinde fidem accommodant dictis, quaſi nullam haberent fidem. Denique ludicrum quippiam & inane putant Dei verbum audire: quibus audire nihil prodeſt. *Neque enim profuit*, ait Paulus, *ſermo auditus, non admixtus fidei.* O vos qui hæc auditis miſeros, ſi eorum de grege eſtis. *Qui habet aures audiendi audiat.* Videat ſe quiſque penitus, vtrum ne ſermo diuinus aliquid frugis in animo ſuo profectat, an iaceat ſine vlla vi nihil excitans, nihil moliens. *Heb. 4.*

De iſto toto genere pronuntiauit Dominus, volucres cæli comediſſe illud. Quæ ſint eæ volucres, dæmones ſanè interpretatur Magiſter. Verè eſt à Gregorio dictum & commodè, niſi Chriſtus ipſe explicuiſſet, non facile nos aſſenſuros eiuſmodi interpretationi. Quis enim volucres cæli non præclarum aliquid & nobile accipiat? magis certè vel Angelos, vel viros ſapientia præſtantes videntur ſignificare, vti apud Iob eius verbi ſenſus eſt, cum dicit, *Volucres quoque cæli latet*: quocirca alas Cherubinis cæteriſque ſpiritibus Scriptura appingit, eoſque volare refert. At Scripturæ conſuetudo tenenda eſt probè, quæ ſæpenumerò eandem rem diuerſis ſignificationibus vel etiam contrariis accommodat. Sicut nobis accidit iiſdem notis & caracteribus ad res ſcribendas valde repugnantes vti. Itaque peritus diuinarum literarum facile videt leonem iam Chriſto, iam diabolo accommodari ouem, ſæpiſſime iuſtum manſuetumque dici, aliquando etiam impium ſupplicio datum. Ignem Spiritus ſancti ſymbolum eſſe conſtat: igni nihilominus libido turpiſſima exprimitur. Solem ad Dei claritudinem frequentiſſimè, eundem in *3. Cur dæmones dicantur volucres cæli.* *Greg. homil. 15. in Euangel.* *Iob 28.*

hodierna parabola ad æſtum perſecutionis referri perſpicuum eſt. Quibus exemplis, vt miſſa faciam innumera alia, docemur ſignificationes rerum in ſcriptura ſacra, non ex primo ſono verborum captandas, neque ſpeciem ſolam intuendam: ſed ex occultis potius proprietatibus, quatenus propoſito inſeruiunt, eruendas: vt earum rerum ſigna ſint, quas conditione vel bona vel mala propoſitæ ſententiæ accommodare ratio penitus inſpecta perſuadet. Igitur volucres cæli dæmones rectè intelliguntur, propterea quod illorum regio, in qua maximè verſantur, aëris iſtius eſt domicilium, ſiquidem Petro Lombardo Magiſtro, Theologiſque præſtantibus fides habenda eſt, vel potius Paulo ipſi ita ſcribenti: *Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus principes & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus.* Illa quidem verba: *tenebrarum harum, & ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus,* ſatis inſinuant habitationem dæmonum eſſe aërem caliginoſum, (quem cæli vocabulo ſæpe appellamus) quemadmodum commentatur Anſelmus, atque etiam ſentit Ambroſius ſic interpretans eum locum Pauli: *Spiritus nequiſſimi, qui degunt in cæleſtibus in firmamento mundi.* Antonium Athanaſius ſcribit ſpiritus iſtos improbos in aëre volitantes magno agmine aliquando ſpectaſſe. Vocantur præterea dæmones volucres, quod tanquam aues rapto viuentes, agant, ac celeritate incredibili ad prædam aduolent. Quem perniciem celeremque volatum Satanas declarat, cùm dicit, *Circuiui terram & perambulaui eam.* Neque verò vulturis alicuius exiſtit vel odoratus tam vehemens de longinquo, neque accurſus tam citus ad diripiendum cadauer, quam eſt dæmonum celeritas incredibilis, ſingularisque vigilantia, vt perniciem quaqua licet ho-

Magiſt. ſent. 2. d. 7. S. Thom. in epiſtol. ad Epheſ. cap. 6. lect. 3. vbi confirmat dæmones habitare in aëre caliginoſo hoc teſtimonio, quod volucres cæli vocantur. Anſelm. in expoſit. epiſt. ad Epheſ. Ambroſ. in epiſtol. ad Epheſ. Athanaſ. in vita Antonij. Iob 1.

cet hominibus afferant. Itaque iſtos edaces impuroſque vultures fœdè lacerantes miſeros homines Scriptura commemorat, cum narrat Angelum voce magna clamaſſe dicentem: *Omnibus auibus quæ volabant per medium cælum, Venite & congregamini, vt manducetis carnes Regum, & carnes tribunorum, & carnes fortium.* Denique rem abſoluit his verbis: *Et omnes aues ſaturatæ ſunt carnibus eorum.* Vim illam diabolicam cupidinemque nocendi, expleri ſignificat infinita clade miſerorum.

Nunc merito quæritur, quid ſit quod Chriſtus primam ſeminis iacturam & damnum dæmonibus tribuat. Num in alijs quoque duabus partibus ſe mentis amiſſæ vel petroſi ſoli ſterilitate, vel veprium & ſpinarum exorientium importunitate, diabolus partes ſuas non agit? num illic nocere quantum poteſt ceſſat? Ecquid igitur cauſæ eſt, quod prima viæ pernicies, diabolo aſſignatur? Magna quidem ratione prima illa detrimenta dæmonis opera accidere dicũtur, quod hominum nimirum eorum lenium ac ſtultorum, quos viæ vocabulum notat, diabolus tantam dominationem ſit conſecutus, vt eos nullo negotio quoquo libuerit vertat, à bono citiſſimè abducat, virtutis vt ſemen radices nullas agere ſinat. Prauis cogitationibus facile iſtos implet, & à ſalutaribus monitis auocat. Quare neque concio ſacra audita quicquam in iſtorũ mente cõſiſtit, neque caſus atrox ad pœnitentiam flectit, neque præclara exempla virtute præſtantium aliquid mouent. Cito hæc omnia quæ alios excitare ſolent, præteruehuntur: nihil ſanum, nihil dignum laude eos tenet. *Venit diabolus,* inquit, *& tollit de corde eorum, ne credentes ſalui fiant.* Eum miſerum & calamitoſum ſtatum quorundam, qui in diaboli poteſtate penitus ſunt, Apoſtolus Paulus oſtendit mirificè cùm ſcribit: *Quod ſi Euangelium noſtrum eſt opertum,* *2. Cor. 4.*

4. Cur diabolo tribuatur iactura primę ſementis cadentis in viam.

in ijs qui pereunt eſt opertum, in quibus Deus huius ſeculi excæcauit mentes infidelium, vt non fulgeat illis illuminatio Euangelij pacis. Deum huius ſeculi, tametſi propter hæreticos Deum malum inducentes id recuſet ſanctus Irenæus, tamen à Paulo vocari diabolum rectè Hieronymus Auguſtinusque ſentiunt: quem huius ſeculi Deum pro ampliſſima ſua poteſtate in homines impios ac ſceleratos, lumen omne detrahere, & tenebras multas effundere, ne ſplendidiſſimum Dei verbum oculis affulgeat, quod hic Saluator ait, rapaces aues ſemen auferre. Iſtorum quam ſit infelix ſtatus, quam difficilis ſalus, quam certa & immenſa pernicies, quid me attinet dicere? vos diligentius cogitate.

Irenæus. *Aug. lib. 21. contra Fauſt. c. 9. circa medium.* *Hieronym. in 2. Corint. 4.*

5. Secũdum genus auditorum, qui cito conceptum virtutis amorem deponunt.

Iam ſecundum genus eſt eorum qui bona agere incipiunt, ſed facile ab incepto reuocantur: in quibus ſemen quidem diuinum deſideria vitæ melioris parturit, & nihil proficit: ſed infirmas radices agit, ſoli conditione macri impeditum. Itaque exorta difficultate, & iniuria grauiori obiecta, marceſcit quidquid herbæ erat productum, & cito concidit. Quem hominum ſtatum virtutis exiguas radices ponentium deſcribere mihi videntur illi apud Iob verſus: *Humectus videtur, antequam veniat Sol: & in ortu ſuo germen illius egredietur ſuper aceruum petrarum, radices eius denſabuntur, & inter lapides commorabitur.* Iſtos igitur qui ad ſuperficiem virtuti vacant, qui nonnullam ſpeciem frugis bonę preferunt, ſed non penitus hęrent incepto, petroſę terræ ſimiles perhibet Euangelium, quod Dei motionem tantiſper recipiant, ſed duri ſaxoſique aut natura aut conſuetudine, ſe totos diuinæ actioni minimè tradunt. Itaque vt primum honoris exiſtimationisque iactura ſubeunda eſt aliqua, aut contradicentium obtrectantiumq; maledictis laceſſi ſe vident, aut aſperiora quam putarant, virtutis exercitamenta ſentiunt, ſtatim

Iob 8.

ſtatim cedunt, omniſque illa tanquam virtutis herba flacceſſit, exareſcit, intercidit: *Filij Ephraim intendentes & mittentes arcum conuerſi ſunt in die belli*. Nequaquam eiuſmodi milites probat Deus, delicatos, meticuloſos, imbecilles: ſed robuſtos atque conſtantes, qui regno cælorum cætera cuncta poſthabeant. *Regnum enim cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*. Et, *Nemo mittens manum ad aratrum, & reſpiciens retro, aptus eſt regno Dei*. Cuius eſt rei locuples teſtis illa vxor Loth retro in Sodomam ſpectans, & in ſalis ſtatuam illico conuerſa. Maſculos occidi Pharao iubebat, fœminas reſeruari: Deus contra ad militiæ ſuæ gloriam mares ſolos recenſeri volebat: quod vtrumque interpretatur Cyrillus, virili robore opus eſſe ad virtutem, molles & inconſtantes nihil curare diabolum. *Parum*, inquit Cyrillus, *de muliebri ſexu Pharao, id eſt, Satanas laborat. Mulier enim res eſt aliena à bello neque apta ſcientiæ. Maſculum verò affligit, vt ſapientem & bellicoſum*. Et poſt nonnulla: *Nos verò in flagranti fortitudinis amore magna animi conſtantia reſiſtamus, non ignorantes id quod inuiſum diabolo eſt Deo eſſe acceptum. Magni enim facit Deus ſuaque cura dignatur eos, qui à mollitie ſunt alieni*. Ita Cyrillus. Quare non eſt prætereundum illud, aut negligenter audiendum, quod ſolis æſtum Chriſtus dicit in cauſa eſſe, cur pereat ea portio ſementis, quæ in debilem terram cadit. Nam tentationis perſecutioniſque vim ſoli feruenti aſſimilare Scriptura ſolet. Sic Petrus Apoſtolus: *Chariſſimi nolite peregrinare in feruore, qui ad tentationem vobis fit*: quod ſtatim quo ſenſu dicat, exponit: *quaſi non aliquid vobis contingat, ſed communicantes Chriſti paſſionibus gaudete*. Vetat peregrinari, id eſt, de via recedere ob perſecutionis moleſtiã, tanquam res importuna ſit, cum potius Chriſti ſeruo debeat eſſe iucunda: quæ Chriſti ſimilem reddit, Sanctorumque omnium conſortem, atque vt

Pſal. 77. *Matth. 11.* *Matth. 9.* *Cyrill. li. 4. de adoratione in ſpiritu.* *1. Pet. 4.*

loquar hoc modo, concolorem. Ab huius æſtus mo-
Eſai. 25. leſtia liberat ſummus Pater cui canitur. *Factus es fortitudo pauperi, fortitudo egeno in tribulatione ſua; ſpes à turbine, vmbraculum ab æſtu*. Quo æſtu extabeſcere probos tradit Apocalypſis: quem etiam in patria illa cæleſtis minimè ſentit, de cuius ciui-
Apoc. 16. bus legimus: *Neque ſuper illos Sol aut vllus æſtus.*
Apoc. 7. Nam perſecutione & tribulatione marceſcere ſpiritum atq; exiccare, viroremque illum pietatis aboleri ſolere, vſque eo verum eſt, vt Dauid de ſe con-
Pſal. 118. fitearur. *Factus ſum ſicut vter in pruina.* Quid enim dici poteſt aridius vtre pruina multa durato? At mirum videri queat, quod tribulationi & perſecutioni Chriſtus tribuat eam ſeminis diuini calamitatem ac perniciem. Nam labore & ærumna virtus proficit Et ſcriptum eſt, *Per multas tribulationes opor-*
Actor. 14. *tet nos introire in regnum Dei.* Et reuera ſic eſt. Neq; poteſt ſemen pullulare & creſcere, & ad idoneam ſegetem perduci, niſi multo ſolis feruore, eamque ob rem Iacobus nos cohortatur, Omne gaudiū exiſtimare cum in tentationes varias inciderimus, *ſcientes*
Iacob. 1. *quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem opus perfectum habeat*, ſed intereſt plurimum quando, cui, quantæ tribulationes eueniant. Nam ſi viribus infirmis grauiores ærumnæ ſint ſubeundæ, actum erit: qui radices adhuc egit infirmas, qui ſolum germinis primi virorem præfert, non poteſt is æſtum grauiorem diuturnioremq; pati ſine magno dāno, ſūt multi virtuti perexigua, de quib. dictū accipias.
Pſal. 128. *Sicut fœnum tectarum quod prius quam euellatur, exaruit.* Id autem diſpenſare pertinet ſane ad diuinæ ſapiētiæ prouidentiam, quæ quid cuique ferendum ſit, ſumma æquitate conſtituit, neque permittit tentari quenquam ſupra id quod poteſt. Verum ſuperbia hominum de ſe maiora iuſto ſentientiū, tentationes maiores prouocat in ſe, vt ipſa ruina quā fragili ſtaret

ſtaret gradu cognoſcant. Eſt etiam ſtultitia hominũ ea, vt ſe in maiora conijciat pericula, quam pro viribus ſuis. Quare

Metiri ſe quenque ſuo modulo ac pede verum eſt. vt dixit quidam poeta, tentet prius, *Horatius.*

Qui valeant humeri, quid ferre recuſent.

Qui enim amat periculum, in eo peribit. Poſtulet quotidie humili confeſſione, *Ne nos inducas in tentationem.* *Eccleſ. 3.* Eodem ſane ſolis æſtu & altis radicibus poſita ſtirps creſcit, matureſcit, perficitur, & herba imbecilla exareſcit, aboletur, extinguitur,. Neque eſt in Dei prouidentiam culpa conijcienda, quaſi grauiora quam pro viribus offerat diſcrimina, ſed hominis eſt negligentia & mollities accuſanda, quæ neque acceptis viribus non poteſt, vtitur, neque ampliores cum liceat impetrare admodum flagitat. Interim documento nobis Apoſtoli ſint, qui cum eſſent teneri & imbecilles, Iudæorum impetũ non tulerunt: ſed deſerto Chriſto ſeſe in effuſam fugam dederunt. Iidem mox dura pro Chriſto verbera non patienter modo, ſed etiam libenter iucundeque tulerunt. Quapropter Chriſtus eos vetuit ad certamen proſilire, vſque dum fortiori diuinitus armatura corroborati vim hoſtium ſuſtinere profligareque poſſent. *Vos autem*, inquit, *ſedete in ciuitate, donec induamini virtute ex alto.* *Luc. 24.* Parcant ergo tyrones ſibi, & ne acriora bella ſuſcipiant, quam eos deceant. Ne de illorum numero ſimus, prouidendum eſt, *qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt.* Omnes enim qui in Chriſto piè viuere volunt, ſi Paulo credendum eſt, perſecutionem patientur. *2. Timot. 3.* Præclarè verò eſt à magno Gregorio dictum: *Nemo quantum profecerit, niſi inter aduerſa cognoſcit, cum enim aſſunt proſpera, cerni virtutum documenta non poſſunt.* *Gregor. lib. 23. moraliũ cap. 27.* Atque hactenus duas ſementis diuinæ partes proſecuti ſumus:

reliquæ

ter ſpem ac metum verſatur agricola: multaque poſſunt accidere incommoda, quæ frugem exoptatam interimant. Sapienter hæc eadem Gregorius Papa demonſtrat memoratum Euangelij locum tractans: *Ecce, inquit, veritatis voce per qualitates frugum diſtincta ſunt incrementa meritorum. Ait enim primum herbam, deinde ſpicam, deinde plenum frumentum in ſpica. An non adhuc herba tunc fuerat Petrus, cum ab ancillæ ore ſubito vnius flatu ſermonis inflexus eſt? iam quidem per deuotionem viridis, ſed adhuc per infirmitatem tener? Plenum verò frumentum in ſpica inuentus eſt, quando in tritura perſecutionis tot verbera pertulit, & tamen nequaquam palearum more immutatus eſt: ſed granum integrum manſit. Pauliſper quippe in vnaquaque anima, vt ita dicam, internæ gratiæ humor exuberat, vt herba in frugem tranſeat.* Sunt igitur gradus quidam Euangelicæ frugis. Ac ſunt propria cuiuſque horum ſtatus pericula, quibus fit, vt fructus impediatur: quæ quidem præclarè præſens parabola enarrat. Eſtque ſcitu digniſſima, quam proinde Dominus non ſolum proponere, ſed exponere etiam voluit. Noſtra verò plurimum refert hoſce ſingulos ſtatus cognoſcere, & quæ cuique impedimenta contingant, probe noſſe, tum quibus ex cauſis ea damna veniant, accuratiſſimè diſcere. Omnia hæc doctrina Euangelica copioſè præſtat.

Greg. lib. 22. moral. c. 20. & in Ezech. homil. 15.

2. Primum genus auditorum, quibus nihil confert verbum Dei.

Ergo, inquit, *Dum ſeminat, aliud cecidit ſecus viam, & conculcatum eſt, & volucres cæli comederunt illud.* Hoc genus detrimenti Chriſtus explicans ait: *Qui autem ſecus viam, hi ſunt qui audiunt, deinde venit diabolus, & tollit verbum de corde eorum, ne credentes ſalui fiant.* Primum detrimentum accipit ſemen, cum adhuc purum ſemen eſt, quod granum integrum perditur, in via vel conculcatum à viatoribus, vel ereptum ab auibus. Significat autem eos auditores, qui nihil percipiunt, nihil intelligunt, neque ijs

quæ

quæ dicuntur attendunt. Matthæus apertius dixit de his: *Omnis qui audit verbum regni & non intelligit, venit malus & rapit, quod ſeminatum eſt in corde eius. Hic eſt qui ſecus viam ſeminatus eſt.* Iſtius generis auditores ego eſſe plurimos puto: qui nihil pene aliud ad concionem afferunt, quam aures & oculos: mentem atque animum minimè afferunt, ſed in re familiari, aut in negotio, vel etiam in meris nugis defixum reliquerunt. Atque vtinam vel aures interdum afferret, quas fabellis inuſitantium etiam in Eccleſia ſæpe accommodant. Vtinam oculos ſaltem orationi præberent, quos deflectunt crebro formis fœminarum contuendis. Iſti æquè in ſacram concionem atque in comœdiam ſe conferunt: pari obſeruatione quadrageſimam frequentant, ac bachanalia agunt. Nihil in eccleſia niſi quod delectet & voluptatem teneat, requirunt. Concionem ad aurium dulcedinem perinde quaſi mimicum quippiam auſcultant. In iſtos Deus apud Ezechielem verba facit, quorum ſtudium inane deſcribit in hunc modum: *Filij populi tui qui loquuntur de te iuxta muros, & in oſtijs domorum, & dicunt vnus ad alterum, vir ad proximum ſuum loquentes: Venite & audiamus, quis ſit ſermo egrediens à Domino. Et veniunt ad te quaſi ingrediatur populus, & ſedent coram te populus meus: & audiunt ſermones tuos, & non faciunt eos, quia in canticum oris ſui vertunt illos, & auaritiam ſuam ſequitur cor eorum. Et eſt eis quaſi carmen muſicum, quod ſuaui dulcique ſono canitur: & audiunt verba tua & non faciunt ea.* Ezech. 33. En auditorum genus plus ſatis vſitatum: en qua mente & cogitatione plerique ad ſacras conciones veniant, quibus iucundum benedicentem audire oratorem, tanquam cytharæ dum aliquem animi cauſa dulce modulantem, quid interim ille canat, nihil ad ſe pertinere putantes. *Audiunt,* inquit, *ſermones tuos, & nō faciunt eos: quia in cāti-*

cum oris ſui vertunt illos, & auaritiam ſequitur cor eorum. Concionantem quidem attente audiunt, applauduntque bene & diſertè dicenti, diſputant etiam libenter, quam illud vel illud acutè, quam eleganter, quam eruditè ſit dictum. Cæterum quid ipſis inde agere conueniat, mentio nulla, ſequitur nimirum auaritiam cor eorum. Negotijs ſuis & quæſtui & ambitioni æquè audita concione vacant, ac cum è ſpectaculis theatri domum redeunt. Ezechielis memoratum teſtimonium Hieronymus tractans hæc loquitur: *Qui Prophetæ verba audire deſiderant non ad animæ ſalutem, ſed ad aurium voluptatem. Et nolunt facere quod audierunt. Iſtiuſmodi mihi videntur ſimiles, qui theatralibus luduntur carminibus, & vel tragœdos audiunt vel comœdos, & ibi cum voluptate palpantur: ita vt cum egreſſi fuerint ad te replicent ea & decantent, & dulci ſono ſe decipiant. Et audient, inquit, verba tua, & non facient ea. Tales ſunt vſque hodie multi in Eccleſijs, qui aiunt, Venite audiamus illum & illum, mira eloquentia prædicationis ſuæ verba voluentem, plauſuſque commouent, & iactant manus.* Hæc Hieronymus. Hoc genus hominum facile, leue, ſpecie tenus Chriſtianum, Chriſtus notat egregiè vocabulo viæ. *Cecidit*, inquit, *ſecus viam.* Omnibus æquè via patet, & bonis, & malis, ſapientium & ſtultorum diſcrimen nullum, nulla ratio quis honeſtè ingrediatur, quis turpiter: omnium enim eſt via. Eam ſtultam turpemque facilitatem ſeſe cuiuis libidini dantium Propheta meretricis in biuio poſitæ ſimilitudine reprehendit: *Ad omne*, inquit, *caput viæ diuiſiſti pedes tuos omni tranſeunti.* Rectè à Victore Antiocheno hoc genus hominum ſic viæ æquiparatur. *Anima*, inquit, *quæ inſtat viæ publicæ, ab omnis generis vitijs & flagitijs calcatur & prateritur*, & cætera. Quid igitur miramur granum hic nullum feciſſe fructum, ſimul enim atque iniectum

Hieron. lib. in Ezech. cap. 33.

Victor. in Marc. c. 4.

ctum eſt, pedibus viatorum calcatur: aues quoque vt diripiant, confeſtim aduolant. Hos auditores fidei expertes Chriſtus cenſet, non quod infideles eſſe neceſſe ſit, ſed quod perinde fidem accommodant dictis, quaſi nullam haberent fidem. Denique ludicrum quippiam & inane putant Dei verbum audire: quibus audire nihil prodeſt. *Neque enim profuit*, ait Paulus, *ſermo auditus, non admixtus fidei.* O vos qui hæc auditis miſeros, ſi eorum de grege eſtis. *Qui habet aures audiendi audiat.* Videat ſe quiſque penitus, vtrum ne ſermo diuinus aliquid frugis in animo ſuo profetat, an iaceat ſine vlla vi nihil excitans, nihil moliens. *Heb. 4.*

De iſto toto genere pronuntiauit Dominus, volucres cæli comediſſe illud. Quæ ſint eæ volucres, dæmones ſanè interpretatur Magiſter. Verè eſt à Gregorio dictum & commodè, niſi Chriſtus ipſe explicuiſſet, non facile nos aſſenſuros eiuſmodi interpretationi. Quis enim volucres cæli non præclarum aliquid & nobile accipiat? magis certè vel Angelos, vel viros ſapientia præſtantes videntur ſignificare, vti apud Iob eius verbi ſenſus eſt, cum dicit, *Volucres quoque cæli latet*: quocirca alas Cherubinis cæteriſque ſpiritibus Scriptura appingit, eoſque volare refert. At Scripturæ conſuetudo tenenda eſt probè, quæ ſæpenumerò eandem rem diuerſis ſignificationibus vel etiam contrariis accommodat. Sicut nobis accidit iiſdem notis & caracteribus ad res ſcribendas valde repugnantes vti. Itaque peritus diuinarum literarum facile videt leonem iam Chriſto, iam diabolo accommodari ouem, ſæpiſſime iuſtum manſuetumque dici, aliquando etiam impium ſupplicio datum. Ignem Spiritus ſancti ſymbolum eſſe conſtat: igni nihilominus libido turpiſſima exprimitur. Solem ad Dei claritudinem frequentiſſimè, eundem in

3. Cur dæmones dicantur volucres cæli. *Greg. homil. 15 in Euangel.* *Iob 28.*

hodierna parabola ad æſtum perſecutionis referri perſpicuum eſt. Quibus exemplis, vt miſſa faciam innumera alia, docemur ſignificationes rerum in ſcriptura ſacra, non ex primo ſono verborum captandas, neque ſpeciem ſolam intuendam: ſed ex occultis potius proprietatibus, quatenus propoſito inſeruiunt, eruendas: vt earum rerum ſigna ſint, quas conditione vel bona vel mala propoſitæ ſententiæ accommodare ratio penitus inſpecta perſuadet. Igitur volucres cæli dæmones rectè intelliguntur, propterea quod illorum regio, in qua maximè verſantur, aëris iſtius eſt domicilium, ſiquidem Petro Lombardo Magiſtro, Theologiſque præſtantibus fides habenda eſt, vel potius Paulo ipſi ita ſcribenti: *Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus principes & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus.* Illa quidem verba: *tenebrarum harum, & ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus,* ſatis inſinuant habitationem dæmonum eſſe aërem caliginoſum, (quem cæli vocabulo ſæpe appellamus) quemadmodum commentatur Anſelmus, atque etiam ſentit Ambroſius ſic interpretans eum locum Pauli: *Spiritus nequiſſimi, qui degunt in cæleſtibus in firmamento mundi.* Antonium Athanaſius ſcribit ſpiritus iſtos improbos in aëre volitantes magno agmine aliquando ſpectaſſe. Vocantur præterea dæmones volucres, quod tanquam aues rapto viuentes, agant, ac celeritate incredibili ad prædam aduolent. Quem perniciem celeremque volatum Satanas declarat, cùm dicit, *Circuiui terram & perambulaui eam.* Neque verò vulturis alicuius exiſtit vel odoratus tam vehemens de longinquo, neque accurſus tam citus ad diripiendum cadauer, quam eſt dæmonum celeritas incredibilis, ſingularisque vigilantia, vt perniciem quaqua licet ho-

Magiſt. ſent. 2. d. 7. S. Thom. in epiſtol. ad Epheſ. cap. 6. lect. 3. vbi confirmat dæmones habitare in aëre caliginoſo hoc teſtimonio, quod volucres cæli vocantur. Anſelm. in expoſit. epiſt. ad Epheſ. Ambroſ. in epiſtol. ad Epheſ. Athanaſ. in vita Antonij. Iob 1.

cet hominibus afferant. Itaque iſtos edaces impuroſque vultures fœdè lacerantes miſeros homines Scriptura commemorat, cum narrat Angelum voce magna clamaſſe dicentem: *Omnibus auibus quæ volabant per medium cælum, Venite & congregamini, vt manducetis carnes Regum, & carnes tribunorum, & carnes fortium.* Denique rem abſoluit his verbis: *Et omnes aues ſaturatæ ſunt carnibus eorum.* Vim illam diabolicam cupidinemque nocendi, expleri ſignificat infinita clade miſerorum.

Nunc merito quæritur, quid ſit quod Chriſtus primam ſeminis iacturam & damnum dæmonibus tribuat. Num in aliis quoque duabus partibus ſementis amiſſæ vel petroſi ſoli ſterilitate, vel vepriũ & ſpinarum exorientium importunitate, diabolus partes ſuas non agit? num illic nocere quantum poteſt ceſſat? Ecquid igitur cauſæ eſt, quod prima viæ pernicies, diabolo aſſignatur? Magna quidem ratione prima illa detrimenta dæmonis opera accidere dicũtur, quod hominum nimirum eorum lenium ac ſtultorum, quos viæ vocabulum notat, diabolus tantam dominationem ſit conſecutus, vt eos nullo negotio quoquo libuerit vertat, à bono citiſſimè abducat, virtutis vt ſemen radices nullas agere ſinat. Prauis cogitationibus facile iſtos implet, & à ſalutaribus monitis auocat. Quare neque concio ſacra audita quicquam in iſtorũ mente cõſiſtit, neque caſus atrox ad pœnitentiam flectit, neque præclara exempla virtute præſtantium aliquid mouent. Cito hæc omnia quæ alios excitare ſolent, prætereuehuntur: nihil ſanum, nihil dignum laude eos tenet. *Venit diabolus,* inquit, *& tollit de corde eorum, ne credentes ſalui fiant.* Eum miſerum & calamitoſum ſtatum quorundam, qui in diaboli poteſtate penitus ſunt, Apoſtolus Paulus oſtendit mirificè cùm ſcribit: *Quod ſi Euangelium noſtrum eſt opertum,* 2. Cor. 4.

4. Cur diabolo tribuatur iactura primę ſementis cadentis in viam.

in ijs qui pereunt eſt opertum, in quibus Deus huius ſeculi excæcauit mentes infidelium, vt non fulgeat illis illuminatio Euangelij pacis. Deum huius ſeculi, tametſi propter hæreticos Deum malum inducentes id recuſet
Irenæus. ſanctus Irenæus, tamen à Paulo vocari diabolum
Aug. lib. 21. rectè Hieronymus Auguſtinusque ſentiunt: quem
contra Fauſt. huius ſeculi Deum pro ampliſſima ſua poteſtate in
c. 9. circa homines impios ac ſceleratos, lumen omne detra-
medium. here, & tenebras multas effundere, ne ſplendidiſſi-
Hieronym. in mum Dei verbum oculis affulgeat, quod hic Salua-
2. Corint. 4. tor ait, rapaces aues ſemen auferre. Iſtorum quam ſit infelix ſtatus, quam difficilis ſalus, quam certa & immenſa pernicies, quid me attinet dicere? vos diligentius cogitate.

5. Secũdum genus auditorum, qui cito conceptum virtutis amorem deponunt.

Iam ſecundum genus eſt eorum qui bona agere incipiunt, ſed facile ab incepto reuocantur: in quibus ſemen quidem diuinum deſideria vitæ melioris parturit, & nihil proficit: ſed infirmas radices agit, ſoli conditione macri impeditum. Itaque exorta difficultate, & iniuria grauiori obiecta, marceſcit quidquid herbæ erat productum, & cito concidit. Quem hominum ſtatum virtutis exiguas radices ponentium deſcribere mihi videntur illi apud Iob
Iob 8. verſus: *Humectus videtur, antequam veniat Sol: & in ortu ſuo germen illius egredietur ſuper aceruum petrarum, radices eius denſabuntur, & inter lapides commorabitur.* Iſtos igitur qui ad ſuperficiem virtuti vacant, qui nonnullam ſpeciem frugis bonę pręferunt, ſed non penitus hęrent incepto, petroſę terræ ſimiles perhibet Euangelium, quod Dei motionem tantiſper recipiant, ſed duri ſaxoſique aut natura aut conſuetudine, ſe totos diuinæ actioni minimè tradunt. Itaque vt primum honoris exiſtimationisque iactura ſubeunda eſt aliqua, aut contradicentium obtrectantiumq; maledictis laceſſi ſe vident, aut aſperiora quam putarant, virtutis exercitamenta ſentiunt,

ſtatim

ſtatim cedunt, omniſque illa tanquam virtutis herba flacceſſit, exareſcit, intercidit: *Filij Ephraim intendentes & mittentes arcum conuerſi ſunt in die belli*. Nequaquam eiuſmodi milites probat Deus, delicatos, meticuloſos, imbecilles: ſed robuſtos atque conſtantes, qui regno cælorum cætera cuncta poſthabeant. *Regnum enim cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*. Et, *Nemo mittens manum ad aratrum, & reſpiciens retro, aptus eſt regno Dei*. Cuius eſt rei locuples teſtis illa vxor Loth retro in Sodomam ſpectans, & in ſalis ſtatuam illico conuerſa. Maſculos occidi Pharao iubebat, fœminas reſeruari: Deus contra ad militiæ ſuæ gloriam mares ſolos recenſeri volebat: quod vtrumque interpretatur Cyrillus, virili robore opus eſſe ad virtutem, molles & inconſtantes nihil curare diabolum. *Parum*, inquit Cyrillus, *de muliebri ſexu Pharao, id eſt, Satanas laborat. Mulier enim res eſt aliena à bello neque apta ſcientiæ. Maſculum verò affligit, vt ſapientem & bellicoſum*. Et poſt nonnulla: *Nos verò in flagranti fortitudinis amore magna animi conſtantia reſiſtamus, non ignorantes id quod inuiſum diabolo eſt Deo eſſe acceptum. Magni enim facit Deus ſuaque cura dignatur eos, qui à mollitie ſunt alieni*. Ita Cyrillus. Quare non eſt prætereundum illud, aut negligenter audiendum, quod ſolis æſtum Chriſtus dicit in cauſa eſſe, cur pereat ea portio ſementis, quæ in debilem terram cadit. Nam tentationis perſecutioniſque vim ſoli feruenti aſſimilare Scriptura ſolet. Sic Petrus Apoſtolus: *Chariſſimi nolite peregrinari in feruore, qui ad tentationem vobis fit*: quod ſtatim quo ſenſu dicat, exponit: *quaſi non aliquid vobis contingat, ſed communicantes Chriſti paſſionibus gaudete*. Vetat peregrinari, id eſt, de via recedere ob perſecutionis moleſtiã, tanquam res importuna ſit, cum potius Chriſti ſeruo debeat eſſe iucunda: quæ Chriſti ſimilem reddit, Sanctorumque omnium conſortem, atque vt

Pſal. 77.

Matth. 11.

Matth. 9.

Cyrill. li. 4. de adoratione in ſpiritu.

1. Pet. 4.

loquar hoc modo, concolorem. Ab huius æſtus mo-
Eſai. 25. leſtia liberat ſummus Pater cui canitur. *Factus es fortitudo pauperi, fortitudo egeno in tribulatione ſua; ſpes à turbine, vmbraculum ab æſtu.* Quo æſtu extabeſcere probos tradit Apocalypſis: quem etiam in patria illa cæleſtis minimè ſentit, de cuius ciui-
Apoc. 16. *Apoc. 7.* bus legimus: *Neque ſuper illos Sol aut vllus æſtus.* Nam perſecutione & tribulatione marceſcere ſpiritum atq; exiccare, viroremque illum pietatis ab-
Pſal. 118. oleri ſolere, vſque eo verum eſt, vt Dauid de ſe confiteatur. *Factus ſum ſicut vter in pruina.* Quid enim dici poteſt aridius vtre pruina multa durato? At mirum videri queat, quod tribulationi & perſecutioni Chriſtus tribuat eam ſeminis diuini calamitatem ac perniciem. Nam labore & ærumna virtus proficit Et ſcriptum eſt, *Per multas tribulationes opor-*
Actor. 14. *tet nos introire in regnum Dei.* Et reuera ſic eſt. Neq; poteſt ſemen pullulare & creſcere, & ad idoneam ſegetem perduci, niſi multo ſolis feruore, eamque ob rem Iacobus nos cohortatur, Omne gaudiũ exiſti-
Iacob. 1. mare cum in tentationes varias inciderimus, *ſcientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem opus perfectum habeat,* ſed intereſt plurimum quando, cui, quantæ tribulationes eueniant. Nam ſi viribus infirmis grauiores ærumnæ ſint ſubeundæ, actum erit: qui radices adhuc egit infirmas, qui ſolum germinis primi virorem præfert, non poteſt is æſtum grauiorem diuturnioremq; pati ſine magno dãno, sũt multi virtuti perexigua, de quib. dictũ accipias.
Pſal. 128. *Sicut fœnum tectarum puod prius quam euellatur, exaruit.* Id autem diſpenſare pertinet ſane ad diuinæ ſapiẽtiæ prouidentiam, quæ quid cuique ferendum ſit, ſumma æquitate conſtituit, neque permittit tentari quenquam ſupra id quod poteſt. Verum ſuperbia hominum de ſe maiora iuſto ſentientiũ, tentationes maiores prouocat in ſe, vt ipſa ruina quã fragili

ſtaret

ſtaret gradu cognoſcant Eſt etiam ſtultitia hominũ ea, vt ſe in maiora conijciat pericula, quam pro viribus ſuis. Quare

Metiri ſe quenque ſuo modulo ac pede verum eſt. vt dixit quidam poeta, tentet prius, *Horatius.*

Qui valeant humeri, quid ferre recuſent.

Qui enim amat periculum, in eo peribit. Poſtulet quotidie humili confeſſione, *Ne nos inducas in tentationem.* Eodem ſane ſolis æſtu & altis radicibus poſita ſtirps creſcit, matureſcit, perficitur, & herba imbecilla exareſcit, aboletur, extinguitur,. Neque eſt in Dei prouidentiam culpa conijcienda, quaſi grauiora quam pro viribus offerat diſcrimina, ſed hominis eſt negligentia & mollities accuſanda, quæ neque acceptis viribus non poteſt, vritur, neque ampliores cum liceat impetrare admodum flagitat. Interim documento nobis Apoſtoli ſint, qui cum eſſent teneri & imbecilles, Iudæorum impetũ non tulerunt: ſed deſerto Chriſto ſeſe in effuſam fugam dederunt. Iidem mox dura pro Chriſto verbera non patienter modo, ſed etiam libenter iucundeque tulerunt. Quapropter Chriſtus eos vetuit ad certamen proſilire, vſque dum fortiori diuinitus armatura corroborari vim hoſtium ſuſtinere profligareque poſſent. *Vos autem,* inquit, *ſedete in ciuitate, donec induamini virtute ex alto.* Parcant ergo tyrones ſibi, & ne acriora bella ſuſcipiant, quam eos deceanr. Ne de illorum numero ſimus, prouidendum eſt, *qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt.* Omnes enim qui in Chriſto piè viuere volunt, ſi Paulo credendum eſt, perſecutionem patientur. Præclarè verò eſt à magno Gregorio dictum: *Nemo quantum profecerit, niſi inter aduerſa cognoſcit, cum enim aſſunt proſpera, cerni virtutum documenta non poſſunt.* Atque hactenus duas ſementis diuinæ partes proſecuti ſumus: reliquæ

Eccleſ. 3.

Luc. 24.

2. Timot. 3.

Gregor. lib. 23. moraliũ cap. 27.

reliquæ ſunt etiam duæ: ſed hora eſt tarda, neque breui oratione quæ opus eſt dicere, coarctanda arbitror. Quæ igitur diximus, menti operæque mandemus: quæ reſtant, ſequenti concione Deo annuẽte commodius explicabimus.

IN EADEM DOMINICA, CONCIO QVARTA.

Aliud cecidit inter ſpinas, & ſimul exortæ ſpinæ ſuffocauerunt illud. Luc. 8.

1. Tertium genus ſementis quod ſpinarum & herbæ noxiæ iniuria interit.

QVIA de incommodis, quæ ſementi Euangelicæ accidunt, cum vel primum facta eſt vel primas radices mittit, alia concione iam dixi, ſequitur vt de eo genere detrimenti diſſeram, quod optimam ſpem atque lætum iam aſpectum copioſæ ſegetis incidit: quod eſt eo triſtius ac miſerius, quo fœcunditas glebæ vberioris in perniciem frumento exoptato vertitur. Adæ quidem propter delictũ ea pœna inflicta eſt, vt cum operatus eſſet terram, tamen ſpinas & vepres reperturus eſſet pro fruge quam caperet redditas: *Maledicta*, inquit, *terra in opere tuo: ſpinas & tribulos germinabit tibi.* Humanæ naturæ ſcilicet ea eſt miſeria, vt ſponte in vitia ac peccata feratur: quæ quidem eſt pœna primi peccati. Ita Beatus interpretatur Ambroſius: *Iſtæ*, inquit, *ſunt ſpinæ corporis noſtri, quæ præfocant animam, de quibus ait Scriptura, ſpinas & tribulos tibi germinabit terra. Germinat enim mihi terra mea ſpinas, ſi me corporalis libidinis titillatione compungit. Generat mihi tribulos, cum me diuitiarum ſecularium cupiditate diſcruciat: ſpina enim Chriſtiano auaritiæ ſuæ radix eſt, ſpina vero bono honoris ambitio eſt. Videntur enim ſpecie apud ſuos grata eſſe, ſed lædũt.*

Geneſ 3.

Ambroſ ſermon 26. de Quadrag.

Haſce

Haſce igitur ſpinas internaſci & opprimere bonam frugem & in nobis ſentimus, & in alijs gemimus. Nam pleroſque qui ingenio abundant, & iudicio valent, qui veritatis vim ſentiunt, virtutiſque pulchritudinem probant, hos diuini verbi ſementem non ſolum ſuſcipere videas, ſed etiam ſtudijs, votiſque omnibus in ſalutaria inſtituta incumbere, vt magnos iam virtutis prouentus polliceantur. Sed ecce ſpinarum, & veprium & herbæ noxiæ vis celeriter ex eadem terra prodiens circunſtat atque obſidet bonam frugem, ac penè maturam nequitia ſuperans ſua, extinguit atq; abolet. Eſt enim corrupta natura vitijs mater, nouerca virtutibus: vidiſti compunctum pœnitentiæ incumbentem, res præclaras amantem, confeſſionem, confeſſionibus & ſynaxi frequenter operam dantem, preces, eleemoſynas, ieiunia obſeruantem. Quãta virtutis & quam accurata meditatio? in diuos hominem propemodum referendum iam exiſtimares. Quid igitur? quid noui hoc? ſubito voluptates priſtinas captare, ad congreſſiones diſſolutas redire, ioco ludoque vacare: Veſtem pretioſam indui, fœminas forma præſtantes celebrare, epulis capi, duplo quam olim in omni turpitudine hærere? Quo illa incitamenta virtutum? quo illi honeſti amores abiere? quo feruor tãtus exceſſit? Nempe herbas inutiles ac noxias non expurgauit: occaſiones non amputauit vitiorum, prauos in ſe affectus haud quaquam mortificauit. Ergo occaſiones & pericula omnia vitate, has peſſimas terræ proles, ſpinas paſſionum diligenter eruite: purgate, purgate pectoris veſtri aream, & ſarculo mortificationis vrgete, ſi frugem ferre bonam optatis. Apertè Hieremias præmonet: *Nouate vobis nouale, & nolite ſerere ſuper ſpinas*. Neque obſcurius Oſeas. *Seminate vobis in iuſtitia, & metite in ore miſericordiæ, innouate vobis nouale*. Id eſt iuſtitiæ & miſericordiæ

Hierem. 4.

Oſe. 10.

cordiæ fruges abundè ſpargite, vt copioſè metatis. Rei ſane ruſticæ præceptum primarium eſt, non eſſe terram ſerendam, niſi prius purgata ſit, noualia enim rectè ſemen accipiũt, ſylueſcentia perdũt. Tum verò cum purgata & ſata nihilominus herbas vitioſas profert, ſarculo rurſus perſequenda. Virgilianum enim illud verum eſt.

Virg. 1. Georg.

Intereunt ſegetes: ſubit aſpera ſylua,
Lappæque tribulique.

Et illud:

Quod niſi & aſsiduis terram inſectabere raſtris,
Heu magnum alterius fruſtra ſpectabis aceruum.

Hieronymi ſententia refertur de verbor. ſignif. c. 1. & c. quid per nouale.

Sed in agricultura ſpirituali non eſt ſegnius laborandum. Nouale equidem interpretor ex Hieronymo pœnitentiam, qua ager mentis noſtræ primum proſcinditur, ſarculum ſpiritualem conſcientiæ examinandæ ac purgandæ continuum ſtudium. Verè enim ab Eſaia dictum eſt illud, *Omnes montes qui in ſarculo ſarrientur, non veniet illuc terror ſpinarum & veprium.* Ea igitur parandæ virtuti & confirmandæ ac muniendæ vna ratio eſt, affectus contrarios euellere ex animo, occaſiones voluptatum & negotiorum, & honorum quam maximè liceat auertere. *Si conuerteris*, ait Deus, *Iſrael ad me conuertere: ſi abſtuleris offendicula tua, à facie mea, non commoueberis.* Neque enim Deus Iſrael, conſortia Dagonis æquo animo fert, aut Dagonem cadere, truncatumque cõminui neceſſe eſt, aut arcam teſtamenti in ſuos fines remitti.

Eſai. 7.

Hierem. 4.

1. *Reg. 5.*

2. Diuitias & voluptates vere eſſe ſpinas cruentas.

Iam conſideratione dignum eſt, quod ſpinas Chriſtus cenſet curas, diuitias, voluptates. Sic enim ait: *Quod autem in ſpinas cecidit, hi ſunt qui audierunt, & à ſolicitudinibus & diuitijs, & voluptatibus vitæ, euntes ſuffocantur, & non referunt fructum.* Spinarum quidem eſt pungere, lacerare, cruentare, atque id ſane curis

curis & ſolicitudinibus ſat benè conuenit: pungunt enim & angunt & cruciant curæ, quocirca à Poeta eſt dictum. *Et curæ inſomnes.* At diuitias & voluptates ſpinas cenſere, ineptum videtur. Mulcent enim & moliunt potius voluptates opeſque, quas proinde melius flores & roſas dixeris, quam ſpinas & vepres. Ac mundus iſte ſic plane iudicat: ſed ſeruatoris noſtri Chriſti eſt longè alia ſententia, erraréque eos putandum eſt, qui ſecus opinantur, quorũ ſenſum deceptum ſcriptura iudicat. *Eſſe*, inquit, *ſub ſentibus delicias computabant.* Quod ſi rem penitus perſpiciamus, ita ſe habere ſine dubio inueniemus. *Solet rerum abundantia*, ait Gregorius, *tanto magis diuino timore mentem ſoluere, quanto magis hanc exigit diuerſa cogitare. Nam dum per multa ſpargitur, ſtare in intimis fixa prohibetur. Quod veritas dixit de ſemine, quod ſpinis eſt ſuffocatum.* Neque enim diuitiæ vacuæ curis eſſe poſſunt: diuitiæ labore quæruntur, metu conſeruantur, dolore amittuntur. Iam quæ inuidiæ? iracundiæ? furores? ſuſpiciones? lites? iurgia? qui caſus? quæ pericula? fraudes? rapinæ? quæ omnium denique malorum ſeges ampliſſima? Rectè Paulus. *Qui volunt diuites fieri, incidunt in deſideria multa inutilia & nociua, quæ mergunt homines in interitum.* Rectè etiam Boetius canit: *Quamuis fluente diues auri gurgite. Non expleturas cogat auarus opes. Nec cura mordax deſerit ſuperſtitem, Defunctumque leues non comitantur opes.* Nam quod ad voluptatem iſtam corporalem pertinet, quæ eſt belluis hominibuſque communis, plus illa quidem habet acerbitatis quam dulcedinis. Salomoni fides habenda eſt experto: *Inueni*, inquit, *amariorem morte mulierem*, & idem. *Extrema eius amara tanquam abſynthium*, & alias etiam, *Ingreditur blande, & ad finem mordebit vt coluber, & vt regulus venena diffundet.* Itaque ſpinas ac ſentes plane pungentes ac lacerantes

Virgil. 6. Æneid.

Iob. 30.

Greg. lib. 1. Moral. c. 1.

Boet. lib. 3. de conſol. Philoſoph. metro. 3.

Eccleſ. 7. Prouerb. 5. Prouerb. 23.

iſtas

iſtas veſtras libidinis ac gulæ voluptates ſi ſapitis, nimirum concidetis. Quare ille ipſe Boetius etiam de voluptate cantat: *Habet hoc voluptas omnis, ſtimulis agit fruentes, Apumque par volantum, vbi grata mella fudit, Fugit, ac nimis tenaci ferit icta corda morſu.* Circem fabulæ celebrant carmine viros in iumenta vertere ſolitam: Dalilam adamatam à Sampſone non fabulæ, ſed diuinæ literæ tradunt amatori ſuo, & oculos & libertatem eripuiſſe, & vita denique ipſa mulctaſſe. Iamne videtis, vtrum flores ac lilia cenſere debeatis, an crudeliſſimas ſpinas & aculeos funeſtiſſimos iſtarum rerum effectrices voluptates?

Boetius lib. 3. de conſolat. Philoſoph. metro. 7.

3. A delitijs & negotijs recedēdum.

Quantum verò virtuti reſiſtant ea quæ mundus in pretio habet, diuitiæ, potentia, delitiæ, ſatis inde perſpicere poteſtis, quod ſpinæ & loligo à ſaluatore vocentur, quæ terræ humorem ebibunt, frumento alimentum neceſſarium præripiunt. Vltro enim in ea ſorte terra luxuriat, & tanquam natiua germina libenter alit. Itaque virtuti & ſapientiæ hanc corruptam vitiatamque naturam tanquam nouercam exiſtimare debemus: cupiditatibus vitijſque facilem indulgentemque parentem. Quare qui inter delicias & curas ſeculi virtuti operam dare parat, nihil aliud agit, quam qui flammarum incendio frugem nutriendam committat. Ille in Euangelio adoleſcens teſtis locuples eſt, cui cum fuiſſet à Domino imperatum, *ſi vis perfectus eſſe, vade vende omnia quæ poſſides, & da pauperibus, & veni ſequere me*: abijt triſtis, propterea quod multas haberet poſſeſſiones. Quid Saulem bonum & electum virum perdidit, niſi regnum? quid Salomoni ſenſum mentemque omnem eripuit, tanto alioqui ſapientiæ munere decorato, qui vſque in idololatriæ infandum ſcelus impegit? nonne fœminarum amor atque blanditiæ? Ipſum Petrum Eccleſiæ petram firmiſſimam quid tandem perfregit? quid euertit? Palatij Iudaici certè

Matth. 19.

ei certè conſortium. Aurelius nos Auguſtinus adhortatur hoc modo: *ſpinæ non ſunt cupiditates ſeculi, ſolicitudines vitæ vitioſæ. Quid enim peius ſolicitudine vitæ, quæ peruenire non permittit ad vitam? Quid miſerius quam curando amittere vitam? Quid infelicius, quã timendo mortem, cadere in mortem? Extirpentur ſpinæ, paretur ager, ſuſcipiantur ſemina, perueniatur ad meſſem.* Ita quidem Auguſtinus & merito. Neque enim poteſt eſſe frugibus locus niſi ſpinæ & lappæ vellantur. Quapropter nos propheta ſæcularia fugere monet. *Recedite,* inquit, *recedite, exite inde, pollutum nolite tangere: exite de medio eius.* Fugam ſæculi meditetur, qui vult Deo ſeruire. *Nemo militans Deo,* ait Paulus, *implicat ſe negotijs ſæcularibus.* Scitum illud fuit Beatiſſimi Franciſci dictum, qui cum à Cardinalibus rogaretur precari Deum pro ipſis, eos potius pro Franciſco precari oportere, reſpondit: dictum mirantibus, cauſam que ſciſcitantibus, commodè adiũxit, ſiquidem vos, inquit, ampliori fiducia erga Deum præditi eſtis: ego enim in hac pauperie vix ſaluus eſſe confido: vos pleni opibus, & voluptatibus redundantes, certam vobis ſalutẽ promittitis. Magna plane ſæcularium hominum inſipientia, qui cæleſtem vitam ad tantam negotiorũ, curarum, cupiditatum, ineptiarum omnium ſegetẽ accerſere velint. Quin potius igni & ferro ſylua hęc omnis exſcindenda, exterminandaque, vt ſementis Euangelica tutò mandetur. Id facit qui mundo renuntiat, & Chriſti iugum ſuſcipit, & armatur nouus regni cœlorum miles. Quod ſi id multum ſit, quod non liceat omnibus monachum agere, ſaltem ſarculo continentiæ ac mortificationis, diligenter herbas iſtas pernicioſas eruite, & quoad licet, agrum Chriſti etiam atque etiam repurgate.

Aug. ſer. 1. de Apoſtolis

Eſai. 25.

2. Tim. 2.

Et aliud cecidit in terram bonam: & ortum fecit fructũ centuplum. Quamuis improborũ ſit maxima

4. Multiplex fruct⁹ bonorum.

ma multitudo, & ſementis paterfamilias iacturam plurimam fecerit, tamen electorum fructu abundè ea omnis pernicies compenſatur. Neque enim reuertetur Dei verbum vacuum, vt ait Eſaias, ſed proſperabitur: horrea cæleſtia futuræ iuſtorum ſegeti ampliſſima parata ſunt. *Dilata*, inquit, *tentoria tua: & adhuc dices, anguſtus eſt mihi locus & ſuper arenam multiplicabuntur*. Ea ergò debet ſe conſolari cogitatione Euangelicus agricola, quod bonorum fructus vberrimi ſint, ac pro ijs qui nec ſementem ipſam reddiderunt, alij multiplicatum in centum fœnus afferant. Ac Lucas quidem centeſimi tantum meminit, quod eſt perfectum: omnes enim aliquando perfecti reſurgent, cum erunt æquales Angelis Dei, & filij reſurrectionis: at Matthæus & Marcus præter centeſimum, etiam ſexageſimum & trigeſimum commemorant, vt intelligi poſſit iuſtorum non eſſe omnium merita paria, ſed alios alijs virtute præſtare. *Stella enim à ſtella*, ait Paulus, *differt in claritate, & alia claritas ſolis, alia lu-*
1. Cor. 15. *næ, alia ſtellarum, vnuſquiſque in ordine ſuo*. Nemo verò inuidebit potiori, quod ſit Deus omnia in omnibus. Deſignat autem Euangelicus ſermo, vt pleriq; ſancti Patres ſentiunt, gradus Eccleſiæ varios. Ma-

Aug. in lib. de ſancta virginit. c. 45. 46. Hieron. in Apolog. ad Pammach. Cyprian. lib. de diſciplina & habitu virgin. prope fin.

trimonio triceſimus, virginitati ſexageſimus, martyrio & Apoſtolatui reſpondet centeſimus. Sic Cyprianus Martyr adſcribit: *Primus enim centenarius martyrum fructus eſt: ſecundus ſexagenarius veſter eſt (ſcribebat ad virginem ſcilicet) vt apud martyres non eſt carnis & ſæculi cogitatio, nec parua & leuis & delicata congreſſio, ſic & in vobis, quarum ad gloriam merces ſecunda eſt, ſit & virtus ad tolerantiam proxima*. Cyprianum, Auguſtinus Hieronymuſque ſequuntur, ſed ita vt centeſimum etiam virginitati aſſignari malint, ſexageſimum viduitati, triceſimum matrimonio. Refert parum, dummodo differentias eſſe

graduum

graduum & chariſmatum conſtet. Aemulemur igitur chariſmata meliora. Sed charitatem eſſe omnium excellentiſſimam ſcitote, qua charitate qui emineat, is diuinis in rebus ſuperior ſit, eſt neceſſe. Hæc auidè complectitur Dei verbum, accuratè cõſeruat, quicquid contrarium ſe offerat, reſiſtit, fructum iuſtitiæ pleniſſimo frumento, non inani tremore declarat *Lætabuntur coram te, ſicut qui lætantur in meſſe.* videtur eſſe contrarium ei rei, quam proximè dixerat, *Multiplicaſti gentem, & non magnificaſti lætitiam:* Sed re vera nihil inter ſe hæc repugnant, ac bene ſibi cohærent. Multiplicata quidem eſt gẽs Chriſtiana, ac non tamen magnificata eſt lætitia, cum pro multitudine credentium non multi ſint, qui in Dei dilectione perdurent. At eorum qui ſe tales præſtant, quales Deus amat, tanta eſt præſtantia, tanta vis, vt merito huiuſce ſacræ ſegetis meſſores lætentur ac triumphent, tam felices laborum ſuorum prouentus ſibi gratulantes *Eſai. 9.*

Illud verò attentè conſiderandum eſt quod Chriſtus exponit, terram bonam & optimam, fructum attuliſſe in patientia Bona atque optima terra eſt plane cor noſtrum: cupiditatibus expurgatum facile ac libenter amplectimur cæleſtem ſementem. *Anima mea deſiderauit te*, ait quidam. Et idem alius. *Quid mihi eſt in cælo, & à te quid volui ſuper terram?* Præclaro coniugio copulantur anima & verbum Dei. Sed videte fratres: fructum afferri in patientia Nõ dubium eſt agricolam terram fodere, arare, parare: nulli tamen vel labori vel beneficio fructus aſcribitur, niſi patientiæ. Cur ita? Nempe omnis Euangelicus progreſſus, magis in mala patiendo, quam in bona agendo conſiſtit: Rectè Marcus Cœnobita ſcripſit, Neminem debere bona agere aggredi, qui non ſit idem mala pati paratus. Patientiæ laudes Cyprianus plurimas & maximas ſcripſit: ego parti-

5. Fructum afferri in patientia.

Eſai. 26.
Pſal. 72.

culam breuem propoſito conuenientem recitabo:
Cypria. in li. de bono patientiæ ad medium. *Apoſtolus iuſtos & operantes, & diuini fœnoris incre-
mento cœleſtes theſauros ſibi recondentes, vt patientes quo-
que ſint, inſtruit, & docet dicens: Bonum autem facien-
tes non deficiamus, tempore enim ſuo metemus non defi-
cientes. Admonet ne quis impatiens in operatione de-
ficiat, ne quis tentationibus aut auocatus aut victus, in me-
dio laudis & gloriæ itinere deſiſtat, & pereant præteri-
ta, dum quæ cœperant, deſinunt eſſe perfecta. Patientia
autem, fratres dilectiſſimi, non tantum bona cuſtodit, ſed
& repellit aduerſa. Contra facta carnis & corporis,
quibus anima expugnatur & capitur, virtutum ſuarum
propugnaculo reluctatur. Charitas fraternitatis vincu-
lum eſt, fundamentum pacis, tenacitas ac firmitas vni-
tatis, & quæ & ſpe, & fide eſt maior: quæ & opera &
martyria præcedit: quæ nobiſcum æterna apud Deum in
regnis cæleſtibus permanebit. Tolle illi patientiam, & de-
ſolata non durat. Tolle ſuſtinendi tolerandique ſubſtantiam,
& nullis radicibus & viribus perſeuerat! Apoſtolus cha-
ritati tolerantiam & patientiam vinxit.* Hactenus Cy-
prianus: quibus patientiæ laudibus quid accidere
poſſit, ignoro. Nam per patientiam fit, vt contra-
ria efficiantur vtilia. Ea nimirum quæ frugibus ma-
ximè videntur officere gelu, pruina, venti, imbres,
æſtus, ea inquam tolerata fortiter, ſummoperè poſ-
ſunt, & frugem ad maturitatem culmenque perdu-
Rom. 8. cunt. *Itaque diligentibus Deum omnia cooperantur in bo-*
Heb. 10. *num.* Quare *patientia nobis opus eſt, vt reportemus pro-
miſſiones Dei: iuſtus autem ex fide viuit, quod ſi ſubtraxe-
rit ſe, non placebit animæ meæ.* Aurum igne probatur:
miles certando ad coronam peruenit, ſementis di-
uina multa, indigna tolerans precioſas ſegetes e-
Ioan. 12. rat. *Niſi granum*, inquit, *frumenti mortuum fuerit,
ipſum ſolum manet; ſi autem mortuum fuerit, multũ fructũ
affert.* Hoc de ſe Chriſtus, quid ergo nos cogitare o-
pus eſt, qui cum mala fecerimus plurima, mala pati
volumus

volumus nulla? Nos verò alloquitur Paulus, ac documentum Chriſti prædicans ita exhortatur: *Deponentes omne pondus, & circunſtans nos peccatum, per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen: aſpicientes in autorem fidei, & conſummatorem Ieſum, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem confuſione contempta.* Hebr.12. Quod ſi ab illo diuino grano procreati ſumus, multa ipſius tolerantia & afflictione, nequaquam putare debemus, alia nos lege poſſe frugem afferre, niſi illa ipſa patientiæ. Neque enim granum poteſt aliter procreare, quam ſit ipſum ab alio procreatum. Quare cum Chriſti ſimus germen egregium, Chriſti etiam vt facta patientiamque imitemur, etiam atque etiam operam demus.

IN DOMINICA IN QVINQVAGESIMA CONCIO Prima.

Aſſumpſit Ieſus duodecim, & ait illis: Ecce aſcendimus Hieruſalem & conſummabuntur omnia quæ ſcripta ſunt. Luc.8.

NEMO eſt qui neſciat appropinquare iam quadrageſimam, quo tempore paſſionis Chriſti ac mortis memoria religioſius innouatur, & imitatione quadam conſortioque crucis dominicæ Chriſtiana plebs caſtigationem ſibi corporis ieiunijs prolixioribus atque abdicatione fluxæ voluptatis indicit. Quo ſpectans ſancta mater Eccleſia ijs verbis fideles populos præmonēdos hodie ſibi arbitratur, quib' Chriſtus iturus iā in pugnā milites ſuos præcipuos excitandos præmuniēdosq; duxit.

1. Introductio in Euāgelium tempori quadrageſimæ opportunū.

duxit. Solēt nimirū pro foribus palatia cæteraq; ampla ædificia inſignia ea ornamētaq; præferre, quib⁹ introituri facilè doceātur, cuius ędes eæ ſint, quidve rerū intus geratur, ſintne diuorū templa, an muſarū domicilia, an cauſis tractandis propria cōſtituta. Ergo appetēte iā quadrageſima, nūc in ipſis foribus quid Chriſtianus ſperare debeat, qui cogitare tāquā inſcriptione appoſita breui admonetur, cùm audit Chriſtū ſic diſſerentē: *Ecce aſcendimus Hieroſolymā, & conſummabuntur omnia quæ ſcripta ſunt per Prophetas de filio hominis. Tradetur enim gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conſpuetur.* Sed quanuis hæc aperta ac conſpicua nobis ponantur, tamen quæ noſtræ eſt ignorantiæ & cæcitatis, videre certè non poſſumus, niſi mentis oculi diuino lumine illuſtrentur. Ob eam rem, cæcus quoque Euangelica lectione proponitur, qui Chriſti beneficio lucem accepit, ac ſe curantem Dominum ac præeuntem & intueri potuit & ſequi. Duplex quippe donum ac beneficium eſt, quo diuinitus afficimur: vt & myſteria nobis cœleſtia proponantur, & iis præcipiendis atque perſuadendis animo, lux & vigor diuinus accedat. Non ſatis eſt magiſtros habere veritatis idoneos, niſi intus numinis magiſterio imbuaris. Idcirco Paulus Dei

Ephef. 2. donū fidem eſſe confirmat. Cuius verbis vt attenderet, aſſenſumque præberet Lydia illa purpuraria,

Actor. 12. diuinitus ei cor apertum fuiſſe ſcriptura teſtatur. Quare qui ad ſacras conciones proximè acceditis, quanuis bonos ac diſertos oratores nacti ſitis, tamē contendere illud votis precibusque debetis, vt intus menti hæreat, quod foris auribus ſonat. Neque enim picturam quamuis egregiā detegere ſit ſatis, niſi lux contuendæ idonea ſuppetat. Debetis igitur & pro dicente precari & pro vobis audientibus.

Aug. ſup. Pſ. 66. in fin. Auguſtinus quid de hac re ſentiat, ipſius oſtendit oratio. *Sæpe,* inquit, *diximus charitati veſtræ, prædicare veritatem*

veritatem nihil eſt, ſi cor à lingua diſſentiat. Et audire veritatem nihil eſt, ſi non auditionem fructus ſequatur. De iſto loco quaſi ſublimiore loquimur ad vos: quam ſimus autem timore ſub pedibus veſtris, Deus noverit, qui propitius ſit humilibus, quia non nos tam delectant voces laudantium, quam devotio confitentium. & facta rectorum, & quam non delectemur niſi profectibus veſtris. Hic animus, hæc mens eorum debet eſſe qui dicunt: hæ preces & vota eorum plane qui audiunt.

Aſſumpſiſſe igitur duodecim Chriſtum ſcribit Lucas: Matthæus etiam ſeorſum ab ſecreto aſſumptos dicit. Atqui paſſio Chriſti & mors publicè patranda erat: cuius cognitio non illis modo duodecim, ſed omnibus plane mortalibus neceſſaria fuit ad ſalutem. Quid igitur res ad vniuerſum mundum pertinens, his tantummodo paucis communicatur? Quid ſecretò docetur, quod palam prædicari omnium intereſt? Rectè proinde Chryſoſtomus vel eius nomine autor antiquus hic: *Omnis gloria Dei & omnis ſalus hominum in Chriſti morte eo ſita eſt. Nulla enim res eſt quæ amplius ad ſalutem hominum pertineat, neque eſt aliud propter quod magis gratias agere debeamus, quam propter mortem ipſius. Ideò cum multa turba fidelium ſequeretur eum in via, duodecim Apoſtolos ſolos tulit ſecretò: vt quia precioſior theſaurus ſemper in vaſis melioribus includitur.* Sed ais, Cur non omnibus patefactum eſt myſterium mortis Chriſti? Magno profectò conſilio hæc geſta res eſt. Primum enim arcanum Dei conſilium nuſquam magis cernere liceat quam hic, nullum de diuinis factis admirabilius atque ab omni mortalium opinione remotius. Mortalium dixi, quin potius ipſorum immortaliū ſpirituum captu & cogitatione longè altius. Nam dæmones effugiſſe myſterium crucis Paulus his verbis pronunciat, *Loquimur Dei ſapientiam in myſterio, quæ abſcondita eſt, quam prædeſtinauit Deus ante ſecula in glo-*

[Margin: 2 Myſteriū crucis cæptum, ne dæmones impediret.]

[Margin: *Autor imperfecti homil. 35. in Matth.*]

[Margin: 1. Cor. 2.]

Sic Ambroſius aſſerēs principes ſæculi intelligi dæmones.

Chryſoſtomus magis principes Iudæorum interpretatur.

Anſelm. & Thom. vtramq; expoſitionē veram eſſe cōfirmant.

Epheſ 6.

Epheſ. 3.

Matth. 16.

in gloriam noſtram, quam nemo principum huius ſæculi cognouit. Si enim cognouiſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent. Principes huius ſæculi maiores noſtri dæmones accipiunt, quos alibi idem rectores mundi appellat. Neque mirandum eſt, diabolo occultatum eſſe myſterium crucis: ipſos beatos Angelos quodammodo latuiſſe, videtur idem Paulus aſſerere cùm ſcribit. *Vt innoteſcat principibus & poteſtatibus multiformis gratia Dei per Eccleſiam.* Itaque quoniam opus erat Dei conſilium cælari inimicis, ne impedirent euentum, crux Chriſti ſecretò denuntianda fuit diſcipulis, vt iis eſſet nota quibus erat ſaluti futura, illos lateret, quos erat debellatura. *Si enim cognouiſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſēt.* Quantoperè autem Chriſtus paſſionis negotiū curauerit, declarat illud, quod amantiſſimum ſui Petrum aduerſarium atque ſatanam iudicauerit, cum moriendi cauſam indignam refutaſſet. *Vade,* inquit *poſt me, Satana, quia non ſapis ea quæ Dei ſunt.* Fuit verò prudentiæ cuiuſdam diuinæ, vt quouſque Chriſtus occumberet ac reſurgeret, paſſio eius & mors innoteſceret quidem amicis Dei, ſed tanquam res magnoperè arcana, & ſummo ſilentio tegenda. Nam prophetæ quidem atque præſtantes Dei ſerui myſterium crucis expreſsè ſibi traditum continebant, aliis autem in tegumentis quibus oportebat, velatum communicabant. Etſi enim omnes per fidem Chriſti ſanguinis ſalui fiebant, quod Apoſtolus docet, cùm dicit: *Quem propoſuit Deus propitiationem per fidem in ſanguine ipſius,* tamen eam fidem non fuiſſe omnibus apertam & explicatam, ſed pleriſque velatam & tectam, idem declarat iis verbis: *Sub lege cuſtodiebamur concluſi in eam fidem, quæ reuelanda erat.* Quæ cùm ita ſint, non immeritò Chriſtus arcanam eſſe eam rem voluit, vſquequo perpetrata foret, ac proinde amicorum tantum notitiæ

Rom. 3.

Galat. 3.

titiæ impertiendam exiſtimauit, quæ cum geſta eſſet, ad omnium cogitationem perueniret, neceſſe erat, quod omnium ſaluti impenſa fuiſſet.

Illa prætereà ratio Chriſto fuit diſcipulos ſecreto ac ſeparatim alloquendi, quo attentiores redderet, & tanquam rem auditores magnam, paratiores. Alio enim pacto, quæ vulgo iactantur audis, alio longè cum à principe viro remotis arbitris cum grauitate dicuntur, auſcultas. Eſt ſapientium turbas vitare, paucis iiſque lectiſſimis negotia præcipua committere. *Verba ſapientium*, ait Salomon, *audiuntur in ſilentio pluſquam clamor Principis inter ſtultos.* Quare cui cordi ſit ſalutis ſuæ ſempiternæque vitæ negotia ex Deo audire, & quæ ille geſſit tanta pro nobis, & quæ pertulit indigna, cognoſcere ac perſpicere, à turba ſecedat is neceſſe eſt, & quietem ſolitudinemque quærat. Fugiat, inquam, cupiditatum, ambitionumque tumultum: amet tranquillam & ſæcularium rerum expertem vitam, illumque Pſalmi verſum recolat, *Ecce elongaui fugiens, & manſi in ſolitudine.* Illic nimirùm fidelibus mentibus ſua Deus arcana communicat, illic futura quæ impendeant, docet: & crucis contumelia & dolore immortalem glorioſamque vitam parari demonſtrant. Sic ſe agere, cum amat audiri, voce Oſeæ Deus declarat: *Propter hoc*, inquit, *ecce ego lactabo eam, & ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor eius.* Turrim Babylonis, id eſt, confuſionis ædificantes, nec Dei voces nec ſuas ipſorum percipiunt. Rumoribus vanis & ſtrepitu ſæcularium negotiorum qui tenentur, Dei verba audire non poſſunt, nec cæleſtia arcana cognoſcere. Neque enim in commotione Dominus, ſed in ſibilo auræ tenuis, cui percipiendo ſilentio ac quiete opus eſt plurima. Merito Baſilius magnus excellentes ſolitudinis laudes decantans loquitur ad hunc modum. *Solitaria vita cæ-*

3. Secretum petendum, vt Dei voces audiantur.

Eccli. 9.

Pſalm. 54.

Oſeæ 2.

1. *Reg. 2.*

Baſil. initio tractatus de laude vitæ ſolitariæ.

leſtis doctrinæ ſchola eſt ac diuinarum artium diſciplina. Illic Deus eſt totum quod diſcitur, via qua tenditur, totum per quod ad ſummæ varietatis notitiam peruenitur. Eremus nempe eſt paradiſus delitiarum, vbi tanquam redolentium ſpecies pigmentorum, vel rutilantes flores aromatum, ſic flagrantia ſpirant odoramenta virtutum. Multa & alia: ſed hæc ſint ſatis, vt ſi minus actu, deſiderio tamen vitam beatam proſequamur.

4\. Quid ſit aſcendere Hieroſolymam cæleſtem.

Ecce, inquit, *aſcendimus Hieroſolymam*. Ea eſt vniuerſæ Chriſtianæ viæ ratio, id inſtitutum, vt Hieroſolymam aſcendat, non iſtam ſane terrenam, quæ occidit prophetas & excruciauit, atque ipſum ſalutis autorem vita mulctauit: ſed cæleſtem potius Hieroſolymam, quæ libera eſt, mater noſtra, cuius vbera plena ſuauitatis & gaudij nobis præparata ſunt: de qua Hieruſalem Propheta E-

Eſa. 66. ſaias canit: *Lætamini cum Hieruſalem, & exultate in ea, omnes qui diligitis eam gaudete cum ea gaudio vniuerſi, qui lugetis ſuper eam, vt ſugatis & repleamini ab vbere conſolationis eius, vt mulgeatis, & delitijs affluatis*

Apoc. 21. *ab omnimoda gloria eius.* Hanc Ioannes vidit *ciuitatem ſanctam Hieruſalem nouam deſcendentem de cæ-*

Heb. 12. *lo, adeo paratam ſicut ſponſam ornatam viro ſuo.* Cuius ciuitatis cæleſtis deſcriptio illa beata Apocalypſi continetur. Hanc Hieroſolymam non manu humana ſed diuina fundatam, cuius conditor, & Architectus Deus, vehementer ſuſpirabat Dauid, & huius recordatione exilium triſte, terrenas Ba-

Pſalm. 136. byloniaſque omnes delicias ducebat. *Si oblitus fuero tui Hieruſalem*, ait ille, *adhæreat lingua mea faucibus meis. Super flumina Babylonis illic ſedimus & fleuimus, dum recordaremur tui Sion.* Hanc igitur ſe petere Hieroſolymam Chriſtus denuntiat. *Ecce*, inquit, *aſcendimus Hieroſolymam* Neque enim ſine Chriſto duce in eam regiam vrbem ire poſſumus: neque ille ſolus in eam ſe recipere vult, ſed comites po-

tes potius amat & vocat, ac cæleſtis ciuitatis iure donatos ſecum ad triumphum aſſumit. At patria illa cæleſtis in alto poſita, arduum habet aſcenſum. Homini enim in Hiericho, id eſt, mutabilem iſtam fluxamque regionem commeanti latrones occurrerunt, qui ſpoliarunt ac vulnerarunt, ac ſemine cem reliquerunt. Aſcendere verò atque in ſuperna contendere, magni laboris eſt; ſudare fatigarique eum oportet, qui in ardua illa faſtigia peruadere cupiat. *Illuc enim illuc aſcenderunt tribus Domini.* Eum verſum Pſalmi exponens Caſſiodorus *ſignificat*: inquit, *ciuitatem Hieruſalem, cuius participatio eſt in id ipſum, id eſt, cæleſtem: ad quam beati ſemper aſcendunt, quoniam iugi exercitatione proficiunt.* Ingenti conatu patriæ deſiderium declarantes. *Neque enim ad magna præmia*, vt Gregorius ait, *perueniri poteſt niſi per magnos labores.* Itaque via omnis in cælum aſcenſus eſt, naturam vincat oportet, qui carne præditus illa ſublimia meditatur, grauis eſt terrena hæc cogitatio, deprimit vehementer humanarum rerum ſenſus & conſuetudo. Sed contendere opus eſt, atque vrgere viam quanuis arduam & infeſtam, vt aliquando euadamus ad diuina illa & præclara faſtigia, quod agebat Paulus egregiè, quem audire iuuat ita de ſe loquentem: *Non quod iam acceperim, aut iam perfectus ſim: ſequor autem ſi quo modo comprehendam, in quo & comprehenſus ſum à Chriſto Ieſu. Fratres, ego me non arbitror comprehendiſſe. Vnum autem, quæ retro ſunt, obliuiſcens: Ad ea verò quæ ſunt priora, extendens me ipſum, ad deſtinatum perſequor ad brauium ſupernæ vocationis Dei in Chriſto Ieſu.* Non poteſt plane feſtini viatoris imò curſoris celerrimi vis ac conatus maior oſtendi, vt gradum ſemper ad ſuperiora faciat, nullo impedimento retardatus, nullis difficultatibus cedens. Ac certè digna eſt illa ciuitas, illa, inquam, cæleſtis Hieroſolyma,

quæ

Luc. 10.

Pſalm 121.

Caſſiodor in Pſalm. 121.

Greg. homil. in Euang.

Philip. 3.

quæ tanto deſiderio petatur, tantis laboribus ſudoribusque obtineatur. Ad gloriam reſurrectionis Chriſtus vt perueniret, illuſus, excruciatus, cæſus, interfectusque eſt. *Illudetur*, inquit, *& flagellabitur, & conſpuetur, & poſtquam flagellauerint, occident eum, & tertia die reſurget.* Nequaquam palma hæc ante conceſſa, quam cruento illo certamine egregiè dimicauit.

5. Mirabilis conſonantia vtriuſque teſtamenti.

Ea verò omnia quæ perpeſſus eſt, prędicta à Prophetis Chriſtus fuiſſe dicit. *Et conſummabuntur*, inquit, *omnia quæ prædicta ſunt de filio hominis per Prophetas.* Omnino admiranda eſt Scripturæ ſacræ altitudo, quæ quicquid ab Euangeliſtis de Chriſti paſſione & nece narratum eſt à Prophetis longè ante denuntiatum apertiſſimè & copioſiſſimè oſtendit. Imò verò longè & plura & ampliora de Chriſti contumelijs & cruciatibus dicta à Prophetis, quam ſit commemorata ab Euangeliſtis, non difficile erit cernere, ſi quis in ijs Scripturis diligenter attenteque verſetur. Atque vt innumerabiles prætercam locos, illi certè in promptu ſunt omnibus: quid Eſaias capite quinquageſimo & quinquageſimotertio ſcribat, quid Dauid Pſalmo vigeſimoprimo, & ſexageſimooctauo, quid Daniel nono: Sapientiæ liber capite ſecundo: Hieremias vndecimo: Iob decimo ſexto. Itaque Petrus Apoſtolus: *De qua gratia*, inquit, *locuti ſunt Prophetæ, ſcrutantes in quod vel quale tempus prænuntiaret in eis ſpiritus Chriſti, annuntians eas, quæ in Chriſto ſunt, paſſiones & poſteriores glorias.* Idem etiam: *Huic omnes Prophetæ teſtimonium perhibent, remiſſionem peccatorum accipere per nomen eius.* Et ipſe Chriſtus de ſe: *Oportuit impleri omnia quæ ſcripta ſunt in lege, & Pſalmis, & Prophetis de me.* Eſt ſane fidei Chriſtianæ inuictum id argumentum, quod ea omnia quæ nouum teſtamentum Chriſtum feciſſe ac toleraſſe narrat, vetus teſtamentum facturum toleratu-

1. Pet. 1. *Actor. 10.* *Luc. 24.*

ſaturumque & tanto antea & non minùs perſpicuè denuntiet. Quamobrem autores præclari id operæ ſuſcepêre, vt vtriuſque Scripturæ nouæ ac veteris mirabilem omni ex parte conſonantiam demonſtrarent. Qua in re laudem non exiguam conſecuti ſunt, Iuſtinus Martyr & Philoſophus in ſuo cum Triphone colloquio: Euſebius Cæſarienſis in demonſtrationibus Euangelicis: Cyprianus in libris editis ad Quirinum contra Iudæos: Tertullianus in tertio libro aduerſus Marcionem: Auguſtinus in libris præſertim decimoſexto & decimoſeptimo de ciuitate Dei: Proſper Aquitanus in opere de diuinis prædictionibus. Alij quoque cum vetuſti tum etiam recentiores non ſine gloria in eo argumento verſati ſunt. Quibus ex rebus omnibus & fides Chriſtiana vehementer confirmatur, & diuinæ laudis amore animus inflammatur, qui ſaluti noſtræ tot ac tanta præſidia conſtituerit.

Sed incredibile dictum eſt, quod Euangeliſta poſt Chriſti ſermonem tam apertum, tam expreſſum adiungit, diſcipulos nihil horum intellexiſſe. *Et ipſi*, inquit, *nihil horum intellexerunt, & erat verbum iſtud abſconditum ab eis*. Repetita ſententia rem planè incredibilem Lucas aſſerendam cenſuit, neque immeritò. Quis enim tales auditores crederet à tanto præceptore edoctos de re tanta tam planè tam apertè, quam rem prophetæ omnes annuntiarant, ipſe Chriſtus teſtimonio prophetarum & aſſertione ſua toties confirmarat, tamen neque intellexiſſe neque cogitaſſe, quod ad rem pertinet quicquam? Quænam abſurditas ea fuit? quæ mentis hebetudo? quæ ſenſus caligo tanta incidit? *Nihil horum*, inquit, *intellexerunt*. Res planè admiranda: Quam Beda proponit his verbis: *Quid eſt quod diſcipuli toties ſibi replicatum Dominicæ paſſionis arcanum intelligere nequeunt: & Iudæi ad vnum verbum, & tam obſcurè*

6 Verbum crucis Apoſtolis, quia diſplicebat non innotuiſſe.

Beda in expoſit. Euang.

obſcurè poſitum, vt hac expoſitione dignum Euangeliſta ducat: Hoc autem dicebat, inquit, *ſignificans qua morte eſſet moriturus, mox quia Crucis exaltatio ſignificetur, intelligunt, niſi quia diſcipuli eius vitam maximè videre deſiderabant, eius mortem audire non poterant. Et quia per parabolas ſæpe eum loquentem audire conſueuerant, quoties aliquid de ſua paſſione dicebat, hoc non ita vt ſonabat intelligendum, ſed amore dictante an aliquid quid allegoricè referendum eſſe credebant* Rectè omnino Beda. Nam prouerbio dici etiam noſtis, neminem eſſe ſurdiorem, quam qui audire non vult. Nempe crucis apud diſcipulorum animos erat tunc ſermo odioſus: & quod maximè oderant, capere id mente minimè poterant. Rectè à Salomone

Prou. 18. illud dictum: *Non recipit ſtultus verba prudentiæ, niſi dixeris ei quæ verſantur in corde eius.* Nondum erant ſpirituales Apoſtoli: adhuc carnalia ac terrena ſa-

Matth. 20. piebant: honores, & gloriam cogitabant. Indicant id ſatis duo ex præcipuis, qui teſte Matthæo ab eo ſermone continuo regni ſedes matre internuntia ambierunt, dextram ſibi, ſiniſtramque poſtulantes. Nam fuiſſe Chriſti crucem tanquam ſudem in oculis, & graue ſcandalum, ipſis quoque diſcipu-

Matth 11. lis Chriſtus oſtendit, cùm dixit: *Et beatus qui non fue-*

Ioan. 6. *rit ſcandalizatus in me.* Et alio loco: *Hoc vos ſcandalizat? quid erit cum videritis filium hominis aſcendentem vbi erat prius?* Si de pane, inquit, verba faciens, tanto ſcandalo vobis ſum, quid futurum putatis, cum ligno affixum me contuebimini? Sic plane ſe habet res: cum de cruce Chriſti audimus, vel non capimus vel etiam reſpicimus quæ ſalutariter dicuntur. Non ſatis accommodatur ſenſus affectuſque iſte humanus paſſionis, & mortis ſubeundæ conſi-

1. Pet. 4. lijs. Petrus quidem ita nos admonet. *Nolite peregri-*

1. Cor 1. *nari in feruore, qui ad tentationem vobis fit, quaſi noui ali-*

Pſalm. 70. *quid vobis contingat.* Paulus etiam ſtultitiam dicit fuiſſe

fuiſſe mundo verbum crucis. At via nulla eſt alia, alius aditus nullus ad regnum. *Quantas oſtendiſti mihi tribulationes multas & malas? & conuerſus viuificaſti me.*

Enimuerò quod Apoſtolis accidiſſe Euangeliſta ſcribit, vt cum Dominus de paſſione & cæde ſua funeſtiſſima verba faceret, nihil illi ea de re cogitarent, nihil animaduerterent, idem profectò vſu venire hoc tempore nobis, ſi quis attendat, veriſſimè iudicabit. Etenim Eccleſia quidem hoc tempore Quadrageſimam inſtare admonet, dies pœnitentiæ & luctus adeſſe indicat, Euangelium proponit quod audiſtis. *Ecce aſcendimus Hieroſolymam, & conſummabuntur omnia quæ dicta ſunt de filio hominis per Prophetas. Tradetur enim gentibus & illudetur, & flagellabitur, & conſpuetur, & poſtquam flagellauerint, occident eum.* Hæc ſane proponit Eccleſia, in his verſatur, hæc nobis cogitanda ac mente penitus tractanda denuntiat. Nos verò quid agimus? quonam modo his vocibus, huic Eccleſiæ matris ſtudio obtemperamus? Crucem Chriſti hoc maximè tempore auerſamur, ventri & luxui indulgemus, epulas profusè paramus: bacchanalia agitamus, laſciuiæ operam damus, ludos ac choræas turpitudine plenas frequentamus, omnibus vitijs frænæ laxamus. Vbi illud: *Ecce aſcendimus Hieroſolymam?* Imo verò in ſacrilegam Hiericho deſcendimus. Non alta atque ardua virtutum petimus, ſed per decliuia vitiorum voluimur. Hoccine eſt illud? *Illudetur, flagellabitur, conſpuetur, occidetur?* Atque vtinam noſtris flagitijs & ſceleribus non innouemus Chriſti contumelias & doctores. Vtinam diuinam clementiam benigne ſalutaria monentem tanta noſtra ſtultitia in grauem furorem non conuertamus. Audite, audite, quid Deo plenus Propheta denuntiet: *Vocauit,* inquit,

7. Idem vſu venire nūc nobis quod tunc Apoſtolis: quod crucis ſermonem auerſamur.

Eſa. 22.

quit, *Dominus ad luctum & ad planctum, & ecce gaudium & lætitia, occidere vitulos, iugulare arietes, comedere carnes, bibere vinum. Comedamus & bibamus, cras enim moriemur.* Atque hæc quidem vberius in noſtris bacchanalibus cernimus, quam in diuino codice legimus. Quid ſequatur, quid deinceps minetur attendite: *Et reuelata eſt in auribus meis vox Domini exercituum, ſi dimittetur iniquitas hæc vobis donec moriamini. O verba terribilis iracundiæ plena, ô minas diuinæ ſeueritatis contremiſcendas.* Ac Baſilius quidem in eos inuehitur qui temulentiæ ſe dedunt, cum ieiunij diem expectant: atque ita loquitur: *Quemadmodum qui longinquam profectionem adornant, componunt ſarcinas, & commeatum parant, ita nonnulli vecordes hodie aduerſus quinque dierum ieiunium vino indulgent. Quod conſortium temulentiæ cum ieiunio? Quæ ſatietas violentiæ cum abſtinentia? Quis conſenſus templo Dei cum idolis? Hodiernus dies veſtibulum eſt ieiunij, quo profectò, qui in veſtibulo prophanatur, indignus qui ad ſanctum introeat. Nullus ſeruus cupiens hero ſuo reconciliari, hoſtem illius patronum ac reconciliatorem adhibet. Ebrietas inimica eſt Deo, ieiunium pœnitentiæ initium eſt. Itaque ſi cupis per confeſſionem reuerti ad Deum, fugito temulentiam ne magis etiam abs te Deum alienet.* Sic quidem diuinus Baſilius Bacchanalium furorem inſectatur: cuius nos paternis & ſalutaribus præceptis parere æquum eſt, atque Eccleſiæ voluntati & Chriſti orationi nos potius accommodare, vt relictis iſtis friuolis nugis, ſerio tandem de æterna ſalute cogitemus.

Baſil. homil. 2. de ieiun.

IN EADEM DOMINICA,
CONCIO SECVNDA.

Fili Dauid miſerere mei. Luc. 8.

QVONIAM Apoſtolos ſcribit Euangeliſta ſermonem Chriſti minimè intellexiſſe, cum de morte ſua ac reſurrectione loqueretur, commodè, vt Gregorius etiam animaduertit, cæcus deinceps inducitur, qui diuino imperio & virtute amiſſum lumen recuperauit, & cæleſti luce perfuſus, Chriſtum ipſum ſalutis ſuæ autorem & ducem lętus & alacer ſequutus eſt. Id quidem Apoſtolis cõtigit, quibus Chriſtus aperuit ſenſum, vt intelligerent diuinas Scripturas, & veſtigijs crucem portantis inſiſterent pleni gaudio, quod digni habiti eſſent pro nomine Ieſu cõtumeliam pati. nobis quoque diuini beneficij non negatur amplitudo, ſi videre, ſi ſapere volumus, quo caligine ignorantiæ priſtinæ depulſa, Chriſtum Hieroſolymam petentem ſequamur, & crucis communicata patientia, reſurrectionis vna gloria potiamur. Sed quid cæcus iſte egerit, qua ex miſeria ad quam felicitatē venerit, conſideremus. *Factum eſt*, inquit, *cum appropinquaret Hiericho, cæcus quidam ſedebat ſecus viam mēdicans.* Rectè in Hiericho cæcus verſabatur, neque in Hieroſolymam ante contendere cœpit, quam Chriſtus huc ex illo viam carperet. Lunam periti Hiericho interpretantur, cui ſimilis eſt vita mortalium, mutabilis & inconſtans: cui accedit etiam cęleſte maledictum, quo peccatis hominum reddita eſt iracundia diuina, & iuſſa ciuitas Hiericho anathema haberi. Vitæ autem humanæ & inopia & labor pulchrè oſtenſa ſunt, cum cæcus & mendicus ſecus viam ſedere deſcribitur. *Cæcum quippe eſt genus humanum*, ait Gregorius, *quod in parente primo à paradiſi gaudijs excluſum, charitatem ſupernæ lucis ignorans, damnationis ſuæ tenebras patitur.* Satis quidem miſera eſt per ſe cæcitas, quæ iucundiſſimo lucis aſpectu priuata eſt, quod Tobias expertus dicebat.

1. Cæcitatē ad mendicitatem ſimul pati ſeculi amatores.

Luc. 24.

Actor. 5.

Ioſue 6.

Greg. hom. 2. in Euãg.

Tob. 5.

Quale gaudium erit mihi, qui in tenebris ſedeo, & lumen cæli non video? Sed cum ad cæcitatem accedit mendicitas, magnum ſane miſeriæ cumulum efficit. Quid enim eſt aliud mendicare, niſi ad hominum miſericordiam venire, vt Auguſtinus dixit. Cogitur enim mendicus vitę ſuſtentandæ ſubſidia quærere, quibus cæcitas omnibus impedimento eſt. Itaque neceſſario fit, vt precatio viuat, atque alienam opem perpetuo imploret. Ac mendicus quidem petit, orat, obſecrat, ſed cæcus cum ſit, quem oret, ignorat; quid accipiat, neſcit. Eunt & redeunt homines: ille in via ſedet. Sępe nullo tranſeunte, precatur & poſcit: ſæpe bellua tranſit, quam alloquitur, quod hominem putet. Cum verò nox incubuerit, & à ſtipe petenda cæcus ceſſauerit, quid collegerit non videt: aliud pro alio crebro opinatur. Nonne miſeriæ noſtræ expreſſa hæc effigies eſt? Quid enim homines aliud agunt? quid niſi mendicant in via poſiti, & à creaturis tranſeuntibus ſubſidium ſibi opemque efflagitant? Et quidem *non ad creaturam iubemur tendere, quemadmodum Auguſtinus ſcribit, vt efficiamur beati, ſed ad ipſum creatorem. Præſentia verò quantum ad creaturam pertinet, in corporis & animi mobilitate & mutabilitate quaſi tranſeuntia ſentiuntur.* Rectè prorſus id Auguſtinus. Tranſeunt enim omnia, neque miſeriam hominis inopiamque implent. Voluptates, fortunas, honores omnes homines ambiunt: à cibo, à pecunia, à ſpectaculo, ab agro, ab ædibus, à veſte, & à tecto, à cæteris vitæ inſtrumentis ſubſidium petunt. A præſide, à iudice, à principe opem depoſcit iniuria affectus. Ipſe Princeps, & Rex, & Imperator & Pontifex ſummus, mendicat plane quotidie, quanuis ſibi copioſus & abundans eſſe videatur, ab ipſis ſeruis, à ſubditis, à ſatellitio mendicat ſalutis vitæque cuſtodiam. Omnes ſitiunt; alienæ opis omnes indigent. Nulla eſt dies, nullum horæ momentum, quo non

Aug. in expoſit. 2. Pſalm. 108.

Aug. 1. lib. de libero arbitrio c. 21.

non mendicet à creaturis tranſeuntibus miſerrimus homo. Et cum tantopere egeat, quid tandem accipiat, infelix idem non ſentit: quippe qui non modo mendicus, ſed cæcus etiam ſit. Pulchrè Beda: *Et ſi habere cæcus quodlibet poteſt, ſine luce non poteſt videre quod habet.* Quæ magna munera putat, viliſſima ſæpe ſunt: & vnde capere multum credidit, vacuum remanere contingit. Cumque nox venerit, vitę pręſentis die peracta, quid ſecum bonorum gerat, ignorat, æs an aurum argentumve ſit, quod habet diſcernere viſu non poteſt. Stipis quantum collectum multo clamore, prolixiſque votis eſt, totum fortaſſe teruntij vix ſit. O miſeram vitam noſtram, ô conditionem mortalium cum laborioſam & grauem, tum fallacem & ludibrio plenam. Quam bene Salomon concionatur: *Quid habet amplius homo de vniuerſo labore ſuo quo laborat ſub Sole? Non ſatiatur oculus viſu, neque auris impletur auditu. Vidi in omnibus vanitatem & afflictionem ſpiritus et nihil permane e ſub ſole.* Quæ quidem cæci mendici præmia eos præcipuè tangit qui in curijs ac palatijs Regum, Pontificum, Principum, honores atque officia ambiunt, quorum ratio omnis eſt, vt ſemper poſtulent, ſemper clamitent, ſemper inopiam ſuam egeſtatemque decantent. Qui infirmos & abiectos homines ſępe venerari coguntur, calones, pediſſequos, ſcurras colere, vt iſtorũ etiam ope apud principes ſubleuentur. At illud omniũ miſerrimũ, quod eas tenebras infelices patiũtur, vt quid accipiant, nõ videant. AEgyptios tenebris denſiſſimis oppreſſos Scriptura commemorat, ita vt pedem mouere non poſſint. Solis Dei filijs Iſraelitis maxima ac iucũdiſſima lux erat.

Beda in 10. cap. Marci in catena S. Thomæ.

Eccleſ. 1.
Eccleſ. 2.

Sapient. 16. & 17.

Cæcus igitur ſedebat ſecus viam mendicans: omnes præteribant, lucem nemo tribuebat. Neque enim tranſeuntium creaturarum aliqua cæco homini oculos aperire poteſt. Solius eſt Christi id præ-

2. Multæ virtutes in vno cæci facti elucent.

præſtare, qui eſt lux vera, & illuminat omnem ho-
Ioan.1. minem. *Dominus illuminat cæcos.* Propterea huic mũ-
Pſal.145. do illuxit, vt cæcas mortalium mentes ſuo ſplen-
dore illuſtraret: quod officium à Patre commenda-
Eſai.42. tum Eſaias vel Deus ipſe Eſaiæ voce teſtificatur. *Et dedi te in fœdus populi, in lucem gentium: vt aperires oculos cæcorum, & educeres de concluſione vinctum, de domo carceris ſedentes in tenebris.* Quare quidquid rerum occurrat, nihilo homo magis miſeria ſua ſubleuabitur, vſque dum Ieſus adſit, cuius ope ſolius cæcitas generis humani poteſt depelli. Id diuinitus edoctus cęcus hodiern' Bartholom. occaſionem ſalutis ſuę ſibi oblatam elabi de manibus minimè paſſus eſt. *Et cum aud iſſet quod Ieſus tranſiret, clamauit, Ieſu fili Dauid miſerete mei.* Filium Dauidis appellans, ipſo nomine & ſuæ fidei teſtimonium proferr, quod Meſſiã de ſtirpe Dauidis promiſſum certiſſimè crederet, & ipſum Ieſum officij admonuit, quod filium Dauidis miſericordia & clementia maximè deceret, quæ fuit Dauidis præcipua laus. Meſſiæ verò munus eſ-
Eſai.35. ſet oculos cæcorum aperire, vt erat ſacris Prophetarum vocibus iam prædictum. *Ieſu fili Dauid miſerere mei.* Magna mea miſeria magnam tuam miſericordiam implorat, quantoque ego vilior, tanto benignitas tua amplior erit. Sapienter planè ſe habuit cæcus hic, qui beneficij accipiendi occaſionẽ ſtatim vt cognouit, arripuit. Eſt prudentiæ ſingularis non differre ſalutem, remedium oblatum continuo capere, occaſione non deeſſe rei benè gerendæ. Ieſum prætereuntem vocare eum ſcitote, qui diuinam inſpirationem inopinato oblatam præterla-
Hebr.12. bi non ſinit, ſed ductum illius ſequitur. *Contemplantes,* ait Paulus, *ne quis deſit gratiæ Dei.* Non eſt in noſtra poteſtate ſitum, vt Ieſus veniat: at cum ille
2.Cor.6. ſponte ſe offert: noſtri officij eſt, non deeſſe copiã ſui præbenti. *Ait enim tempore accepto exaudiui te, &*

in die

in die ſalutis adiuui te. Deinde non remiſsè negotium ſuum geſſit hic cæcus. Neque voce mediocri contentus fuit. Clamore vſus eſt ac vociferatione: feruorem oſtendens, ac deſiderij ſui magnitudinem. Summoperè Deo placet is ſpiritus feruor: frigidas ac remiſſas preces non probat. *Clamabit,* inquit, *ad me, & ego exaudiam.* Clamore opus eſt valido, ei qui cæcitatem diuturnam diſpellere cupiat. Hieronymus ſic plane cenſet, *Ingraueſcente bello,* ait ille, *manꝰ ad lapidem adiutorij, hoc eſt Ieſum Nazarenum cum clamore leuandæ ſunt.* Iam conſtantiam cæci huius egregiam conſiderate, multæ in vno facto virtutes elucent. Neque enim ſatis fuit cum prompta tum vehemens oratio, ſed perſeuerans, & incepto perſiſtens repulſam pati non potuit. Non ceſſit repugnātibus, contradicentes contentionis magnitudine vicit. *Et qui præibant,* ait Lucas, *increpabant eum, vt taceret. Ipſe verò multo magis clamabat, Fili Dauid miſerere mei.* Sola perſeuerantia coronatur. Et eſt is certè Beatus, qui Dei obſequium & ſalutem ſuam eo vehementius prolixiuſque procurat, quo mundus impenſius ab incepto eum auertere conatur. Rectè à Philoſopho quodam dictum, eſſe animi robuſti & inuicti, aduerſantium telis amplius tanquam calcaribus excitari. Neque præterijt cæci huius conſtantia Chryſoſtomum hæc loquentem: *Sed per inhibitiones huiuſmodi non impediebatur eius audacia. Nouit enim fides omnibus repugnare, & in omnia triumphare. Vtile eſt enim pro Dei cultu pudorem deponere.* Ita Chryſoſtomus. Illud verò mihi iucundum animaduertere accidit, homines quidem illos prætereuntes officiū honeſtum putaſſe cæci clamores cohibere, tanquā importunè Ieſum vocaret, moleſtiamque ingredienti afferret vociferando: cæcum verò nihil iſtorum reprehenſiones curaſſe, rem ſuam eo pertinacius egiſſe: at Chriſtum diſceptatorem huiuſce cō-

Pſal. 90.

Hierō. in expoſit. Euāg.

Chryſoſt. in catena Sācti Thomæ.

tentionis atque arbitrium, obſequium illorum refutaſſe, qui dignitatis ipſius rationem habere viderentur, hominis deſiderium curamque ſalutis ſuæ indefeſſam magis probaſſe. Nam vt Victor Antiochenus literis tradidit, *Demonſtratur hoc loco quanto in honore & reuerentia Chriſtus fuerit multitudini. Neque enim cæco permittit vt liberè vociferetur aut obturbet, nec citra comminationem ſilentium ei imperatur. Nempe dabat operam, vt omnia vbique eſſent quieta & pacata, veluti dum Rex quiſpiam pertranſit.* Ergo pro Chriſti reuerentia & honore ſalutem cæci impedire illi pergebant. Quod faciunt hodie permulti, vt diuini obſequij reſpectu homines à ſalutaribus & ſpiritualibus ſtudijs auocent. Sunt enim qui diuini honoris prætextu ſalutares ſæpe actiones reprehendant. Ne ſæcularis cum ſis, tam frequenter ad Euchariſtiam accedas, eſt id ſacerdotum, non laicorum. Ne tantopere meditationibus atque ſpiritualibus exercitijs vaces: monachos & eremitas hęc potius decent, quam coniugatos. Ne te maceres ieiunijs, & cilicio, & vigilijs: corpus delicatum iſthęc frangunt: animum à diuinis obſequijs morbo inducto auocant. Ne monachatum & cucullum induito, quod vtilis ſis reipublicæ, & Dei cauſam inter tuos melius agas. Tales ſunt mundi voces, talia conſilia: quibus dum Dei reſpectus obtenditur, illud agitur, vt ſalutis tuę te potius pigeat. At tu ſi ſapis Chriſtiane, cæcum Euangelicum præclarè ſibi videntem & conſulentem ſequere: quanto illi magis increpabant, tanto hic magis clamabat, Ieſu miſerere mei. Dauidem imitare dicentem. *Ego autem cum mihi moleſti eſſent, induebam me cilicio.* Ipſum denique Ieſum aſpice qui Petrum à cruce ſubeunda auocantem acerrimè repreſſit, & ſe potius ſequi iuſſit, *Vade poſt me Satana.* Conſtantia opus eſt maxima, & prudentia ſpirituali, ne prudentia carnis exitium afferat, dum bene ſibi con-

Victor Antioch. in 10. cap. Marci.

Pſalm. 34.

Matth. 16.

bi conſulere videtur. Conſilia carnis Bernardus optime refellit atque irridet: *Quid hic*, inquit, *vos dicitis obſeruatores ciborum, morum neglectores? Hippocrates & ſequaces eius docent animas ſaluas facere in hoc mundo: Chriſtus & eius diſcipuli perdere. Quemnam vos è duobus ſequi magiſtrum eligitis? At manifeſtum ſe facit, qui ſic diſputat, hoc oculis, hoc capiti, & illud pectori vel ſtomacho nocet. Eſt enim carnis hæc ſapientia, quæ inimica eſt Deo. Num Hippocratis ſeu Galeni ſententiam aut certè de ſchola Epicuri debui proponere vobis? Chriſti ſum diſcipulus: Chriſti diſcipulis loquor. Epicurus atque Hippocrates corporis alter voluptatem, alter bonam habitudinem præfert: meus magiſter vtriuſque rei contemptum prædicat.* Hæc Bernardus in eos qui curam carnis curæ ſpiritus præferunt acriter diſputat & verè. *Bern. ſerm. 30. in Cant.*

Stans autem Ieſus iuſſit illum vocari ad ſe. Non eſt omittendum, quod Marcus hoc loco memorat: *Et vocant*, inquit, *cæcum dicentes, animo æquiori eſto, ſurge, vocat te.* Paulo ante dixerat, homines cæco eſſe comminatos vt taceret. Iidem ſine dubio, vt viderunt Ieſum conſiſtere, & cæcum ad ſe vocari iubere, mutata ſententia, eum adhortantur, quem ante inhibebant. Perſeuerantiæ nimirum certiſſimus fructus eſt, vt qui aduerſabantur virtuti, virtutem iuuent, qui vituperabant, iidem maximè laudent. Ita Scriptura habet: *Cum placuerint Deo viæ hominis, inimicos eius conuertet ad pacem.* Dauid in Hebron ſeptem annos regnauit: mox Iſrael vniuerſus & Beniamin domus quæ erat infeſtiſſima, in Regem ſibi depopoſcit, & regnum libentiſſimè obtulit. Eſt ab Eſaia prædictum. *Venient ad te, qui detrahebant tibi, lingent puluerem pedum tuorum.* Quod vaticinium Eccleſiæ ſanctæ quidem congruit, quæ gentes tolerauit infeſtas, habuit mox obedientes & ſubditas, ac de tyrannis factos ſibi propugnatores Cæſa- *3. Alacritas & conſtantia in inuocando Ieſu. Prou. 16. Eſa. 44.*

res vidit. Sed ſuo quoque modo quiuis Dei ſeruus experiri etiam poteſt, perſeuerantia boni malum non modo ſuperari, ſed etiam in auxilium verti. Addit præterea Marcus, *Proiecto veſtimento ſuo exiliens venit ad eum.* Mira hominis alacritas: qui cum ingredi vix poſſet niſi ductu alterius, nunc exiliat & volitet. Et qui exiguam antea ſtipem toto die obſecrando colligebat, nunc etiam veſtimentum proijciat, ac nihili pendat. Notat id Victor his verbis: *A Domino vocatus cum omni alacritate exiliens ad illũ accurrit: veſtemque qua indutus erat, quo ad curſum expeditior eſſet, abiecit: tantum non veterem hominem ſeſe exuere, totumque Chriſto dedere ſymbolo hoc teſtatum faciens.* Tobias quidem ſenior audito filij Tobiæ aduentu obuiam cœpit ire pedibus offendens. Et cũ Ieſus adeſt, cum expectat, cum vocat, nihil more faciendum eſt, confeſtim exiliendum & currendum eo. Sis licet cæcus, propera, curre: ſi quid impegeris, boni conſulas, peruenies ad illum tandẽ. Neque te morentur impedimenta: abijce ſtatim omnia, etiam veſtimenta quæ videntur vſui eſſe. Nã qui & ſarcinas ſuas amant, & geſtari ab alijs expectant, raro vel potius nunquam peruenient ad Ieſum. Paulum mihi pauliſper attendite, quid ea de re ſentiat. *Quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus ſum propter Chriſtum detrimenta. Verumtamen exiſtimo omnia detrimentum eſſe propter eminentem ſcientiam Ieſu Chriſti Domini mei: propter quem omnia detrimentũ feci, & arbitror, vt ſtercora, vt Chriſtum lucrifaciem.* O animum verè quid Chriſtus ſit æſtimantem, atque ipſo rerum omnium contemptu præ illo, Chriſti conſecutione digniſſimum.

Victor Antiochenus in 10. Marci.

Philip. 3.

4. Felicem eſſe, cui oculi aperiuntur, vt videat Deum.

Quid vis vt faciam tibi? Domine vt videã. Nihil his votis maius, nihil Dei aſpectu præſtantius. Quod optauit, conſecutus eſt: aperti ſunt cæco oculi, cæleſte lumen accepit, vidit, & Dei Filium primum aſpexit

ſpexit & vidit: faciem illam coram intuitus, in quam deſiderant Angeli proſpicere, cuius viſione beati ſunt, quicunque ſunt beati. Bene hic à Beda hoc loco cæcum imitari admonemur: *Imitemur, inquit, & nos eum, non diuitias, non terrena bona, non honores à Domino, ſed lucem quæramus, quam videre cũ ſolis Angelis poſſumus.* Dici non poteſt, quale illud ſpectaculum ſit, cum primum mens hominis corporeis integumentis exoluta, & diuina luce perfuſa in ipſam ſempiternæ deitatis faciem intuetur. Hæc omnis felicitas, hæc Patris cæleſtis ampliſſima promiſſa: ad hanc omnis ſanctorum in terra peregrinantium cogitatio & affectus ſuſpirat & anhelat. *Quando veniam,* inquit, *& apparebo ante faciem Dei*? Et idem: *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* Item alius: *Audemus autem, & voluntatem habemus bonam, magis peregrinari à corpore, & præſentes eſſe ad Dominũ?* Quid illud? *Cupio diſſolui & eſſe cum Chriſto.* Nec ſecus ille alius Sanctorum. *Chariſſime nondũ filij Dei ſumus, & nõdum apparuit, quid erimus: ſcimus quia cum apparuerit, ſimiles ei erimus, & videbimus eum ſicuti eſt.* Quam igitur Sapiens & perfecta petitio, *Domine vt videam.* Atque Eliſæus quidem puero formidanti & perturbato petijt, vt aperirentur diuinitus oculi. Itaque aſpexit militum cæleſtium numeroſum exercitum & firmum. At noſter hic cæcus ipſum ducem militiæ cœleſtis vt primum oculos aperuit, intuitus eſt, Dominum exercituum vidit. O illud fæliciſſimum & iucundiſſimum auditu Dei verbum, cum deſideranti ſe animæ, & vitam videre concupiſcenti, dicetur. Reſpice: *Regem in decore ſuo videbunt,* ait Scriptura. Quicunque tanto munere affectus fuerit, vt videre patrem luminum poſſit, nihil aliud quærat, nihil agat, niſi Ieſum ſemper & perſpiciat & ſequatur & laudet, quod cæcus hic Euangelicus fecit. Cætera omnia vana putet, ad Deum ſe totum conferat,

1.Pet.1. — *Beda in expoſit. Euang.* — *Pſal.41.* — *Pſal.16.* — *2.Cor.5.* — *Philip.2.* — *1.Ioan.3.* — *4.Reg 6.* — *Eſai.33.*

Pſal. 118. Chriſtum obnixè precetur, *Auerte oculos meos, ne videant vanitatem.* Ita gratia Dei aperiat in præſentia oculos mentis, vt Chriſtum intuens & ſequens gloriæ ſplendore illuminata, ad lucem illam inacceſſibilem peruenire poſſit.

IN EADEM DOMINICA,
Concio Tertia.

Aſſumpſit Ieſus duodecim. &c. Luc. 18.

1. Amicitiæ eſſe ſecreta communicare amicis.

EST amicitiæ vel præcipuum munus cõſilia cogitationeſq; intimas amico communicare: quæ res fiduciam maximè declarat, cum amico perinde ac tibi ipſi confidas, tuo pectore in illũ expoſito atque transfuſo. Itaque qui ſecretum ſuũ alteri impertit, claues ſe credidiſſe non arcis cuiuſpiam, ſed exiſtimationis, honoris, vitæ, capitis oportet intelligat. Quamobrem paucos eoſque ſelectos eſſe conuenit, quibus ſecreta credantur, quod admonet ſapiens, *Cauſam tuã tracta cum amico tuo: & ſecretum tuum extraneo ne reueles.* Eſaias etiam adiungit: *Secretum meum mihi, ſecretum meum mihi.* Neque enim culpa vacat ſecreta vel diuina vel etiam humana temerè effundere. Ambroſium audi: *Peccat Deo, qui commiſſa ſibi ſecreta myſteria putauerit indignis eſſe vulganda. Periculum itaque eſt non ſolum falſa dicere, ſed etiam vera, ſi quis ea inſinuet quibus non oportet. Plerique dum ſine præiudicio loquuntur, verbum emittunt, quod reuocare non poſſunt.* Ergo deligendi ſunt fidi amici, quibus ſecreta credantur. Verus autem amicus, meritò alter ipſe cenſetur. Duabus autem de cauſis ſolent ſecreta amicis communicari. Primum vt vel conſilio iuuent, vel etiam auxilio ſi opus ſit, quo in genere

Prouer. 25. Eſai 24. Ambroſ. in Pſal. 118. ſerm. 2.

ſcriptura

ſcriptura refert, Ammonis cum Ionadab de animi ſui ægritudine & filiæ regis amore colloquium. Alterum genus eſt, cum ſecreta communicantur, non quod ipſe alterius conſilio opere indigeas, ſed vt amico potius gratificeris, aut etiam ſubuenias, quale fuiſſe conſtat Rebeccæ erga filium Iacob officium amoris pleniſſimum. Inter homines quidem ita ſe ratio amicitiæ habet. At Deus omnipotens rerum omnium arbiter, quam habeat rationem communicandi hominibus ſecreta conſilia ſua? Nam amicitiæ ſane leges amicum vel parem inuenire vel facere iubent. Quamobrem Ariſtoteles cenſuit Dei & hominis amicitiam poſſe eſſe nullam, ſiquidem ſummo Imperatori cum ſordidiſſimo lixa, qui amicitiam contrahi dicat, ridiculus ſit. *Amicitiam eſſe dicimus*, ait Ariſtoteles, *vbi amor reciprocus eſt. At erga Deum amicitia neutiquam reciproca eſt, & ne amare quidem ſuſcipit. Alienum quippe fuerit, ſi quiſpiam dixerit ſe Iouem amare. Ideo non erga Deum quærimus amicitiam.* Hæc Ariſtoteles. Verum nos aliter diuinæ literæ docẽt, Deũq; teſtantur amicitia ſua homines dignari, idq; præclarũ & ſe dignum ducere, ac legibus amicitiæ ſe dimittere ad hominem, & ad ſe attollere hunc, amicisque ſuis conſilia ſua reſque maximè ſecretas libenter committere. Nam magnum patrem credentium Abraham Scriptura perhibet amicum Dei eſſe appellatum. Quæ ratio extitit, vt ſecum Deus ita loqueretur: *Nunquid celare potero Abraham, quæ geſturus ſum?* Ac Eliſæus ſe diuina amicitia decoratum ſentiens, amicè querebatur, caſum Sunnamitidis celaſſe ſe Deum. Non eſt enim amicitiæ celare amicis, quid agas. Prophetas & amicos Dei conſtitutos ſapientia commemorat: quorum è numero vnus ſic aſſerit: *Non faciet Dominus Deus verbum, niſi reuelauerit ſecretum ſuum ad ſeruos ſuos Prophetas.*

[Margin notes: 2.Reg.13. — Gen.27. — *Ariſt. lib.1. magnorum moralium cap.11.* — *Iacobi.2.* — Gen.18. — 4.Reg.4. — Sapien.7. — Amos.3.]

Atque

Atque Euangelica lege iam inchoăte, amicitiæ ſuæ Deus maxima atque apertiſſima ſigna præbuit, Apoſtolos præſtantiſſimos amicórum ſibi aſciſcens, cum ijs penitus occulta conſilia cogitationeſque communicans, quemadmodum ipſe profeſſus eſt apud eos: *Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcunque audiui à Patre meo nota feci vobis. Non dicam vos ſeruos, quia ſeruus neſcit quid faciat Dominus eius.* Inter omnia verò diuina myſteria illud altiſſimè eminet, quod de redimendo homine diuino ſanguine, atque iniurijs crucis toleratis ſuſcepit: quod myſterium magnificè Paulus Apoſtolus extollit his verbis: *Secundum reuelationem mihi notum factum eſt ſacramentum, ſicut ſupra ſcripſi in breui, prout legentes poteſtis intelligere prudentiam meam in myſterio Chriſti: quod alijs generationibus non eſt agnitum filijs hominum, ſicut nunc reuelatũ eſt ſanctis Apoſtolis eius & prophetis in ſpiritu.*

Ioan.15. *Ephes.3.*

2. Cur ſecreto crucis myſteriũ tradat Chriſtus.

Hoc igitur myſterium tam reconditum cum diſcipulis ſibi chariſſimis Chriſtus hodie communicat, & ſecretum illud admirandum fideliſſimis amicis aperit, idque ſeparatim ac ſecretò, vt res tanta poſcebat. Neque conſilij, auxilijve petendi gratia id facit, cum ſit ille ipſe, de quo Eſaias loquitur: *Quis adiuuit ſpiritum Domini? aut quis conſiliarius eius fuit, & oſtendit illi? Cum quo inijt conſilium, & inſtruxit eum?* Etenim qui de condendo mundo cùm ageret, nullius conſilio eſt vſus, nullius opera adiutus: cum de eodem perdito reparando ac redimendo cogitaret, neque conſilijs, neque auxilijs hominum eguit. Quid enim ſententiæ mortalium rogarentur, cum collegij Apoſtolici princeps facta eius rei mentione in illa verba proruperit? *Abſit à te Domine, non erit tibi hoc.* Ergo ſecreti communicati ratio omnis, amicitia eſt, amicos cupere rei ſummæ, & quæ illorum ſummoperè interſit participes facere. Quam rem tunc euulgari minimè oportebat, ne arcana conſilia

Eſai.40. *Matth.16.*

lia

lia ſi in notitiam venirent hoſtium, impedirentur: ſed celata potius & occultata inimicas manus rerũ quas patraſſet ignaras, haberent adiutrices: *quæ*, vt ſcitè Leo Papa dixit, *dum proprio incumbunt ſceleri, famulatæ ſunt redemptori*. Sed quod in aure audierunt Apoſtoli, poſtea prædicare iuſſi ſunt ſuper tecta: *Omni enim rei tẽpus eſt, & opportunitas: tempus tacendi, tempus loquendi* Fuit adhęc charitatis Chriſti, Eccleſiæ ſuæ firmamenta Apoſtolos munire horribili tẽpeſtate impendente, ne quem probris omnibus affectum viderent, ac nece crudeliſſima appetitum, Dei filium negarent, ac mũdo ſalutem offerre poſſe diffiderent. Id enim conſilij diuini fuit, ſicut Gregorius Chryſoſtomusque demonſtrant, vt præſcientia rerum futurarum Chriſtus diſcipulos admoneret, nihil ſibi inopinatum, nihil decreto ſuo præſcriptum accidiſſe. Valide enim concuſſa eſt diſcipulorum fides, ac tanquam ariete fortiſſimo cruce diſiecta. Itaque eorum quidam non infimi aiebant. *Nos ſperabamus quod ipſe eſſet redempturus Iſrael.*

Leo ſer.

Marc. 10.

Eccleſ. 3.

Greg. hom. 2. in Euang.

Chryſ. in expoſit. Euãg.

Luc. 24.

Iam quod ſolos duodecim ſecretò adhibuerit Chriſtus, cum habuerit plurimos ſectatores, docet ſane in omnibus impertienda arcana, quanuis vi deantur beneuoli & ſtudioſi rerum noſtrarum. *Amici*, inquit, *ſint tibi multi: conſiliarius autem vnus de mille*, ſecretum ſeruare non omnes queunt. Sunt qui tanquam onere grauentur, ſic ægrè ſe continent, vſque dum deponant. Parturire ſtulti videntur ſecreta amicorum, quaſi doloribus excrucientur, niſi fœtum effundant. Atque omnia quidem metalla rupta, ignis opera ſolidari & coaleſcere poſſunt: pectus autem ſecreti tenendi impotens, nullius rei præſidio firmare poſſis, nec rimulas eius hac illac effluentes occludere. Lyſimacho regi roganti cuiuſnam rei ſe vellet participem ab eo fieri, reſpondiſſe

3. Fide incorrupta ſecreta amicorum conſeruãda.

Eccli. 6.

Plutarch. in Apophtegm.

diſſe Philippidem poetam refert Plutarchus, cuiuſuis vellet, dummodo ne ſecretorum. Prudenter videlicet ſibi cauens, ne ſecreto regio violato pœnas adiret extremas. Nihil eſt enim quod tantoperè lædat amicitiam: nihil quod veniam minus vel mereatur vel impetret. Scriptura diuina ſic cenſet: *Diligite*, inquit, *proximum, & coniungere fide cum illo. Quod ſi denuntiaueris abſcōſa illius, ne perſequaris poſt eum* Quæ verba eam habent ſententiam, fruſtra niti ad amicitiam recuperandā, qui amicitiā ſecretò patefaciendo violauerit. Cuius rei ſimilia quædā ponit valde opportuna. *Sicut*, inquit, *qui dimittit auem de manu ſua, ſic dereliquiſti proximum tuum, & eum non capies*. Vt enim aiunt, ſunt pedicæ, ſic ſecreta amicorum, quibus mutua fides aſtringitur. Itaque adiungit, *Effugit enim quaſi caprea de laqueo, quoniam vulnerata eſt anima eius*. Non minus amicum læſum dénudato arcano ab amici ſotietate auerti dicit, quam capream venatoris laqueo expeditam. Denique cauſam tanti doloris exponit: *Maledicti eſt concordatio, denudare autem amici myſteria, deſperatio eſt animæ infelicis*. Id eſt, quanuis graui maledicto amicus offenſus, reconciliari tamen poteſt, læſus autē violata fide ſecreti, redire in gratiam nullo modo poteſt. Neque enim bene vnquam de eo ſperare licet, qui fidem proditioni arcani violauit. Magna eſt plane commiſſi ſecreti vis inuiolabile ius. Beatus Pater Ambroſius fratrem ſuum Satyrū adeò ſui ſimilem fuiſſe refert, vt plerunque homines alterutrum non diſcernerent, ac pro vno alium alloquerentur. Illud verò inter vtrumque diſcriminis fuiſſe, quod alter neſciret quæ alteri eſſet ab amicis cōmiſſa ſecreta. Nam licet in cæteris rebus omnibus non modò fratres eſſent, ſed etiam eadem anima duobus corporibus indita, tamen res ſibi ab amicis creditas nequaquam putabat vnquam Ambroſius fratri

Eccli. 27.

Ambroſ in orat. de obitu fratris torat. dium.

fratri Satyro communicandas. Sed ipſius verba melius eſt ponere plena pietatis, plena dulcedinis: *Neſcio, inquit, qua expreſſione mentis, qua corporis ſimilitudine alter in altero videbamur. Quis te aſpexit, quã non me viſum putaret? Quoties aliquos ſalutaui, qui quoniam te prius conſuluerant, ſe à me tam dicerent ſalutatos? Quanti tibi dixerunt aliquid, qui ſe mihi dixiſſe memorarent? Quæ mihi gaudia, quanta frequenter coorta lætitia?* Et poſt pauca: *ſi vehementius contenderent, quod ſe aliquid mihi inſinuaſſe memorarent, reſpondebam ridens & gaudens, videte ne fratri dixeritis. Nam cum nobis eſſent omnia noſtra communia, indiuiduus ſpiritus, indiuiduus affectus, ſolùm tamen commune non erat ſecretum amicorum: non quo conferendi periculum vereremur, ſed tenendi ſeruaremus fidem. Sane ſi conſilio petenda res eſſet, erat ſemper commune conſilium, non ſemper commune ſecretum. Nam etſi amicitia alteri noſtrum dicerent, vt dicta ſua ad alterutrum peruenirent, tamen ſcio plerumque complacitum, ita fidem ſecreti eſſe ſeruatam, vt nec fratri committeretur.* Hæc vt recitaui omnia, ſcribit Ambroſius. Quo loco illius celebris præclarique dicti, Amicorum omnia communia, eam exceptionem ſapienter videtur afferre: Præter arcana amicorum. Equidem ſecretum meũ amico credere poſſum, aut amici ſecretum, alteri amico credere nullo modo poſſum. Rara igitur fides: diu probandus, cui tuum transfundere animũ poſſis.

Chriſtus autem ſicut committenda ſecreta paucis iiſq; lectiſſimis iudicauit, ita beneficia conferẽda in multos, imò quoſcunq; ea optare animaduertit, exiſtimauit. Ecce enim cæcus iſque ſordidus & mendicus clamans non exauditur modo, ſed etiam expectatur, atque immenſus ille comitatus conſiſtere cogitur, Chriſto ſtante, & cœptum iter ſiſtente, vſque dum cæcus accedat. *Stans autem Ieſus iuſſit illum* 4. Benignitas erga egenos & miſeros.

illum adduci ad ſe. Mirabile dictu eſt, & iucundum admodum cogitatu, qualis ea extiterit ſaluatoris in homines inopes exiguoſque benignitas. Matthæũ diuitem telonio inſidentem vt vocet, non ſtat, ſed præteriens vocat: cæcum Bartholomæum vt ſanet, ſtat, & dum veniat cæcus, expectat. Illuſtre plane documentum regibus, præfectis, iudicibus, cæteris qui dominantur & præſunt: quo pauperum preces audiant, ad miſerorum poſtulata ſe præbeant benignos: faſtu omni depoſito in plano conſiſtant: inuitent & ad ſe alliceant afflictos: egentibus ſubueniant: nec maiora negotia prætexant iſtorum cauſis audiendis, nec imperia obſtent, quæ ſubleuandis imbecillibus maximè amplificantur. Humanitatem principi erga ſubditos, inopes præſertim atque deiectos, maximè Dei more præbendam, hoc Chriſti factum egregiè declarat, id ſcilicet Deo digniſſimum eſt. Præclare certè Plutarchus ſcripſit ad hunc modum: *Verè quis dixerit Principes miniſtros eſſe Dei ad curam ac ſalutem hominum, vti bona quæ Deus illis largitur partim diſtribuant, partim ſeruent*. & mox: *Itaque iuſtitia quidem legis eſt finis, lex autem principis opus, princeps verò Dei ſimulacrum adminiſtrantis vniuerſa, nihil egens Phidia ſtatuario, neque Policleto, neque Mirone: ſed ipſe ſeipſum per virtutem ſimilem Deo reddit, ac fabricatur, ſtatuam omnium viſu iucundiſſimam ac magnificentiſſimam*. Præclarè, vt dixi, hæc à Plutarcho dicta & Chriſtianæ doctrinæ conſentanea. Quam ob rem in Principes fertur illa grauis ac iuſta Dei querela. *Pupilli non iudicant, & cauſa viduæ non ingreditur ad illos*. Ita quidem apud Eſaiam, neque apud Hieremiam ſecus: *cauſam viduæ non indicauerunt, cauſam pupilli non direxerunt: & iudicium pauperum non indicauerunt. Nunquid ſuper his non viſitabo, dicit Dominus? aut ſuper gentem huiuſcemodi non vlciſcetur anima mea?* Grauiter Deum prouocat durities principum, in pauperes:

Matth.

Plutar. in libello, Requiri in Principe doctrinam.

Eſai. 1.

Hiere. 5.

peres: iniurijs autem etiam immeritos afficere, & calumniari miſeros, vt creſcat res, furorem etiam accēdit. Decet primarios viros, decet maximè principes, humanos ſe præbere inopibus & infirmis, liberales, æquos, benignos. Nulla eſt & laus ea laude præclarior, neque habent quicquam præſtantius imperia, quam vt liceat miſeris benignè facere.

Quid tibi vis faciam? Domine vt videam. Nihil opus erat interrogare in re manifeſta ei, præſertim qui etiam abdita & occulta cognoſcit. Sed amat Deus confeſſionem noſtram, vt inopes nos & infirmos eſſe nouerimus: neque miſericordiam impertit ei, qui ſuam minimè agnoſcit miſeriam. Nam qui ægrotat, & valere ſe exiſtimat, fruſtra ei medicamentum adhibeas. Commodè Ambroſius: *Interrogauit cæcum, vt crederemus niſi confitentem non poſſe ſaluari.* Rectè etiam S. Papa Gregorius: *Ad hoc autem requirit quid velit, vt cor ad orationem excitet. Peti enim hoc vult quod & nos petere & ſe concedere prænoſcit. Importunè namque ad orationem nos admonet, & tamen dicit, ſcit namque Pater veſter cæleſtis quid opus ſit vobis antequam petatis eum.* Ergo & miſeriam noſtram agnoſcamus neceſſe eſt, & diuinum beneficium expetamus. Nulla eſt enim grauior & deſperatior cæcitas, quam cū videre ſibi homines egregiè videntur, in quibus errant. Horū de grege plurimos reperias, qui conſilia ſapientum minimè requirunt, cum ea tractent, quæ neque vſu didicerunt, neque ratione & iudicio aſſecuti ſunt: quorum ſuperbia & contumacia Reſpublica extrema plerunque damna accipit. In quendā ſane Epiſcopum admodum ſibi placentem, alioqui ineptum & inſipientem ita diuinus ſermo loquitur: *Dicis, Quod diues ſum & locupletatus, & nullius egeo: & neſcis quia tu es miſer, & miſerabilis, & pauper, & cæcus, & nudus.* Tanto quippe miſerior quiſque eſt, quāto ſe minus eſſe miſerū putat: & eo magis cæcus, quo

5. Agnoſcēda cæcitas noſtra, & lux cœleſtis expetēda.

Ambroſius in expoſ. Euangel. ij.

Greg hom. 2. in Euang.

Apoc. 3.

acutior ſibi eſſe videtur. Sic inanẽ Phariſæorũ iactãtiã, qui ſibi ſapientes & acuti videbantur, Chriſtus fregit & retudit, cũ cæcũ natũ curaſſet: *In iudicium*, inquit, *ego veni in mundum, vt qui non vident videant, & qui vident, cæci fiant. Et audierunt quidam ex Phariſæis qui cum ipſo erant, & dixerunt ei. Nunquid & nos cæci ſumus? Quibus ille reſpondit, ſi cæci eſſetis, non haberetis peccatum: nunc verò dicitis, qui videmus, Peccatum veſtrum manet.* Verè peccatores ij veniam nõ aſſequũtur, qui peccata ſua vel celant, vel quod eſt deterius, defendunt. *Dic tu*, inquit, *peccata tua prior vt iuſtificeris*, & alio loco: *Qui abſcondit ſcelera ſua, non dirigetur.* Quod ſi noſtram cęcitatem agnoueris, & quibus bonis fruendis priuati ſimus, perdolucrimus, viſus recuperandi ſpes maxima offertur. Neque enim alias facere expenſas iubemur diuino medico, quam toto animo velle ab ipſo curari, *Quid vis*, inquit, *vt faciam tibi?* Non quærit quid des: non ſciſcitatur quid habeas: nulla de pretio interrogatio: voluntatem ſolam exigit, ſed eam veram atque integram. *Quid vis, vt faciam tibi?* Tuum eſt velle, meum eſt facere, quicquid tu velle potes boni, ego amplius facere poſſum, *Domine vt videam.* Nihil breuius, nihil vberius. Viſio eſt tota mens. Cũ Euchariſtiam adoras & ſuſcipis, dic profectò, Domine vt videam. Quid illic theſauri lateat ſi videas, beatus eſſes: amplius nihil requireres. Cum cælum ſuſcipis & pulchram ſolis aſtrorumque ſpecies ſpectas, intellige velum tibi obtendi gloriæ cæleſtis, interna ſi appareant, tunc verè videre tibi cœlum videberis, dic igitur, Domine vt videã. Si diuina myſteria propoſita cernis, nec eorum maieſtatẽ & amplitudinẽ cognoſcere vales, obſecra conditorem tuum, Domine, vt videam. O nos felices & fortunatos, ſi quæ ante oculos iacent, myſteria Chriſtiana penitus intueri liceret. Paulus quidem Apoſtolus plenus ſapientia & pietate

Ioan. 9.
Eſai. 42. iuxta 70.
Prouer. 28.

pietate ita ad Epheſios ſcribit. *Non ceſſo gratias agẽs pro vobis, memoriam veſtri faciens in orationibus meis: vt Deus, Domini noſtri Ieſu Chriſti Pater gloriæ, det vobis ſpiritum ſapientiæ & reuelationis in agnitione eius, illuminet oculos cordis veſtri, vt ſciatis quæ ſit ſpes vocationis ei⁹, & quæ diuitiæ gloriæ hæreditatũ eius in ſanctis.* Et nos igitur illuminatos oculos petamus à Chriſto, vt opes gloriæ illius immẽſas diuino beneficio affecti, ac ſempiterna illa luce perfuſi, intueri capereque poſſimus. Quam ampla illa promiſſio, *Et oſtendam illi ſalutare meum*. Auguſtinus quidem eum locum ſic tractat: *Hoc dixit, oſtendam illi ipſum Chriſtũ. Quare? Non eſt viſus in terra? quid magnum habet nobis oſtendere? ſed non eſt viſus tali viſu, quali videbimus, quando videbimus eum à facie ad faciẽ, quod dicit Apoſtolus, quod nobis promittit Deus in magno præmio omnium laborum noſtrorum. Quidquid laboras ad hoc laboras vt videas. Neſcio quid magnum eſt quod viſuri ſumus, quando tota merces noſtra viſio eſt, & ipſum magnũ viſum, hoc eſt, Dominus noſter Ieſus Chriſtus. Rectè igitur cæcus illuminatus mente petit & orat; Domine vt videam. Nihil aliud petendum, nihil deſiderandum, niſi vt Deum videamus.* Nam eodem Auguſtino autore. *Illa viſio Dei tantæ pulchritudinis viſio eſt, & tanto amore digniſſima, vt ſine hac quibuslibet alijs bonis praditum atque abundantem non dubitet Plotinus infeliciſſimum dicere.* Quæ cum ita ſint, demus operam fratres, vt cæcũ Euangelicũ imitari, clamemus dum Chriſtus audit, curramus ad illum dum vocat, atque vt videamus Chriſti os, ac ſumma felicitate perfruamur, dum quod volumus, præſtat, votis omnibus ardenter expetamus.

Auguſt. in Pſalm. 90. Concio 2. in fine.

Aug. lib. 10 de Ciuitat. c. 16.

FINIS.

INDEX LOCORVM SACRAE SCRIPTVRAE, QVI IN HOC OPERE, VEL TRActantur, vel aliqua ex parte explicantur.

EX GENESI.

Cap. 1. *Vidit Deus quod eſſet bonum.* Pagina 48

In principio creauit Deus cælum, & terram. 296

2 *Vidit ergo Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* 48

Ibid. *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea.* 196

Ibid. *Vt videret quod vocaret ea.* 292

Ibid. *Quam ob rem relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna.* 401. & 404

3 *Eritis ſicut Dij ſcientes bonum, & malum.* 115

Ibid. *Maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ.* 404. & 590

4 *Ecce eijcis me hodie à facie terræ, & à facie tua abſcondar, & ero vagus, & profugus in terra, omnis igitur qui inuenerit me occidet me.* 430

5 *Iſte conſolabitur nos ab operibus manuum noſtrarum in terra cui maledixit Dominus.* 201

6 Non

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Non permanebit ſpiritus meus in homine, quia caro eſt. 174 — 6

In te benedicentur vniuerſa cogitationes terra. 248 — 22

Domine Deus quid dabis mihi? noli timere Abraham, ego ſum merces tua magnanimis. 548 — 15

Hoc eſt pactum meum quod obſeruabitis inter me, & vos, & ſemen tuum poſt te: circuncidetur ex vobis omne maſculinum, & circuncidetis carnem præputij veſtri, vt ſit in ſignum fœderis inter me, & vos, infans octo dierum circuncidetur in vobis, maſculus cuius præputij caro circunciſa non fuerit, delebitur anima illa de populo ſuo, quia pactum meum irritum fecit. 282, 284. & 288 — 17

Cum parturiret Rachel ob difficultatem partus, periclitari cœpit. Egrediente autem anima præ dolore, & imminente iam morte, vocauit nomen filij ſui, Benoni, id eſt, filius doloris mei. Pater verò appellauit eum, Beniamin, id eſt, filius dextræ. 281 — 35

En ego morior, & erit Dominus vobiſcum reducetque vos ad terram patrum veſtrorum, do tibi partem vnam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio, & arcu meo. 221 — 48

Salutare tuum expectabo. 160 — 49

Ex Exodo.

Non videbit me homo, & viuet. 179 — Cap. 3.

Obſecro Domine, mitte quem miſſurus tu es. 160 — 4

Sponſus ſanguinum mihi tu es. 179 — Ibid.

12 *Menſis iſte vocabitur principium menſium: primus erit in menſibus anni.* 171

Ibid. *Primogenitum filiorum tuorum dabis mihi de bobus quoque, & ouibus ſimiliter facies, ſeptem diebus ſit cum matre ſua, octaua die reddes illum mihi.* 178

Ex Leuitico.

Cap.13. *Quicunque maculatus fuerit lepra, & ſeparatus eſt ad arbitrium ſacerdotis, habebit veſtimenta diſſoluta, caput nudum, os veſte contectum, contaminatum, ac ſordidum ſe clamabit omni tempore quo leproſus eſt, & immundus ſolus habitabit extra caſtra.* 427

19 *Ne declinetis ad Magos.* 318

20 *Anima quæ declinauerit ad magos, & ariolos, & fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contra eam, & interficiam illam.* ibid.

22 *Septem diebus erunt ſub vbere matris ſuæ, octauo autem & deinceps offerri poterunt Domino.* 179

26 *Pauete ſanctuarium Domini.* 261

Ex Numeris.

Cap. 11. *Prohibe illos Domine mi Moyſes quid æmularis pro me? quis tribuet vt omnis populus prophetet & det eis Dominus ſpiritum ſuum?* 93

12 *Si fuerit inter vos Propheta Domini, in viſione apparebo ei, vel per ſomnum loquar ad illum.* 142

16 *Recedite à tabernaculis hominum impiorum, neque inuoluamini peccatis eorum.* 432

24 Di-

Dixit Balaam filius Beor, dixit homo cuius obturatus eſt oculus, dixit auditor ſermonum Dei, qui nouit doctrinam altiſsimi, & viſiones omnipotentis videt, qui cadens apertos habet oculos: videbo eum, ſed non modò, intuebor illum, ſed non prope, orietur ſtella ex Iacob, & conſurget virga de Iſrael, & percutiet duces Moab, vaſtabitque omnes filios Seth, &c. infra dicit. Heu quis victurus eſt quando iſta faciet Deus? Venient in trieribus de Italia, ſuperabunt Aſſyrios, vaſtabuntque Hebræos, & ad extremum etiam ipſi peribunt. 328 — 24

Ex Deuteronomio.

Si ſurrexerit in medio tui Prophetes, aut qui ſomnum vidiſſe ſe dicat, & prædixerit ſignum atque portentum, & euenerit quod locutus eſt, & dixerit tibi eamus, & ſequamur Deos alienos, non audies verba Prophetæ illius, &c. 244 — Cap. 13.

Non inueniatur in te qui obſeruet ſomnia. 241 — 15

Quod ſi tacita cogitatione reſponderis, quomodo poſſum intelligere verbum quod Dominus Propheta ille prædixit, & non euenerit, hoc Dominus non eſt locutus. 244 — Ibid.

Expandit alas ſuas, & portauit eos. 218 — 32

Qui appropinquant pedibus eius, ſuſcipient de doctrina eius. 97 — 33

Qui dixit patri ſuo, & matri ſuæ, Neſcio vos, & fratribus ſuis, ignoro illos, & neſcierunt filios ſuos, hi cuſtodierunt eloquium tuum, & pactum tuum ſeruauerunt, iudicia tua, ô Ia- — Ibid.

 cob,

cob, & legem tuam, ô Iſrael ponent thymiama in furore tuo, & holocauſtum in altari tuo, benedic Domine fortitudini eius, & opera manuum eius ſuſcipe. 229. & 374

Ex libro Iudicum.

Cap. 7. *Gladius Dei, & Gedeonis.* pag. 189

8 *Cum reuerſus fuero victor, in pace conteram carnes veſtras cum ſpinis tribuliſque deſerti, & deſtruam turrim hanc.* 151

Ex 1. Regum.

Cap. 2. *Donec ſterilis peperit plurimos, & quæ multos habebat filios infirmata eſt.* pag 514

16 *Nec iuxta intuitum hominis ego iudico, homo enim videt ea quæ patent, Dominus autem intuetur cor.* 113

22 *Mane mecum, mecumq́ſeruaberis.* 257

25 *Tūc ait Dauid pueris ſuis, accingatur vnuſquiſque gladio ſuo, & accincti ſunt ſinguli gladijs ſuis, accinctuſq́ eſt Dauid enſe ſuo.* 77

Ibid. *Et ait Dauid, verè fruſtra ſeruaui omnia quæ huius erant in deſerto, & non perijt quicquam de cunctis quæ ad ipſum pertinebant, & reddidit mihi malum pro bono.* 78

Ibid. *Diluculo cum digeſſiſſet vinum Nabal, indicauit ei vxor ſua verba hæc, & emortuum eſt cor eius intrinſecus.* 79

Ex 2. Regum.

Cap. 3. *Ego autem ſum delicatus, & vnctus rex.* pag. 482

17 *Expandit velamen ſuper os putei quaſi ſiccans ptiſanas, & ſic latuit res.* 308

23 *O ſi quis daret mihi potum aquæ de ciſterna, quæ eſt in*

eſt in Bethleem iuxta portum. 171

Dauid ſedens in Cathedra, ipſe eſt quaſi vermiculus ligni tenerrimus, & interfecit octingentos impetu vno. 490 Ibid.

Ex 3. Regum.

Magnificatus eſt ergo Rex Salomon ſuper omnes reges terra diuitijs, & ſapientia, & vniuerſa terra deſiderabat vultum Salomonis, vt audiret ſapientiam eius quam dederat Deus in corde eius. 162 Cap. 10.

Copulatus mulieribus Salomon ardentiſſimo amore. 170 11

Nubecula parua aſcendit de mare quaſi veſtigium hominis, ſonus magnæ pluuiæ eſt. 492 18

Ex 2. Paralippom.

Perrexerunt curſores cum epiſtolis ex regis imperio prædicantes filij Iſrael, reuertimini ad Dominum Deum: pius enim & clemens eſt Dominus Deus veſter, &c. Igitur curſores pergebant de ciuitate in ciuitatem illis ſubſannantibus, & irridentibus eos, attamen quidam viri acquieſcentes conſilio venerunt in Hieruſalem. 214 Cap. 30.

Ex 1. Eſdræ.

Omnia regna terra dedit mihi Dominus Deus cæli. pag. 184 Cap. 1.

Ex libro Tobiæ.

Quale gaudium erit mihi qui in tenebris ſedeo, & lumen cæli non video. pag. 603 Cap. 5.

Et cùm dixiſſent, Amen, acceſſerunt ad conuiuium, & cum timore Dei nuptiarum conuiuium exercebant. 415 9

Bona eſt eleemoſina magis quam theſauros auri- 12

ri recondere. 365

Ex libro Iob.

Cap. 4. *Columnæ cæli contremiſcunt, & pauent ad nutum eius.* 73

Ibid. *Et in angelis ſuis reperit prauitatem.* ibid.

5 *Per diem incurrent tenebras, & in meridie palpabunt quaſi in nocte.* 109

Ibid. *Qui apprehendit ſapientes in aſtutia eorum, & conſilium prauorum diſſipat; & abominatio eſt Domino omnis illuſor, & cum ſimplicibus ſermocinatio eius.* 155

Ibid. *Stultum interficit iracundia, paruulum occidit inuidia.* 553

7 *Quare me poſuiſti contrarium tibi? & factus ſum mihimetipſi grauis.* 298

Ibid. *Sicut præſtolatur mercenarius finem operis ſui, ſic ego menſes vacuos enumeraui mihi.* 547. & 550

9 *Verebar omnia opera mea ſciens quod non parcas delinquenti.* 77

Ibid. *Si venerit ad me non videbo eum, & ſi abierit non cognoſcam.* 393

12 *Qui immutat cor principum populi terræ, decipit eos vt fruſtra incedant per inuium, palpabunt quaſi in tenebris, & non in luce, & errare faciet eos quaſi ebrios.* 100

13 *Oſtende mihi quantas habeo iniquitates* 73

14 *Nemo mundus à ſorde, neque infans vnius diei ſuper terram.* 279

Ibid. *Quis mihi hoc tribuat vt in inferno protegas me, & abſcondas me, donec pertranſeat furor tuus.* 69

15 *Ecce cæli non ſunt mundi in conſpectu eius.* 73

19 Scio

Scio enim quod redemptor meus viuit, & in no- 19
uiſsimo die de terra ſurrecturus ſum, & rur-
ſum circundabor pelle mea, &c. repoſita eſt
hæc ſpes mea in ſinu meo. 47

Fugite à facie gladij, quia vltor iniquitatis gla- Ibid.
dius eſt, & ſcitote eſſe iudicium. 63

Et cæli inuoluti ſunt, & plicati coram eo ſicut 26
liber. 73

Abſcondita eſt ſcientia ab oculis omnium viuen- 28
tium, volucres quoque cæli latet. 307

Frater fui Draconum, & ſocius ſtruthionum. 30
473

Semper quaſi tumentes fluctus timui Deum, & 31
pondus eius ferre non potui. 60

In manibus ſuis abſcondit lucem, & præcipit ei 36
vt rurſus oriatur. 440

Ipſe me reprehendo, & ago pœnitentiam in fa- 42
uilla & cinere. 62

Ex Pſalterio.

Exultate ei cum tremore. 43 Pſalm. 2.

Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſ- 2
ſionem tuam terminos terræ. 184

Domine Dominus noſter quam admirabile eſt 8
nomen tuum in vniuerſa terra, &c. Quid eſt
homo, quod memor es eius? aut filius hominis
quoniam viſitas eum? minuiſti eum paulo mi-
nus ab Angelis. 164

Quoniam videbo cælos tuos, opera digitorum Ibid.
tuorum, lunam, & ſtellas, quæ tu fundaſti.
334

Cognoſcetur Dominus iudicia faciës. 44. & 48. 9

In laqueo iſto quem abſconderunt comprehen- Ibid.
ſus eſt pes eorum, cognoſcetur dominus iu-
dicia

dicia faciens, comprehenduntur impij in vijs ſuis. 250

13 *Qui deuorent plebem meam ſicut eſcam carnium.* 454

16 *Sub vmbra alarum tuarum protege me. pagina* 218

17 *Aſcendit ſuper pennas ventorum, & poſuit tenebras latibulum ſuum.* 175

18 *Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiant firmamentum.* pag. 333

18 *In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* 489. & 501

18 *Exultauit vt gigas ad currendum viam. pagina* 150. & 194

20 *Poſuiſti in capite eius coronam de lapide pretioſo.* 211

21 *Adorabunt in conſpectu eius vniuerſæ familiæ gentium.* 184

24 *Suſtine ſuſtentationes Dei.* 423

29 *Et te ſuſtinui tota die.* 423

33 *Accedite ad eum: & illuminamini.* 97. & 179

48 *Homo cum in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt iumentis & ſimilis factus eſt illis.* 308

50 *Incerta & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi.* 212

50 *Aſperges me Domine hyſſopo, & mundabor, lauabis me, & ſuper niuem dealbabor.* 449

52 *Dominus diſsipauit oſſa eorum, qui hominibus placuerunt.* 103

54 *Contriſtatus ſum in exercitatione mea, & conturbatus à voce inimici, & à tribulatione peccatoris.* 474

Dediſti

Dediſti timentibus te ſignificationem, vt fugiant à facie arcus.	26	59
Extraneus factus fratribus meis, & peregrinus filijs matris meæ.	194	68
Veni in altitudinem maris & tempeſtas demerſit me.	458.& 469	68
Iudicabit pauperes populi, & filios pauperum ſaluos faciet.	101	71
Dominabitur à mari vſque ad mare, & à flumine vſque ad terminos orbis terrarum.	184	ibid.
Orietur in diebus eius iuſtitia, & abunduntia pacis.	86	ibid.
Tt erit firmamenoum in terra in ſummis montium: ſuperextolletur ſuper libanum fructus eius.	208.& 565	ibid.
Adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes ſeruient ei.	315	ibid.
Factus eſt in pace locus eius.	186	75
Semita tua in aquis multis, & veſtigia tua non cognoſcentur.	393	76
Aedificauit ſibi ſicut vnicornium ſanctificium in terra.	371	77
Filij Ephraim intendentes arcum conuerſi ſunt in die belli.	587	ibid.
In tribulatione inuocaſti me, & liberaui te, exaudiui te in abſcondito tempeſtatis.	465	80
Super me tranſierunt iræ tuæ, & omnes fluctus tuos induxiſti ſuper me.	458	87
Tuum brachium cum potentia, firmetur manus tua, & exaltetur dextera tua.	281	88
Reges Tharſis, & inſulæ munera offerrent, reges Arabum dona adducent.	315	ibid.
Et oſtendam illi ſalutare meum.	629	90

Flumina

97 *Flumina plaudent manu ſimul montes exultabunt.* 43

ibid. *Notum fecit Dominus ſalutare ſuum, viderunt omnes termini terræ ſalutare Dei noſtri.* 202

ibid. *Viderunt omnes termini terræ ſalutare Dei noſtri, iubilate Deo omnis terra, cantate, & exultate, & pſallite, pſallite Domino, &c.* 160

100 *Miſericordiam, & iudicium cantabo tibi Domine.* 42

ibid. *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ.* 482

102 *Potens virtute ad faciendum verbum eius.* 56

ibid. *Valles abundant frumento.* 154

103 *Domine Deus meus magnificatus es vehementer, extendens cœlum ſicut pellem, qui tegis aquis ſuperiora eius.* 165

ibid. *Et panis cor hominis confirmat.* 565

104 *Humiliauerunt in compedibus animam eius, donec veniret verbum eius, eloquium Domini inflammauit eum, miſit rex & ſoluit eũ.* 84

105 *Quis loquetur potentias Domini auditas faciet laudes eius.* 165

ibid. *Commixti ſunt inter gentes, & didicerunt opera eorum, & factus eſt illis in ſcandalum.* 504

109 *Tecum principium in die virtutis tuæ, in ſplendoribus ſanctorũ, ex vtero ante luciferum genui te.* 206. & 207

112 *Quis ſicut Dominus Deus noſter qui in altis habitat, & humilia reſpicit in cœlo, & in terra.* 154

Factus

Factus ſicut vter in pruina. 583 118
Vidi præuaricantes, & tapeſcebam. 483 ibid.
Lucerna pedibus meis verbum meum. 179 ibid.
Confige timore tuo carnes meas, à iudicijs enim tuis timui. 61 ibid.
Ecce audiuimus eam in Ephrata. 172 131
Illuc producam cornu Dauid, paraui lucernam Chriſto meo. 111 ibid.
Ne intres in iudicium cum ſeruo tuo Domine, quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens. 70. & 73 142
Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione. 440 144
Exultationes Dei in gutture eorũ, & gladij ancipites in manibus eorum, &c. vſq; ad verba, vt faciat in eis iudicium conſcriptum. 49 145

Ex libro Prouerb.

Sapientiam foris prædicat, & in plateis dat vocem ſuam, in capite turbarum clamitat, vſquequo paruuli diligetis infantiam, &c. conuertimini ad correctionem meam pag. 539 Ca.1.
Extrema eius amara tanquam abſinthium. pag. 195. 5
Garrula & vaga. 373 7
Quando præparabat cælos aderam, quando certa lege & gyro velabat abyſſos, quãdo æthera firmabat ſurſum delitiæ meæ eſſe, &c. 165 8
Egeſtatem operata eſt manus remiſſa. 544 10
Simplicitas iuſtorum diriget eos, & ſupplantatio peruerſorum vaſtabit illos. 251 11
Qui operatur terrã ſuã, ſatiabitur panibus. 544 12
Extrema gaudij luctus occupat. 86 14

Spirituum

16 *Spirituum ponderator eſt Dominus.* 113
21 *Vir obediens loquetur victorias.* 191
21 *Sicut diuiſiones aquarum, ſic cor regis in manu Domini.* 352
22 *Adoleſcens iuxta viam ſuam, etiam cum ſenuerit non recedet ab ea.* 379
23 *Ingreditur blandè, & ad finem mordebit, vt coluber, & vt regulus venena diffundet.* 593
28. *Qui abſcondit ſcelera ſua non dirigetur.* 628
30 *Quod nomen Dei, aut quod nomen filij eius ſi noſti?* 291
ibid. *Oculum, qui ſubſannat patrem, & qui deſpicit partũ matris ſuæ, effodiant eum corui de torrentibus, & commedant eum filij aquilæ.* 388
31 *Laudent eam in portis opera eius.* 100
ibid. *Conſiderauit ſemitas domus ſuæ, panem otioſa non comedit, omnes domeſtici eius veſtiti ſũt duplicibus.* 413
32 *Cur quæris nomen meum?* 292

Ex Canticis.

Cap. 2. *Sicut malus inter ligna ſiluarum, ſic dilectus meus inter filios hominum.* pag. 97
ibid. *Sub vmbra illius, quem deſiderabam, ſedi.* 218
3. *Num quem diligit anima mea vidiſtis, quæſiui, quem diligit anima mea; quæſiui illum & non inueni, ſurgam, & circuibo ciuitatem.* 376
ibid. *Inueni quem diligit anima mea. tenui eum, nec dimittam.* 377
4 *Vadam ad montem Myrrhæ, & ad collem thuris.* 366
5 *Guttur illius ſuauiſſimum, & totus deſiderabilis talis eſt dilectus meus. Et ipſe eſt amicus meus filiæ Hieruſalem. pag.* 181

Si

Si dederit homo vniuerſam ſubſtantiam pro dilectione, quaſi nihil deſpiciet eam. pagina 227 8

Pone me, vt ſignaculum ſuper cor tuum, vt ſignaculum ſuper brachium tuum. pag 265 ibid.

Fuge dilecte mi, aſsimilare capræ, hinuloq́ue ceruorum. 248. & 376 ibid.

Ex Eccleſiaſte.

Vanitas vanitatum, & omnia vanitas dixit Eccleſiaſtes pag. 452. & 542 Cap. 1.

Riſum reputaui errorem, & gaudio dixi quid fruſtra deciperis? 86 2

Dixi ego in corde meo vadam, & affluam delicijs, & fruar bonis, & vidi quod hoc quoq; eſſet vanitas, &c pag. 418 ibid.

Vbi multa ſomnia ibi plurimæ ſunt vanitates. 241 5

Multas curas ſequuntur ſomnia. 242 ibid.

Inueni amariorem morte mulierem. pag. 452 7

Verba ſapientium audiuntur in ſilentio. pagina 142 9

Adoleſcentia, & voluptas vana ſunt 86 10

Finem loquendi omnes pariter audiamus, Deum time, & mandata eius obſerua hoc eſt enim omnis homo. Et cuncta quæ fiunt adducet Deus in iudicium, &c. pag. 2 12

Memento creatoris tui in diebus iuuentutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis, & appropinquent anni, de quibus dicas non mihi placent, antequam tenebreſcat Sol, & luna, &c. pag. 68 ibid.

Ex libro Sapientiæ.

Sentite de Deo in bonitate, & ſimplicitate cor-

dis, quærite illum quia inuenitur ab ijs qui
non tentant eum, apparet autem ijs qui fidē
habent in illum pag. 155
2 *Inutilis eſt nobis, & contrarius eſt operibus no-*
ſtris, & improperat nobis præcepta legis, gra-
uis nobis ad videndum, quoniam diſsimilis
alijs vita illius, & immutatæ ſunt viæ eius.
109
ibid. *Sit ergo lex iniuſtitiæ fortitudo noſtra, quod non*
infirmum eſt inutile inuenitur. 454
4 *Venient in cogitatione peccatorum ſuorum ti-*
midi, & traducent ex aduerſo iniquitates
5 *ipſorum.*
Tunc ſtabunt iuſti in magna conſtantia aduer-
ibid. *ſus eos, qui ſe anguſtiauerunt.* ibid.
Armabit creaturam in vltionem inimicorum,
& pugnabit cum illo orbis terrarum contra
ibid. *inſenſatos.* 54
Accipiet armaturam zelus illius, induet pro tho-
ibid. *race iuſtitiam, &c.* 55
Excandeſcet in illos aqua maris, & flumina
concurrant duriter contra illos, ſtabit ſpiri-
tus virtutis, & tanquam turbo vento diui-
6 *det illos.* 59
Præoccupat eos, qui ſe concupiſcunt, quoniam
7 *dignos ſeipſa circuit quærens.* 393
Sum quidem & ego mortalis homo, ſimilis om-
ibid. *nibus ex genere terreno.* 208
Cum ſit vna omnia poteſt, & in ſe permanens
omnia innouat, & per nationes in animas
ſanctas ſe transfert, amicos Dei, & Prophe-
8 *tas conſtituit.* 338
Et vt ſciui quoniam aliter non poſſem eſſe
con-

continens niſi Deus det, & hoc ipſum erat ſapientiæ ſcire, cuius eſſet hoc donum. 406

Vani ſunt omnes homines in quibus non ſubeſt ſcientia Dei, neque operibus attendentes agnouerunt quis eſſet artifex, ſed ignem aut ſpiritum, aut ſignum ſtellarum, aut ſolem aut lunam rectores orbis terrarum deos putauerunt. 335 13

Dediſti & in mari viam, & inter fluctus ſemitam firmiſſimam, oſtendens, quoniam potens es ex omnibus ſanare etiam, ſi ſine rate aliquis adeat mare. 455 14

Benedictum eſt enim lignum, per quod fit iuſtitia. 456. & 458 ibid.

Semper enim præſumit ſæua perturbata conſcientia. 430 17

Ex libro Eccleſiaſtici.

Fons vitæ verbum Dei in excelſis. 172 Cap. 1.

In igne probatur aurum, & viri receptibiles probant in camino humiliationis. 267 2

Cor enim durum habebit male in nouiſſimo. 70 3

In omnibus operibus tuis memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis. 3 7

Filij tibi ſunt, erudi illos, & curua illos à pueritia illorum. 384 ibid.

Poſſides amicum, in tentatione poſſide illum. 81 8

Eſt qui nequiter humiliat ſe, & interiora eius plena ſunt dolo. 121 19

Ego ex ore altiſſimi prodiui primogenita ante omnem creaturam. 158. & 207 24

26 *Sicut iugum boum quod mouetur, ita & mulier nequam.* 410
27 *Dilige proximum, & coniungere fide cum illo, quod ſi denudaueris abſconſa illius, ne perſequaris poſt eum.* 624
28 *Secundum virtutem hominis ſic iracundia illius erit, & ſecundum ſubſtantiam ſuã exaltabit iram ſuam.* 251
30 *Doce filium tuum, & operare in illo ne in turpitudinem illius offendas.* 384
34 *Quaſi qui apprehendit vmbram, & perſequitur ventum, ſic & qui attendit ad iuſſa mendacia.* 242
44 *Enoch placuit Deo, & translatus eſt in cælum, vt det ſenibus pœnitentiam.* 30

Ex Eſaia

Cap.1. *Principes tui ſocij furum.* 125
ibid. *Tunc conſolabor ſuper hoſtibus meis, & vindicabor de inimicis meis.* 440
2 *Iudicabit gentes & arguet populos multos, & conflabunt gladios in vomeres, & lanceas in falces, & non leuabit gens contra gentem gladiũ, neque erercebũtur vltra ad prælium: domus Iacob venite & ambulemus in lumine Domini.* 185
5 *Et viri Iuda germen eius delectabile.* 52
6 *Excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum, vt non videant oculis, & non intelligant corde, & conuertantur, & ſanem eos.* 575
8 *Et erit vobis in ſanctificationem, in lapidem autem offenſionis. & in petram ſcandali duabus domibus, Iſrael in laqueum, & in ruinam habitantibus Hieruſalem.* 263

Concepit

Concepit propheti∫ſa, & pepercit filium, & di- ibid.
xit Dominus ad me, voca nomen eius,accele-
ra ſpolia detrahere, feſtina prædari, quia
antequam ſciat puer vocare patrem & ma-
trem ſuam,auferetur fortitudo Damaſci,&
ſpolia Samariæ coram rege Aſſyriorum. 364
Sceptrum exactoris eius ſuperaſti ſicut in die 9
Madian. 189
Princeps pacis multiplicabit eius imperium, ibid.
& pacis non erit finis. 186
Circuncidimini Domino, & auferte præputia ibid.
cordium veſtrorum. 191
Multiplicaſti gentem, non magnificaſti lætitiã. ibid.
556
Et delectabitur infans ab vbere ſuper foramine 11
aſpidis,& in cauerna reguli,qui ablactus fue-
rit manum ſuam mittet. 181
Non ſecundum viſionem oculorum iudicabit, ibid.
neque ſecundum auditum auris audiet, ſed
iudicabit in iuſtitia. 113
Qui ſtat in ſignum populorum,ipſum gentes de- ibid.
precabuntur. 265
Haurietis aquas in gaudio de fontibus ſaluato- 12
ris. 173
Notas facite populis adinuentiones Dei. pagina ibid.
165
Dominus exercituum præcipit militiæ belli veni-
entibus de terra procul,& leuate ſignum,ex- 13
altate vocem, leuate manum, ingrediantur
portas duces,pag. 55
Quoniam ſtella cœli,& ſplendor eorum non ex- ibid.
pandent lumen ſuum. 57
Vlulate quia prope eſt dies Domini, & ſicut va- ibid.

ſtitas à Domino veniet,&c. 63

ibid. *Facies combuſta vultus eorum.* ibid.

14 *Paſcentur primogeniti pauperum, & pauperes fiducialiter requieſcent.* 101

ibid. *Propè eſt vt veniat tempus eius,& dies eius non elongabuntur, miſerebitur Dominus Iacob, & Iſrael ſaluabitur.* 187

ibid. *In cœlum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamenti in lateribus Aquilonis, aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero altiſſimo* 115

ibid. *Fundauit Dominus Sion, & in ipſo ſperabunt pauperes populi.* 99

19 *Et mittet eis ſaluatorem qui liberet eos.* 202. & 298

ibid. *Ecce Dominus aſcendet ſuper nubem leuem & ingredietur Aegyptum, & commouebuntur ſimulachra Aegyptia facie eius.* 247

24 *Et congregabuntur in congregatione vnius faſcis in lacum.* 487

25 *Et præcipitabit Dominus in monte iſto faciem vinculi colligati ſuper omnes populos, & telam quam orditus eſt ſuper omnes nationes, præcipitabit mortem in ſempiternum.* 35

28 *Vt faciat opus ſuum peregrinum eſt opus eius ab eo.* 188

ibid. *Reficite laſſum,hæc eſt enim requies mea, & hoc meum refrigerium.* 156

39 *Ego ſterilis & non pariens, & iſtos quis genuit mihi? ego captiua & tranſmigrata, & iſtos quis enutriuit?* 423

32 *Et erit deſertum in Carmel, & Carmel in ſaltum*

tum reputabitur. 516 — 33
Regem in decore ſuo videbunt. 619 — 3
Tunc ſaliet ſicut ceruus claudus, & aperta erit lingua mutorum. 101 — 35
Lætabitur deſerta & inuia, & gloria Libani data eſt ei decor Carmeli & Saron, ipſi videbunt gloriam Domini, & decorem Dei noſtri. 144 — ibid.
Ego vox clamantis in deſerto. ibid. — 40
Omnis caro fœnum. 170. & 419 — ibid.
Videbit omnis caro ſalutare Dei 307 — ibid.
In brachio ſuo congregabit agnos, fœtas ipſe portabit. 398 — ibid.
Quis ſuſcitabit ab Oriente iuſtum? vocauit eum vt ſequeretur ſe. 326 — 41
Et dedi te in fœdus populi in lucē gentium, vt aperires oculos cæcorum, & deduceres de confuſione vinctum. 614 — 42
Ego ſum, ego ipſe ſum qui deleo iniquitates tuas propter me. 296 — 43
Venient ad te qui detrahebant tibi, lingent puluerem pedum tuorum. 617 — 44
Vere enim es tu Deus abſconditus. 130 — 45
Audite me, qui portamini à meo vtero qui geſtamini à mea vulua vſque ad ſenectam, ego ipſe, & vſque ad canos ego portabo, &c. 95 — 46
Tu enim pater noſter, & Abrahā neſciuit nos, & Iſrael ignorauit nos. 97 — ibid.
Et nunc quid mihi eſt hic dicit Dominus, quoniam ablatus eſt populus meus gratis, dominatores eius iniquè agūt, & iugiter tota die nomen meū blaſphematur, & quia ego ipſe qui — 52

loquebar, ecce adſum. 137

ibid. *Conſurge, conſurge, & induere fortitudinem brachium Domini.* 281

ibid. *Propter hoc ſciet populus meus nomen meum in illa die, quia ego ipſe qui loquebar ecce adſum.* 293

ibid. *Recedite, recedite, exite inde, pollutum nolite tangere.* 595

53. *Domine quis credit auditui noſtro, & brachium Domini cui reuelatum eſt.* 261

ibid. *Pro eo quòd laborauit anima eius videbit & ſaturabitur in ſcientia ſua, iuſtificabit ipſe iuſtus ſeruus meus multos, & iniquitates eorum ipſe portabit.* 290

ibid. *Omnes enim ſicut oues errauimus, & poſuit Dominus iniquitates omnium noſtrum ſuper eũ, oblatus eſt quia ipſe voluit.* 396

ibid. *Et nos putauimus eum quaſi leproſum & percuſſum à Deo & humiliatum.* 450

55 *Ducem ac præceptorem dedi eum.* 378

57 *Pacem ei qui longè, & pacem ei qui prope dicit Dominus.* 323

ibid. *Impij autem quaſi mare feruens quod quieſcere non poteſt, & redundant fluctus eius in conculcationem & in lutum.* 454

59 *Neq; operientur operibus ſuis opera eorũ, opera inutilia non erunt apta in veſtimentum.* 429

ibid. *Confidunt in nihili, loquuntur vanitates, conceperunt laborem, & pepererunt iniquitatem, oua aſpidum ruperunt, & telas aranearum texuerũt, qui comederit ex ouis morietur, & quod confotũ eſt erumpet in regulũ, telæ eorum non erunt in veſtimentum.* 541

Vt me-

Vt mederer contritis corde, & prædicarem captiuis indulgentiam & clauſis apertionem, vt prædicarem annum placabilem Domino, & diem vltionis Deo noſtro. 175 — 61

Ecce ſaluator & merces eius cum eo. 548 — 62

Vtinam diſrumperes cælos, & deſcenderes à facie tua, montes defluerent, ſicut exuſtio ignis tabeſcerent, aquæ arderent igne. 161. & 435 — 63

Facti ſumus vt immundus omnes nos & ſicut pannus menſtruatæ omnes iuſtitiæ noſtræ. 439 — 4

Et ponam in eis ſignum, & mittam ex eis qui ſaluati fuerint ad gentes. 265 — 66

Lætamini cum Hieruſalem omnes qui diligitis eam, gaudete cum ea gaudio vniuerſi qui lugetis ſuper eam, vt ſugatis & repleamini ab vbere conſolationis eius. 604 — Ibid.

Ex Hieremia.

Miſi te vt euellas, & plantes, vt diſſipes, & ædifices. 525 — Cap. 1.

Si laueris te nitro & multiplicaueris tibi herbam borith, maculata es in iniquitate tua coram me dicit Dominus. 427 — 2

Ego te plantaui vineam electam omne ſemen verum, quomodo conuerſa es in vineam alienam? 479 — Ibid.

Reuertere ad me, & ego ſuſcipiam te. 600 — 3

Frons meretricis facta eſt tibi & noluiſti erubeſcere. ibid. — Ibid.

Nouate vobis nouale & nolite ſerere ſuper ſpinas. 591 — 4

Si conuerteris Iſrael, ad me conuertere, ſi abſtule-

ſtuleris offendicula tua à facie mea nõ commoueberis. ibid.

10 Corripe me Domine, veruntamen non in furore, ne ad nihilum redigas me. 73

11 Et ego quaſi agnus manſuetus qui portatur ad victimam. 395

14 Expectatio Iſrael ſaluator eius in tempore tribulationis, quare vt colonus futurus es in terra? & vt viator declinans ad manendum, & vt vir vagus & fortis qui non poteſt ſaluare. 193

15 Si enim ſeparaueris pretioſum à vili quaſi os meum erit. 374

17 Et diem hominis non deſideraui. 441

20 Et factus eſt in corde meo quaſi ignis exaſtuans, clauſuſque in oſſibus meis, & defeci ferre non ſuſtinens. 495

31 Quieſcat vox tua à ploratu, & oculi tui à lachrymis, quia eſt merces operi tuo, ait Dominus, & reuertentur de terra inimici, & eſt ſpes nouiſſimis tuis, ait Dominus, & reuertentur filij ad terminos ſuos. 256

Ibid. Quia creauit Dominus nouum ſuper terram, fœmina circundabit virum. 152

32 Incomprehenſibilis cogitatu. 292.& 306

Ex Threnis.

Cap. 1. Vigilauit iugum iniquitatum mearum in manu eius inuolutæ ſunt, & impoſitæ collo meo, infirmata eſt virtus mea, dedit me Dominus in manu, de qua non potero ſurgere. 216

Ibid. Videte ſi eſt dolor ſicut dolor meus, quia vindemiauit me Dominus ſicut locutus eſt in die furoris ſui, poſuit me deſolatam tota die mœrore

rore confectam. 267
Ego plorans & oculus meus deducens aquas, quia longè factus eſt à me conſolatus conuertens animam meam factus eſt perditus filius meus, &c. 376 Ibid.
Poſuit me ſibi quaſi ſignum ad ſagittam, miſit in renibus meis filias pharetræ ſuæ. 264 3
Denigrata eſt facies eorum ſuper carbones. 428 4

Ex Daniele.

Nonne tres viros miſimus in ignem compeditos? ecce ego video quatuor viros ſolutos, & ſpecies quarti ſimilis filio Dei. 85 Cap. 2.
Et ecce beſtia quarta terribilis atque mirabilis, & fortis nimis, dentes ferreos habebat magnos comedens atque comminuens, & reliqua pedibus ſuis conculcans, &c. 183 Ibid.
Lapis qui percuſſerat ſtatuam factus eſt mons magnus, & impleuit vniuerſam terram. 489 Ibid.
Et tradentur ſancti in manu eius vſque ad tempus, & tempora & dimidium temporis. 15. & 25 7
Beſtia quarta regnum quartum erit, quod maius erit omnibus regnis. 23 Ibid.
Aſpiciebam propter vocem ſermonum grandium quos cornu illud loquebatur. 28 Ibid.
Fluuius igneus, rapiduſque à facie eius egrediebatur. 59 Ibid.
Horruit ſpiritus meus, ego Daniel territus ſum in his, &c. 70 Ibid.
Et dirigetur dolus in manu eius, & cor ſuum magnificabit, & in abundantia rerum omnium 8

nium occidet plurimos, & contra principem principum conſurget. 35
Ibid. *Rex impudens facie & intelligens propoſitiones.* 28
Ibid. *Et ſtupebant ad viſionem.* 261
9 *In diebus regnorum illorum ſuſcitabit Deus cœli regnum quod in æternum non diſſipabitur, & regnum eius alteri populo non tradetur; conſumet autem, & comminuet omnia regna hæc & ipſum ſtabit in æternum.* 183
11 *Et facit iuxta voluntatem ſuam rex, & eleuabitur aduerſus omnem Deum, & Deum moazim in loco ſuo venerabitur.* 19. & 28
Ibid. *Et ſtabit in loco eius deſpectus, & non tribuetur ei honor regius.* 19. & 28
Ibid. *Poſt regnum eorum cum creuerint iniquitates, conſurget rex impudens.* 22
Ibid. *Et dabit eis poteſtatem in multis, & multiplicabit gloriam, & terram diuidet gratuito.* 28
Ibid. *Figet tabernaculum ſuum à Padno inter maria ſuper montem inclytum, &c. Et in tempore illo conſurget Michael princeps Magnus, & nemo auxiliabitur ei, &c.* 35
12 *Veniet tempus quale non fuit ab eo ex quo gentes eſſe cœperunt.* 5
Ibid. *Tu autem Daniel claude ſermones, & ſigna librum, vſque ad tempus ſtatutum plurimi pertranſibunt, & multiplex erit ſcientia.* 6
Ibid. *Cum eleuaſſet dexteram & ſiniſtram ſuam, &c. quia in tempus & tempora, & dimidium temporis.* 15. & 24
Ibid. *Et à tempore cum ablatum fuerit iuge ſacrificium,*

cium, & poſita fuerit abominatio in deſolationem dies mille ducenti nonaginta. 24. & 36

Ex Baruc.

Adhuc viſus procul, & apparebit in finem, & non mentietur. 161 — Cap. 3.

Poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt. 161. & 307 — Ibid.

Fuerunt Gigantes nominati illi, qui ab initio fuerunt ſtatura magna cientes bellum, non hos elegit Dominus. 399 — Ibid.

Ex Ezechiele.

Facta eſt manus Domini ſuper me. 139 — Cap. 1.

Et tu fili hominis ecce data ſunt ſuper te vincula, & ligabunt te in eis, & non egredieris in medio eorum, quia domus exaſperans eſt. 82 — 3

Fili hominis ſpeculatorem domui Iſrael dedi te, & audies ex me ſermonem, & annuntiabis eis. 129 — Ibid.

Amaricatus eſt venter meus. 497 — Ibid.

Finis venit ſuper quatuor plagas terræ, & ponam contra te omnes abominationes tuas, & parcet oculus meus ſuper te. 50 — 4

Signa thau ſuper frontes virorum dolentium & gementium. 265 — 9

Quaſi vulpes in deſertis Prophetæ tui erant Iſrael. 478 — 13

Si fuerint tres viri iuſti in medio eius, Noe, Daniel, & Iob, viuo ego dicit Dominus, quia filium & filiam non liberabunt, ſed ipſi in iuſtitia ſua ſoli liberabuntur. 472 — 14

Fili hominis quid fiet de ligno vitis ex omnibus lignis — 15

lignis nemorum? quæ ſunt inter ligna ſiluarum, nunquid tolletur de ea lignum, vt fiat opus aut fabricatur de ea paxillus, vt dependeat ab eo quodcunque vas, ecce datum eſt igni in 519

16 *Ad omne caput viæ diuiſiſti pedes tuos omni tranſeunti.* 582

28 *Dediſti cor tuum quaſi cor Dei.* 115

32 *Operiam cum extinctus fueris cælum, & nigreſcere faciam ſtellas, &c.* 57

33 *Fili populi tui loquuntur de te iuxta muros, & in oſtijs domorum, & dicunt vnus ad alterum vir ad proximum ſuum loquentes venite, & audiamus quis ſit ſermo egrediens à Domino, & audiunt ſermones tuos, & non faciunt eos, quia in canticum oris ſui vertunt illos, & auaritiam ſuam ſequitur cor eorum; & eſt quaſi carmen muſicum, quod ſuaui dulciq́ue ſono canitur.* 581

Ex Abdia.

Cap. 1. *Et aſcendent ſaluatores in montem Sion iudicare montem Eſau, & erit Domino regnum.* 303

Ex Oſea.

Cap. 1. *Et domui Iudæ miſerebor, & ſaluabo eos in Domino Deo ſuo.* 202

Ibid. *Et non ſaluabo eos in gladio & arcu, & in bello, & in equis, & in equitibus.* ibid.

2 *Propter hoc ecce ego lactabo eam, & ducam ad ſolitudinem, & loquar ad cor eius.* 141

Ibid. *Auferat fornicationes ſuas à facie ſua, & adulteria ſua de medio vberum ſuorum, ne forte ſpoliem eam nudam, & ſtatuam eam ſecundum*

dum diem natiuitatis ſuæ. 51

Ego dedi ei frumentum, & vinum, & oleum, & argentum multiplicaui, & aurum, quod fecerunt Baal. 93 Ibid.

Et erit ſicut populus ſic & ſacerdos: peccata populi mei comedent, & ad iniquitatem eorum ſubleuabunt animas eorum. 126 4

Non libabunt Domino vinum, & non placebunt ei ſacrificia eorum, quaſi panis lugentium omnes qui comedent eum. &c. 148 9

Montes cadite ſuper nos, & colles cooperite nos. 44 10

Seminate vobis in iuſtitia, & metite in ore miſericordiæ, innouate vobis nouale. 591 Ibid.

In funiculis Adam traham eos, & in vinculis charitatis, & ero eis quaſi exaltans iugum ſuper maxillas eorum, & declinaui ad eum, vt veſceretur. 170 11

Ex Ioel.

Qui venit dies Domini, quia prope eſt dies tenebrarum, dies nubis & turbinis. 64 Cap. 2.

A facie eius contremuit terra, moti ſunt cæli, ſol & luna obtenebrati ſunt, & ſtellæ retraxerunt ſplendorem ſuum, & Dominus dedit vocem ſuam ante faciem exercitus ſui, &c. Magnus enim dies Domini, & terribilis valde, & quis ſuſtinebit eum. 53. & 57 3

Conſurgant & aſcendant gentes in vallem Ioſaphat, quia ibi ſedebo, vt iudicem omnes in circuitu, mittite falces quia maturauit meſſis 487 Ibid.

Ex Amos.

Suſcitauit de filijs veſtris in Prophetas, & de iuueni- Cap. 2.

uenibus veſtris Nazaræos, nunquid non ita eſt filij Iſrael? & propinabitis Nazaræis vinum, & Prophetis mandabitis dicentes ne Prophetetis, ecce ego ſtridebo ſuper vos ſicut ſtridet plauſtrum onuſtum fœno. 384

4 *Præparare in occurſum Dei tui Iſrael.* 150. & 193

5 *Væ deſiderantibus diem Domini ad quid eam vobis? dies Domini iſta tenebræ, & non lux, quomodo ſi fugiat vir à facie leonis, & occurrat ei vrſus.* 64.69.& 71

6 *Væ qui opulenti eſtis in Sion optimates, capita populorum, &c. tranſite in Chalanne, & Emach, magnam & in Geth, & ad optima quæque regna horum, ſi latior terminus eorum termino veſtro eſt.* 200.& 416

Ibid. *Et nihil patiebantur ſuper contritionem Ioſeph.* 200

Ibid. *Quaſi ſtantia putauerunt, & non quaſi fugientia.* ibid.

Ex Michæa.

Cap.1. *Et tu Bethleem terra Iuda paruulus es in millibus Iuda: ex te egredietur mihi qui ſit dux populi mei, & egreſſus eius à diebus æternitatis.* 191.& 353

6 *Et nunc quid Dominus requiret à te, niſi facere iudicium, & miſericordiam, & ſolicitum ambulare cum Deo tuo.* 312

Ex Abacuc.

Cap. 2. *Mundi ſunt oculi tui ne videas malum,& reſpicere ad iniquitatem non poteris.* 426

Ibid. *Quare reſpicis contemptores, & taces conculcante impio iuſtiorem ſe? & facies hominis quaſi*

quaſi piſces maris, & quaſi reptilia non habentia ducem. 454

Quia lapis de pariete clamabit, & lignum quod inter iuncturas ædificiorum eſt reſpondebit. 157 — 2

Explana eum ſuper tabulas, vt percurrat qui legerit eum, quia adhuc viſus procul, &c. iuſtus autem in fide ſua viuit. 178. & 193 — Ibid.

Domine conſideraui opera tua, & expaui, in medio duorum animalium cognoſceris. 192 — 3

Deus ab Auſtro veniet & ſanctus de monte Pharan. ibid. — Ibid.

Ex Sophonia.

Tribulabitur ibi fortis. 54. & 65 — Cap. 1.

Et erit in die hoſtiæ Domini, viſitabo ſuper omnes qui induti ſunt veſte peregrina. 104 — Ibid.

Ex Aggæo.

Intuliſtis in domum, & exſufflaui illud: quam ob cauſam dicit Dominus exercituum? quia domus mea deſerta eſt, &c. 546 — Cap. 1.

Seminaſtis multum, & intuliſtis parum. 569 — Ibid.

Adhuc vnum modicum eſt, & ego mouebo cælum, & terram, & mare, & aridam, &c. 161. & 193 — 2

Ex Zacharia.

Ecce vir oriens nomen eius. 111. & 326 — Cap. 6.

Tu autem in ſanguine teſtamenti emiſiſti vinctos tuos de lacu in quo non eſt aqua. 89. & 175 — 9

Bibentes inebriabuntur quaſi à vino, & replebuntur vt phialæ, & quaſi cornua altaris. 415 — Ibid.

11 *O paſtor & idolum derelinquent gregem, gladium ſuper brachium eius, & ſuper oculum dextrum eius: &c.* 206

12 *Quare vt colonus futurus es in terra.* 564

13 *Homo agricola ſum Adam exemplum ab adoleſcentia mea.* 194

Ex Malachia.

Cap. 3. *Et aſcendam ad vos in iudicio, & ero teſtis velox maleficis, &c.* 67

4 *Et ſanitas in pennis eius.* 218

Ibid. *Ecce ego mittam vobis* Eliam Prophetam *antequam veniat dies Domini magnus & horribilis, & conuertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ac patres eorum.* 117

Ex Matthæo.

Cap. 1. *Et vocatum eſt nomen eius Ieſus.* 294

3 *Nolite gloriari dicentes, quia patrem habemus Abraham: amen dico vobis, potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ.* 473

7 *Omnis qui audit verba mea hæc, & facit ea, aſſimilatur viro ſapienti, &c.* 463

8 *Sinite paruulos venire ad me, & nolite prohibere eos.* 274

Ibid. *Nemo mittens manum ad aratrum, & reſpiciens retro aptus eſt regno Dei.* 656

10 *Quæ in aure audiſtis prædicate ſuper tecta, & quæ in tenebris accepiſtis dicite in lumine.* 142

11 *A diebus Ioannis Baptiſtæ vſque nunc regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud, &c.* 134. & 587

Ibid. *Venit Ioannes neque manducans, neque bibens, venit filius hominis manducans & bibens.* 112

Quid

Quid exiſtis in deſertum videre. ibid. Ibid.
Beatus qui non fuerit ſcandalizatus in me. Ibid.
608
Habenti dabitur & abundabit, ei autem qui 13
non habet, & quod videtur habere aufere-
tur ab eo. 553
Eructabo abſcondita à conſtitutione mundi. 577 Ibid.
Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, 16
& portæ inferi non præualebunt aduerſus
eam. 463
Si quis vult venire poſt me, &c. 228 Ibid.
Cauete à fermento Phariſæorum, quod eſt hy- Ibid.
pocryſis. 499
Ecce nos reliquimus omnia. 299 Ibid.
Et interrogauerunt eum diſcipuli dicentes, quid 17
ergo ſcribæ dicunt, quod Eliam oporteat pri-
mum venire? at ille reſpondens ait; Elias qui-
dem venturus, & reſtituet omnia: &c. 117
Niſi conuerſi fueritis, & efficiamini ſicut paruu- 18
li, non intrabitis in regnum cælorum, &c. 259
Sunt Eunuchi qui propter regnum cælorum ſe 19
caſtrauerunt. 286
Non legiſtis quia qui fecit hominem ab initio Ibid.
maſculum & fœminam, facit eos, & dixit
propter hoc dimittet homo patrem & ma-
trem, & adhærebit vxori ſuæ, &c. 401
Dico autem vobis, quia quicunque dimiſerit Ibid.
vxorem ſuam niſi ob fornicationem mæcha-
tur, & qui dimiſſam duxerit mæchatur. 405
Calicem quidem meum bibetis. 238 20
Vt ipſi vnum ſint ſicut ego & pater vnum ſumus. 22
235
Erit tunc tribulatio magna qualis non fuit ab 24

initio neque fiet. 5. & 40
Ibid. *Cum videritis hæc fieri, ſcitote quoniam prope eſt in ianuis.* 39
Ibid. *Mittet Angelos ſuos cum tuba, & voce magna.* 56
Ibid. *Et tunc apparebit ſignum filij hominis in cælo, & tunc plangent omnes tribus terræ.* ibid.
Ibid. *Virtutes cælorum commouebuntur.* pag. 56. *obſcurabitur luna, ſol non dabit lumen ſuum.* ibid.

Ex Marco.

Cap. 1. *Initium Euangelij Ieſu Chriſti Dei ſicut ſcriptum eſt in Eſaia Propheta, ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam ante te, &c.* 135
3 *Exierunt ſui tenere eum, quia in furorem verſus eſſet.* 558
4 *Sic eſt verbum Dei, quemadmodum ſi homo iaceat ſemen in terram, & dormiat, & exurgat nocte & die, & ſemen germinet, & increſcat dum neſcit ille, &c.* 579
6 *Nonne hic eſt faber & fabri filius.* 380

Ex Luca.

Cap. 1. *Et tu puer Propheta altiſſimi vocaberis, præibis enim ante faciem Domini parare vias eius, ad dandam ſcientiam ſalutis plebis eius, in quibus viſitauit nos oriens ex alto.* 87. 100. 143. 149. & 326
Ibid. *Et ipſe præcedet ante illum in ſpiritu & virtute Eliæ, vt conuertat corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam iuſtorum.* 119
2 *Videamus hoc verbum quod fecit Deus, et oſtendit nobis.* 159

Ecce

Cap.	Locus	Pag.
Ibid.	*Ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.*	260
Ibid.	*Ieſus proficiebat ætate, ſapientia, & gratia apud Deum & homines.*	368
3.	*Qui habet duas tunicas det non habenti, & qui habet eſcas ſimiliter faciat.*	158
Ibid.	*Erat vt putabatur filius Ioſeph.*	260
8	*Ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt.*	81
9	*Qui mittit manum ad aratrum, & reſpicit retro, non eſt aptus regno cælorum.*	233
10	*Spoliauerunt eum plagis impoſitis ſemiviuo relicto.*	298
12	*Baptiſmo habeo baptizari, & quomodo coarctor donec perficiatur.*	176. & 177
Ibid.	*Mementote vxoris Loth.*	233
13	*Domine dimitte illam, & hoc anno vſque dum fodiam circa illam & mittam ſtercora.*	523
21	*His autem fieri incipientibus reſpicite & leuate capita veſtra.*	38. & 44
22	*Vigilate omni tempore orantes vt digni habeamini fugere iſta omnia quæ futura ſunt.*	8
24	*Vos autem ſedete in ciuitate donec induamini virtute ex alto.*	589
	Ex Ioanne.	
Cap. 1.	*Vt manifeſtetur in Iſrael propterea veni in aqua baptizans.*	87
Ibid.	*Verbum erat apud Deum. Verbum caro factum eſt.*	178
Ibid.	*In principio erat verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.*	158. & 207
Ibid.	*Lex quidem per Moyſem data eſt, gratia & veritas per Ieſum Chriſtum.*	287

3 *Poſt hæc venit Ieſus in Iudæam terram, & illic demorabatur cum eis, & baptizabat. Erat autem Ioannes baptizans in Enon iuxta ſalem, &c.* 90

Ibid. *Facta autem eſt quæſtio ex diſcipulis Ioannis cum Iudæis de purificatione, & venerunt ad Ioannem, & dixerunt ei Rabbi qui erant tecum trans Iordanem, cui teſtimonium perhibuiſti cur hic baptizat, & omnes veniunt ad eum?* ibid.

5 *Ego teſtimonium habeo maius Ioanne, opera quæ dediſti mihi pater vt faciam, hæc teſtimonium perhibent de me.* 92

Ibid. *Vos miſiſtis ad Ioannem & teſtimonium perhibuit veritati, ego autem non ab homine teſtimonium accipio, &c.* 111

Ibid. *Omne iudicium dedit, quia filius hominis eſt.* 549

Ibid. *Qui ſpernit me, & non accipit verba mea, habet qui iudicet eum, ſermo quem locutus ſum, ille iudicabit eum in nouiſsimo die.* 572

6 *Hoc vos ſcandalizat? quid erit cum videritis filium hominis aſcendentem vbi erat prius.* 681

7 *Si quis ſitit veniat ad me.* 172

Ibid. *Moyſes dedit vobis circuncisionem, non quia ex Moyſe, ſed ex patribus: & in Sabbatho circunciditis hominem.* 282

Ibid. *Nunquid aliquis ex principibus credidit in eum, ſed turba hæc quæ ignorat legem.* 436

8 *Vultis me interficere quia ſermo meus non capit in vobis.* 83

Ibid. *Semen Abrahæ ſumus, & nemini ſeruiuimus vnquam.* 188

Ego

Ego ſum paſtor bonus, bonus paſtor animam ſuam dat pro ouibus ſuis. 228 10
Ioannes quidem ſignum fecit nullum, omnia autem quæ de hoc dixit vera ſunt. 98 Ibid.
Ego ſum oſtium. 173 Ibid.
Qui mihi miniſtrat me ſequatur, & vbi ego ſum, illic miniſter meus erit. 81 12
Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ..ſum ſolum manet. 210 Ibid.
Erat ergo recumbens vnus ex diſcipulis eius in ſinu Ieſu, quem diligebat Ieſus; innuit ergo huic Simon Petrus, & dicit ei: Quis eſt de quo dicit? &c. 223 13
Venit princeps mundi huius, & in me non habet quidquam. 11 15
Spiritus veritatis qui à patre procedit. 207 Ibid.
Ille de meo accipiet. ibid. 16
Cum vidiſſet Ieſus matrem, & diſcipulum ſtantem quem diligebat, dixit matri ſuæ, mulier, ecce filius tuus: &c. 221 19

Ex Actis Apoſtolorum.

Non eſt veſtrum noſſe tempora vel momenta, quæ pater poſuit in ſua poteſtate. 14. & 235 Cap. 1.
Surge, & ego homo ſum ſimilis tui. 116 10
Viri quid hæc facitis, & nos mortales ſumus ſimiles vobis homines. ibid. 14
Viſum eſt Spiritui ſancto, & nobis, 354 15
Vt abducant diſcipulos poſt ſe. 94 20
In modico ſuades me Chriſtianum eſſe: opto & in modico, & in magno omnes, qui audiunt fieri tales, &c. exceptis vinculis ijs. 93 26

Ex Epiſtola ad Romanos.

Euanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcura- Cap. 1.

tum eſt inſipiens cor eorum, dicentes enim ſe
eſſe ſapientes ſtulti facti ſunt. 305.& 306

Ibid. Digni enim ſunt morte non ſolum qui talia a-
gunt, ſed etiam qui conſentiunt facienti. 432

2 Non enim qui in manifeſto Iudæus eſt, neque
quæ in manifeſto eſt circunciſio, ſed qui in
abſcondito Iudæus eſt, & circunciſio cordis in
ſpiritu non litera, cuius laus non ex homini-
bus, ſed ex Deo eſt. 285

3 Iuſtitia Dei per fidem Ieſu Chriſti in omnes,
& ſuper omnes qui credunt in eum, non e-
nim eſt diſtinctio. omnes enim peccauerunt
& egent gloria Dei, iuſtificati gratis per gra-
tiam ipſius. 88.& 174

4 Et ſignum accepit circunciſionis ſignaculum iu-
ſtitiæ fidei quæ eſt in præputio, vt ſit pater
omnium credentium per præputium. 283

Ibid. Credidit Abraham Deo. 284

5 Non ſolum autem, ſed & gloriamur in tribula-
tionibus, &c. 84.& 85

6 Stipendia peccati mors, gratia autem Dei vita
æterna. 543

9 Verbum enim abbreuiatum, et conſummans fe-
cit Deus ſuper terram. 178

Ibid. Quid ergo dicemus? quod gentes quæ non ſecta-
bantur iuſtitiam, apprehenderunt iuſtitiam,
iuſtitiam autem quæ ex fide eſt. Iſrael autem
ſectando legem iuſtitiæ, in legem iuſtitiæ non
peruenit, quare? quia non ex fide, offende-
runt enim in lapidem offenſionis. 332. &
512

10 In verbis veritatis Euangelij quod peruenit ad
vos fuit, & in vniuerſo mundo eſt, & fru-
ctificat,

ctificat, & creſcit. 489

Donec fermentatum eſt totum. 501 ibid.

Siue Prophetiam ſecundum rationem fidei. 12
342

Et carnis curam ne feceritis in deſiderijs. 310 13

Quæcunque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam 15
ſcripta ſunt, vt per patientiam ſcripturarum ſpem habeamus. 249

Deus autem patientiæ & ſolatij, det vobis id ipſum ſapere. *ibid.* ibid.

Ex 1. ad Corinthios.

Iis autem qui ſalui fiunt Dei virtus eſt, & Dei Cap. 1.
ſapientia. 85 & 99

Nam quia in Dei ſapientia non cognouit mun- ibid.
dus per ſapientiam Deum, placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſaluos facere credẽtes. 308

Quod enim ſtultum eſt Dei, ſapientius eſt ho- ibid.
minibus, & quod infirmum eſt Dei, fortius eſt hominibus. 363

Non alta ſapientes, ſed humilibus conſentien- ibid.
tes. 436

Si quis inter vos videtur eſſe ſapiens ſtultus fiat 3
vt ſit ſapiens. 320

Loquimur Dei ſapientiam in myſterio quæ ab- ib id.
ſcondita eſt, quam prædeſtinauit Deus ante ſæcula in gloriam noſtram, quam nemo principũ huius ſæculi cognouit, ſi enim cognouiſſẽt nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſẽt. 601

Nihil mihi conſcius ſum, ſed in hoc non iuſtifica- 4
tus ſum, quia qui iudicat me Dominus eſt. 73

Veniam & cognoſcam non ſermonem eorum qui ibid.

inflati ſunt, ſed virtutem. 100

ibid. *Sine nobis regnatis, & vtinam regnetis.* 342

ibid. *Regnum Dei non eſt in ſermone, ſed in virtute.* 521

5 *Non epulemur in fermento malitiæ & nequitiæ, ſed in azymis ſinceritatis & veritatis.* 499

ibid. *Neſcitis quoniam modicum fermentum totam maſſam corrumpit.* 485

6 *Et immundum ne tetigeritis ſed recedite.* 432

7 *Vnuſquiſque proprium donum habet ex Deo, & vnus quidem ſic & alius verò ſic.* 237

ibid. *Tempus breue eſt, reliquum eſt, vt qui habent vxores tanquam non habentes ſint, & qui gaudent tanquam non gaudentes.* 419

9 *Omnes quidem currunt, ſed vnus accipit brauium, ſic currite vt comprehendatis.* 571

10 *Nolumus enim vos ignorare fratres, quoniã patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes in mari, & in Moyſi baptizati ſunt, &c. ſed non in pluribus eorum beneplacitũ eſt Deo.* ib.

11 *Si noſmetipſos dijudicaremus, nõ vtique iudicaremur.* 62

14 *Et ſigna quidem infidelibus data ſunt, ſcripturæ fidelibus.* 6

ibid. *Gratias ago Deo meo, quod omnium veſtrum lingua loquor.* 213

ibid. *Si neſciero virtutem vocis, ero cui loquor barbarus, & ille erit mihi barbarus.* 640

15 *In nouiſſima tuba canet enim tuba.* 56

ibid. *Stella enim ab ſtella differt in claritate, & alia claritas ſolis alia lunæ alia ſtellarum vnuſquiſque in ordine ſuo.* 667

Ex

Ex 2. ad Corinthios.

Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis. 249 Cap. 1

Alijs quidem odor mortis in mortem, alijs odor vitæ in vitam. 303 2

Quæcunque ſeminauerit homo, hæc & metet, bonum autem facientes non deficiamus, tempore enim ſuo metemus, non deficientes ergo dum tempus habemus operemur bonum ad omnes. 569 3

Habemus theſaurum iſtum in vaſis fictilibus. 447 4

Quod ſi Euangelium noſtrum eſt opertum, in ijs qui pereunt eſt opertum, in quibus Deus huius ſeculi excæcauit mentes infidelium, &c. 585. & 586 ibid.

Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, vt referat vnusquiſque propria corporis prout geſſit ſiue bonum ſiue malum. 47 5

Et ſi cognouimus ſecundum carnem Chriſtum, ſed nunc iam non nouimus. 132 ibid.

Pro Chriſto legationem fungimur tanquam Deo exhortante per nos. 213 ibid.

Tempore accepto exaudiui te, & in die ſalutis adiuui te. 688 6

Scitis gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti, quia cum diues eſſet, egenus pro nobis factus eſt, vt vos inopia ipſius diuites eſſetis. 168 8

Nam huiuſmodi pſeudoApoſtoli ſunt, operarij ſubdoli transfigurantes ſe in Apoſtolos Chriſti. 527 11

Ex epiſtola ad Galatas.

Licet Angelus de cælo euangelizet vobis præter id Cap. 1.

id quod accepiſtis anathema ſit. 6

ibid. *Cum placuit ei qui me ſegregauit ex vtero matris meæ, & vocauit per gratiam ſuam vt annuntiarem filium eius in gentibus continuo, non acquieui carni & ſanguini.* 373

ibid. *Neque enim ego ab hominibus accepi neque didici, ſed per reuelationem Ieſu Chriſti.* 140

3 *Sub lege cuſtodiebamur concluſi in eam fidem quæ reuelanda erat.* 602

4 *Cum venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum.* 138

ibid. *Miſit Deus filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege, vt eos qui ſub lege erant redimeret, vt adoptionem filiorum reciperemus.* 287

5 *Qui ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitijs & concupiſcentijs ſuis.* 284. & 285

ibid. *Per charitatem ſpiritus ſeruire inuicem.* 300

ibid. *Quod ſi inuicem mordetis, & inuicem comeditis, videte ne inuicem conſumamini.* 546

6 *Nos autem gloriari oportet in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti.* 85

Ex Epiſtola ad Epheſios.

Cap. 2. *Ipſe enim eſt pax noſtra, qui & pacificauit ſiue quæ in terris, ſiue quæ in cælis ſunt.* 186

ibid. *Nunc autem in Chriſto Ieſu vos qui aliquando eratis lõgè, facti eſtis prope in ſanguine Chriſti.* 323

3 *Mihi omnium ſanctorum minimo data eſt gratia hæc Euangelizare in gentibus inueſtigabiles diuitias Chriſti.* 68

ibid. *Supereminentem ſcientiæ charitatem Chriſti.* 180

Et

Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios vero Euangeliſtas, alios autem paſtores & doctores ad cõſummationem ſanctorum in opus miniſterij. 212 | 4

Vnicuique noſtrum data eſt ſcientia ſecundum menſuram donationis Chriſti. 237 | ibid.

Vt dignè ambuletis vocatione qua vocati eſtis cum omni humilitate. 122 | ibid.

Donec occurramus omnes in virum perfectum in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti. 363 | ibid.

Viri diligite vxores veſtras ſicut Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea, ſacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia. 408 | ibid.

Ex Epiſtola ad Philippenſes.

Scire autem vos volo, quoniam quæ circa me ſunt magis ad profectum venerunt Euangelij, ita vt vincula mea manifeſta fierent in Chriſto in omni prætorio, & in cæteris omnibus. 83 | Cap. 1.

Vinctus Chriſti Ieſu. ib. | ibid.

Quidam quidem, & propter contentionem Chriſtum prædicãt, quidam autem & propter bonam voluntatem, quidam ex charitate, ſciẽtes quoniam in defenſionem Euangelij poſitus ſum, quidam autem, &c. quid enim? dum omnimodo Chriſtus annuntietur ſiue per occaſionem in hoc gaudeo, ſed & gaudebo. 92 | ibid.

Mihi viuere Chriſtus eſt. 237 | ibid.

In humilitate, ſuperiores ſibi inuicem arbitrantes. 122 | ibid.

ſequat

3 *Videte canes, videte malos operarios, videte cõciſionem.* 526. & 146
ibid. *Non quod iam acceperim, aut iam perfectus ſim, ſequar autem ſi quomodo comprehendam, in quo & comprehenſus ſum à Chriſto Ieſu.* 605

Ex Epiſtola ad Coloſſenſes.

Cap. 1. *Qui eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum filij dilectionis ſuæ, in quo habemus redemptionem & remiſſionem peccatorum.* 297
ibid. *Adimpleo ea, quæ deſunt paſſioni Chriſti.* 343
ibid. *Ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ qui eſt principiũ primogenitus ex mortuis, vt ſit omnibus ipſe primatum tenens, quia in ipſo complacuit omnem plenitudinem habitare, & per eum reconciliare omnia ipſum.* 395
2 *In quo & circumciſi eſtis circuncisione non manufacta in expoliatione corporis carnis, in circunciſione Chriſti, conſepulti ei in baptiſmo, in quo & reſurrexiſtis per fidem operationis Dei, qui ſuſcitauit illum à mortuis.* 287
3 *Mortificate membra veſtra quæ ſunt ſuper terram.* 309

Ad Theſſalonicenſes 1.

Cap. 2. *Facti ſumus in medio veſtri tanquam ſi nutrix foueat filios ſuos.* 94
4 *Quoniam ipſe Dominus in iuſſu, & voce Archangeli, & in tuba Dei deſcendet de cœlo.* 56
5 *Omnia probate, quod bonum eſt tenete, ab omni ſpecie mali abſtinete vos.*

Ad Theſſalonicenſes 2.

Cap. 2 *Et quid detineat ſcitis vt reueletur in tempore ſuo,*

ſuo, nam myſterium iam operatur iniquitatis: tantum vt qui tenet nunc, teneat. &c. 10

Vt non citò moueamini, quaſi inſtet dies Domini. 14 ibid.

Cuius eſt aduentus ſecundum operationem ſatanæ in omni virtute, & ſignis & prodigijs mēdacibus, & in omni ſeductione iniquitatis. 29 ibid.

Et tunc reuelabitur ille iniquus, quem Dominus Ieſus interficiet ſpiritu oris ſui, & deſtruet illuſtratione aduentus ſui eum. 34 16

Niſi venerit diſceſſio primum, & reuelatus fuerit homo peccati. 39 ibid.

Ex 1. ad Timotheum.

Fidelis ſermo & omni acceptione dignus, quia Dominus Ieſus venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere, quorum primus ego ſum, ſed ideo miſericordiam conſecutus ſum, vt in me primo oſtenderet Chriſtus Ieſus omnem potentiam ad informationem eorum qui credituri ſunt illi in vitam æternam. 120 Cap. 1.

Gratias ago Deo meo qui me fidelem exiſtimauit, ponens in miniſterio. 544 ibid.

Pro regibus & pro ijs qui in ſublimitate ſunt conſtituti, vt quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & caſtitate. 352 2

Saluabitur mulier per filiorum generationem, ſi permanſerit in fide, & dilectione cum ſobrietate, & caſtitate. 412 5

Domus curam habentes. 413 ibid.

Lucem habitat inacceſſibilem, quem nullus ho- 6

minum

minum vidit, ſed neque videre poteſt. 178. & 306

ibid. *Exiſtimantes quæſtum eſſe pietatem.* 521

Ex 2. ad Timotheum.

Cap. 2. *Omnia ſuſtineo propter electos, vt & ipſi ſaluté conſequantur.* 302

ibid. *Regnum Dei non eſt in ſermone, ſed in virtute.* 521

ibid. *Cum modeſtia corripientem eos qui reſiſtunt veritati.* 525

ibid. *Nemo militans Deo implicat ſe negotijs ſecularibus* 529

3 *In nouiſſimis diebus inſtabunt tempora periculoſa, & erunt homines ſeipſos amantes.* 10

ibid. *Habentes quidem ſpeciem pietatis, ſed virtutem eius abnegantes.* 18

4 *Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, &c. in reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ: non ſolum autem mihi, ſed & his qui diligunt aduentum eius.* 70. & 543

Ex Epiſtola ad Hebræos.

Cap. 1. *Cum introducit primogenitum in orbem terræ ad Angelos quidem dicit, & adorent eum omnes Angeli eius.* 160. & 195

2 *Debuit per omnia fratribus ſimilare, vt miſericors fieret.* 167

5 *Et quidem cum eſſet filius Dei, didicit ex his quæ paſſus eſt obedientiam.* 190

6 *Non enim iniuſtus Deus vt obliuiſcatur operis veſtri, & dilectionis quam oſtendiſtis in nomine ipſius.* 544

9 *Statutum eſt hominibus ſemel mori, poſt hoc autem*

tem eſt iudicium. 46

Neque enim ſanguis hircorum aut vitulorum inquinatos ſanctificat, ſed ſanguis Ieſu Chriſti. 449 — ibid.

Impoſsibile eſt ſanguine Taurorum aut Hircorum auferri peccata, ideo ingrediens mundum dicit, hoſtiam & oblationem noluiſti, corpus autem adaptaſti mihi, holocauſtomata & pro peccato non tibi placuerunt, tunc dixi ecce venio. 177 — 10

Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei, in qua voluntate ſanctificati nos ſumus. ibid. — ibid.

Patientia nobis opus eſt vt reportemus promiſsiones Dei. 598 — ibid.

Confitentur quia peregrini & aduenæ ſunt ſuper terram. 223 — 11

Fide qui vocatur Abraham obediuit in locum exire, quem accepturus erat in hæreditatem, & exijt neſciens quo iret. 199 — ibid.

Qui talem ſuſtinuit à peccatoribus contradictionem aduerſus ſemetipſum. 264 — 12

Contemplans ne quis deſit gratiæ Dei. 340 — ibid.

Aſpicientes in autorem fidei, & conſummatorem Ieſum per patientiam ad propoſitum nobis certamen curramus. 459. & 547 — ibid.

Deponentes omne pondus, & circunſtans nos peccatum per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen. 599 — ibid.

Exeamus igitur ad eum extra caſtra improperium Chriſti portantes. 547 — 13

Honorabile connubium in omnibus, & torus immaculatus. 410 — ibid.

Ex Epiſtola B. Iacobi.

Cap. 2. *Nonne Deus pauperes elegit diuites in fide hæredes regni.* 101

3 *In multis offendimus omnes.* 73

4 *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.* 154

Ibid. *Scienti bonum facere, & non facienti peccatum eſt.* 358

5 *Ecce Iudex ante ianuam aſſiſtit.* 67

Ex 1. Petri.

Cap. 1. *Secundum præſentiam Dei Patris in ſanctificationem ſpiritus, in obedientiam & aſperſionem ſanguinis Ieſu Chriſti.* 449

2 *Obſecro vos tanquam aduenas & peregrinos.* 199

Ibid. *Vobis igitur honor credentibus, non credentibus autem lapis quem reprobauerunt ædificantes: hic factus eſt in caput Anguli, & lapis offenſionis, & petra ſcandali ijs qui offendunt verbo, nec credunt in quo & poſiti ſunt.* 263

Ibid. *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum vt ſequamini veſtigia eius, qui cum malediceretur non maledicebat.* 229

3 *Venient in nouiſſimis diebus in deceptionem illuſores iuxta proprias concupiſcentias ambulantes, dicentes vbi eſt promiſſio eius, &c. non tardat Dominus promiſſionem ſuam ſicut quidam exiſtimant, ſed patienter agit propter vos nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reuerti.* 4. & 66

Ibid. *Sed ſi quid patimini propter iuſtitiam beati.* 81

4 *Tempus eſt vt incipiat iudicium à domo Dei:*

quod

*quod ſi iuſtus vix ſaluabitur, impius & pecca-
tor vbi parebunt?* 73

Qui patiuntur ſecundum Dei voluntatem, fideli Ibid.
creatori commendent animas ſuas. 230

Seniores ergo qui in vobis ſunt, obſecro conſenior, 5
*& teſtis Chriſti paſſionum, &c. paſcite qui in
vobis eſt gregem Dei prouidentes non coa-
ctè, ſed ſpontaneè.* 235

Ex 2. Petri.

Dabo operam & poſt obitum meum frequenter Cap. i.
habere vos. 231

Qui vocauit nos propria gloria, & virtute, per Ibid.
*quem maxima, & pretioſa nobis promiſſa do-
nauit, vt per hæc efficiamini diuinæ conſortes
naturæ, fugientes eius, quæ in mundo eſt con-
cupiſcentiæ corruptionem.* 326

Bene facitis attendentes tanquam lucernæ lu- Ibid.
*centi in caliginoſo loco, donec dies eluceſcat,
& Lucifer oriatur in cordibus veſtris.* 339

Habemus firmiorem propheticum ſermonem cui Ibid.
bene facitis attendentes. 6

Latet enim eos hoc volentes, quod cœli erāt prius 3
*& terra de aqua, & per aquam conſiſtens
Dei verbo, per quæ ille tunc mundus aqua in-
undatus perijt: cœli autem qui nunc ſunt, &
terra eodem verbo repoſiti ſunt igni.* 67

Cum igitur hæc omnia diſſoluenda ſint, quales 3
*vos eſſe oportet in ſanctis conuerſationibus, &
pietatibus expectantes, & properantes in ad-
uentu Dei Domini.* 70

Adueniet autem dies Domini ſicut fur, in quo cœ- Ibid.
*li magno impetu tranſient, elementa verò ca-
lore ſoluentur: terra autem, & quæ in ipſa*

ſunt opera exurentur. 57. & 5

Ex 1. Ioannis.

Cap. 1. *Si dixerimus quia peccatum non habemus, ip nos ſeducimus.* 7

2 *Filioli nouiſſima hora eſt, & ſicut audiſtis qui Antichriſtus venit, nunc Antichriſti mult facti ſunt, vnde ſcimus, quia nouiſſima hora eſt.* 9

3 *Et omnis qui habet hanc ſpem in eo ſanctificat ſe ſicut ille ſanctus eſt.* 47

ibid. *Omnis qui odit fratrem ſuum homicida eſt, & ſcitis quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in ſe manentem.* 186

5 *Ieſus Chriſtus venit in aqua, & ſanguine, non in aqua ſolum, ſed in aqua & ſanguine.* 447

Ex Epiſtola Iudæ Apoſtoli.

Cap. 1. *Prophetauit autem de his ſeptimus ab Adam Enoch, ecce venit Dominus in ſanctis millibus ſuis facere iudicium contra omnes.* 45. & 46

2 *Et hos quidem arguite iudicatos, illos verò ſaluate de igne rapientes.* 303

3 *Fluctus feri maris deſpumantes ſuas confuſiones.* 454

Ex Apocalypſi.

Cap. 2. *Qui habèt Rompheam vtraque parte acutam.* 78

ibid. *Vincenti dabo manna abſconditum.* 424

ibid. *Et quia non potes ſuſtinere malos, & tentaſti eos qui ſe dicunt Apoſtolos eſſe, & non ſunt, & inueniſti eos mendaces, blaſphemaris ab eis qui ſe dicunt Iudæos, & non ſunt, ſed ſunt ſynagoga Satanæ.* 478. & 485

Qui aperit & nemo claudit, claudit & nemo a- 3
perit. 174
Dignus eſt agnus, qui occiſus eſt accipere virtu- 5
tem, & ſapientiam, & fortitudinem, diuini-
tatem & honorem & benedictionem & glo-
riam. 131
Redemiſti nos Domine in ſanguine tuo ex omni ibid.
Tribu & natione, & lingua, & feciſti nos
Deo noſtro regnū, & ſacerdotes, & regnabi-
mus ſuper terram. 174. & 300
Dignus es Domine accipere librum, & aperire ibid.
ſignacula eius, quoniam occiſus es, & rede-
miſti nos Deo ſanguine tuo, &c. 396. & 397
Sedete in throno & agno, benedictio & honor, ibid.
& poteſtas in ſecula ſeculorum. 377
Agnus qui in medio throni eſt reget eos, & de- 7
ducet eos ad vitæ fontes aquarum. 398
Neque cadet ſuper illos ſol aut vllus æſtus. 588 ibid.
Væ, væ, væ, habitantibus in terra. 41 8
Et data ſunt illi incenſa multa, quæ ſunt oratio- ibid.
nes ſanctorum. 365
Angelus quem vidi ſtantem ſuper mare, & ſu- 10
per terram, leuauit manum ſuam ad cœlum,
& iurauit per viuētem in ſæcula ſeculorum,
quia tempus nō erit amplius, ſed in diebus vo-
cis ſeptimi Angeli cum cœperit tuba canere,
conſummabitur myſterium Dei. 55
Ciuitatem ſanctam calcabunt menſibus qua- 11
draginta duobus, & dabo duobus teſtibus
meis, & prophetabunt diebus mille ducentis
ſexaginta amicti ſaccis, & cum finierint te-
ſtimonium ſuum, beſtia quæ aſcendit de a-
byſſo facient aduerſus eos bellum, & coemet,

& occidet eos, & corpora eorum iacebunt in plateis ciuitatis magnæ, quæ vocatur ſpiritualiter Sodoma, & Aegyptus, vbi Dominus eorũ crucifixus eſt. 30. & 31

Ibid. Væ ſecundum abijt, & ecce væ tertium veniet cito. 41

Ibid. Et ſeptimus Angelus tuba cecinit, & factæ ſunt voces magnæ in cælo dicentes, factum eſt regnum huius mundi Domini noſtri, & Chriſti eius. 55

12 Vbi habebat locum paratum à Deo, vt eam paſcat diebus mille ducentis ſexaginta. 16

13 Qui habet intellectum computet numerum beſtiæ, numerus enim eſt hominis, & numerus eius ſexcentis ſexaginta ſex. 17. & 18

Ibid. Et admirata eſt vniuerſa terra poſt beſtiam, & adorauerũt Draconem, qui dedit poteſtatem beſtiæ, & adorauerunt beſtiam dicentes, quis ſimilis beſtiæ? & quis poterit pugnare cum beſtia, & datum eſt ei os loquens magna, &c. 25. & 29

Ibid. Et fecit ſigna magna, vt etiam ignem de cælo faceret deſcendere in terram in conſpectu hominum, & ſeduxit habitantes in terra propter ſigna. 28. & 29

Ibid. Hic patientia & fides ſanctorum eſt. 31

Ibid. Et data eſt ei poteſtas facere menſes quadraginta duos. 33

14 Timete Dominum quia venit hora iudicij eius. 63

Ibid. Hi ſequuntur agnum quocunque ierit, virgines enim ſunt. 222. & 254

Ibid. Et vidi & ecce nubem candidam, & ſuper nubem

bem ſedentem ſimilem filio hominis, habentem in capite ſuo coronam auream, & in manu ſua facem acutam, &c. 487

Magna & mirabilia ſunt opera tua Domine Deus omnipotens. 41. & 52 15

Et ſeptimus Angelus effudit phialam ſuam in aerem, & exiuit vox magna de templo à throno dicens factum eſt, & facta ſunt fulgura, &c. 59 16

Beatus qui cuſtodit veſtimenta ſua, ne nudus ambulet, & appareat turpitudo eius. 429 Ibid.

Audiui quaſi vocem tubarum multarum in cœlo dicentium Alleluia, & virtus Deo noſtro eſt, quia vera & iuſta iudicia ſunt eius. Regnauit Dominus Deus noſter omnipotens, exultemus, & demus gloriam ei. 36 19

Et de ore eius procedit gladius, vtraque parte acutus. 78 Ibid.

Vidi ciuitatem ſanctam Hieruſalem nouam deſcendentem de cælo à Deo paratam ſicut ſponſam ornatam viro ſuo. 604 21

Et ſpiritus & ſponſa dicunt veni, & qui audit dicat veni, &c. veni citò. 70. & 550 22

Et lucerna eius eſt agnus. 179 ibid.

Vide ne feceris, conſeruus enim tuus ſum, & fratrum tuorum prophetarum, Deum adora. 116 ibid.

Ego ſum radix & genus Dauid ſtella ſplendida & matutina. 339 ibid.

Ecce venio cito, & merces mea mecum eſt, reddere vnicuique ſecundum opera ſua. 545 ibid.

F I N I S.

& occidet eos, & corpora eorum iacebunt in plateis ciuitatis magnæ, quæ vocatur ſpiritualiter Sodoma, & Aegyptus, vbi Dominus eorũ crucifixus eſt. 30. & 31

Ibid. *Væ ſecundum abijt, & ecce væ tertium veniet cito.* 41

Ibid. *Et ſeptimus Angelus tuba cecinit, & factæ ſunt voces magnæ in cælo dicentes, factum eſt regnum huius mundi Domini noſtri, & Chriſti eius.* 55

12 *Vbi habebat locum paratum à Deo, vt eam paſcat diebus mille ducentis ſexaginta.* 16

13 *Qui habet intellectum computet numerum beſtiæ, numerus enim eſt hominis, & numerus eius ſexcentis ſexaginta ſex.* 17. & 18

Ibid. *Et admirata eſt vniuerſa terra poſt beſtiam, & adorauerunt Draconem, qui dedit poteſtatem beſtiæ, & adorauerunt beſtiam dicentes, quis ſimilis beſtiæ? & quis poterit pugnare cum beſtia, & datum eſt ei os loquens magna, &c.* 25. & 29

Ibid. *Et fecit ſigna magna, vt etiam ignem de cælo faceret deſcendere in terram in conſpectu hominum, & ſeduxit habitantes in terra propter ſigna.* 28. & 29

Ibid. *Hic patientia & fides ſanctorum eſt.* 31

Ibid. *Et data eſt ei poteſtas facere menſes quadraginta duos.* 33

14 *Timete Dominum quia venit hora iudicij eius.* 63

Ibid. *Hi ſequuntur agnum quocunque ierit, virgines enim ſunt.* 222. & 254

Ibid. *Et vidi & ecce nubem candidam, & ſuper nubem*

bem ſedentem ſimilem filio hominis, habentem in capite ſuo coronam auream, & in manu ſua facem acutam, &c. 487
Magna & mirabilia ſunt opera tua Domine 15
Deus omnipotens. 41. & 52
Et ſeptimus Angelus effudit phialam ſuam in 16
aerem, & exiuit vox magna de templo à throno dicens factum eſt, & facta ſunt fulgura, &c. 59
Beatus qui cuſtodit veſtimenta ſua, ne nudus Ibid.
ambulet, & appareat turpitudo eius. 429
Audiui quaſi vocem tubarum multarum in cælo 19
dicentium Alleluia, & virtus Deo noſtro eſt, quia vera & iuſta iudicia ſunt eius. Regnauit Dominus Deus noſter omnipotens, exultemus, & demus gloriam ei. 36
Et de ore eius procedit gladius, vtraque parte a- Ibid.
cutus. 78
Vidi ciuitatem ſanctam Hieruſalem nouam de- 21
ſcendentem de cælo à Deo paratam ſicut ſponſam ornatam viro ſuo. 604
Et ſpiritus & ſponſa dicunt veni, & qui audit di- 22
cat veni, &c. veni citò. 70. & 550
Et lucerna eius eſt agnus. 179 ibid.
Vide ne feceris, conſeruus enim tuus ſum, & fra- ibid.
trum tuorum prophetarum, Deum adora. 116
Ego ſum radix & genus Dauid ſtella ſplendida ibid.
& matutina. 339
Ecce venio cito, & merces mea mecum eſt, red- ibid.
dere vnicuique ſecundum opera ſua. 545

FINIS.

INDEX RERVM, QVÆ
IN OPERE CONTINENTVR.

Litera D. Dominicam. C. Concionem. P. Partem. Pag. Paginam indicat.

A.

Abnegatio ſeculi à Chriſto diſcenda. In Circuncíſ. Dom. Conc. 4. Part. 4. Pag. 309

Adorandus prius Deus, mox orandus. D. 3. poſt Epiph. c. 2. p. 2. pag. 436

Aduentus Chriſti primus & ſecundus cur vno tempore ab Eccleſia proponantur. D. 1. Adu. c. 1. p. 2. pag. 41. & 42

Aduẽtus prim' Chriſti, quomodo expectandus. D. 4. Adu. c. 2. p. 3. pag. 147. & c. 3. p. 1. pag. 152. & 154

Aduẽtus Chriſti ad nos, quibus vijs fiat, quibuſque nos ad Chriſtũ ſimus ituri. D. 4. c. 2. p. 4. pag. 149

Cum Chriſtus ad nos venit peſſima fuiſſe tempora Iudæorum. D. 4. Adu. c. 1. p. 2. pag. 136

Aduentum Chriſti quo affectu S. Patres deſiderauerint. Dominic. 4. Aduent. conc. 3. part. 6. pag. 159

Agnus Dei quare Chriſtus appelletur. in octa. Epiph. p. 2. pag. 394

Quid per Agnum Dei conſecuti ſimus, in octa. Epiph. p. 3. pag 396

Ambitio & regnandi cupiditas impudens eſt vitium. in Epiph. c. 4. p. 1. pag. 346

Ambitio parit incredulitatẽ, inuidiam, & metum, ibid.

Ambitio Herodis, ibid.

Amicitiæ eſſe ſecreta amicis cõmunicare. D. in Quinquageſ. c. 3. p. 1. pag. 620

Amicitiæ leges amicum vel parem inuenire, vel facere iubent. D. in Quinq. c. 3. p. 1. pag eadem. 621

Amicitia Deus homines dignatur ſua. D. in Quinq. c. 3. p. 1. pag. eadem

Amor Dei reuerentiam parit. D. 3. Adu. c. 3. p. 4. pag. 131

Amor Chriſti in nos gallinæ in pullos amori comparatur.

ratur. in feſt. S. Stephani. p. 5. pag. 217. & 218.
Nihil felicius quam amari à Deo, in feſt. S. Ioan. Euäg. c. 1. p. 4. pag. 254
Amore mai' nihil tridui poteſt, in feſt. S. Ioan. Euang. c. 1. p 4. pag 226
Anni primus menſis cur fuerit Martius à Iudæis, & à Romolo conſtitutus, in Circunc. Do. c. 1. p. 1. pagina 170
Anni primus menſis Ianuarius à Romanis habitus, ib.
Angelorum in homines beneuolentia. in Nat. Dom. c. 5. p 2. pag. 202
Aduerſus Antichriſti furorem magnum præſidium eſt, noluiſſe periculum à Domino prædictum. d. 24. poſt Pentec. p. 3. pag. 4. & 5
Antichriſti Aduentus futuri prædictio ſalutarem hominibus incutit timorem d. 24. poſt Pentecoſt. c. 1. p. 4. pag. 6. & 7
Ad deuotas preces fundẽdas adducit. ibidem pag 8
De Antichriſti aduentu qui ſcripſerint. dom. 24. poſt Pentec. c. 2. p. 1. pag. 12
De Antichriſti aduentus tẽpore nihil certum definiri poteſt, ibid. p. 2 pag. 13
Antichriſti imperium nõ vltra tres annos, & dimidium duraturum, d. 24. poſt Pentec. c. 2. p. 2. pag. 15
Antichriſtũ falſo aliqui Dæmonem futurum, alij ex Dæmone & homine vnã perſonam exiſtimauerunt ibid. p. 5. pag. 13
Verus homo vt cæteri futurus, ibid.
Ex fornicatione oriturus. ib.
Antichriſti patria Babylon, ibidem pag. 17
Obſcuris naſcetur parentib', ibid. & c. 3. p. 1. pag. 21. & 22
Antichriſtus quotquot fuere principes imperio ſuperabit, ibid. & c. 3. part. 1. pag. 21. & 22
Occultè nutriendus, ibid. 19
Antichriſti nomen latet adhuc, ibid.
Antichriſtus maxima & fœdiſſima vitia hypocriſi celabit, con. 2. part 2. pagina 18
Templa ſibi ſacrabit, in quibus tanquam Deus ſe adorari iubebit, ibidem, pag. 14
Valde erit ſuperbus & luxuriæ, & idololatriæ maximè deditus, ibid.
Vniuerſum orbem ſubiugabit armis, D. 24. poſt

Pent. c.3. p.1. pag.21. & 22

Antichriſtus Romanorũ imperium deuaſtabit.ib.23

Euchariſtię vſum interdicet, ib. pag. 25.

Aduerſus Chriſti Eccleſiam impia arma conuertet, ib. p.2 pag.24. & 25

Pugnabit aduerſus Eccleſiam eloquentia, diuitijs, tormentis, & miraculis apparentibus, ib. p.3. pag. 25. & 26

Eodem tempore quo Antichriſti furor maximè exarſerit, Enoch & Eliam prædicaturos, ib. p.4. pag. 29. & 30

Antichriſt⁹ Enoch & Eliam tandem occidet, ib. pag.31

De fidei, patientiæque excellentia fidelium tempore Antichriſti, ib. pag.31

Antichriſtus paulò poſt obitum Elię & Enoch periturum in mõte oliuarum, D. 24. poſt Pent. c.4. p.1. pag.32. & 33

Antichriſt⁹ diuinit⁹ à Chriſtô coram omni populo interimetur, ib. p. 2. pag. 34. & 35

Ab Antichriſti interitu ad diem vſque extremum vnus tantum menſis cum dimidio reſtabit, D. 24. poſt Pent. c. 4. p.3. pag.37

Auſteritas & conſtantia Dei miniſtros maximè decet. D.2.Adu.c.3.p.5. pag.102. & 103

B.

Benignitas Chriſti erga egenos, D. in Quinq. c. 3.p.4.pag. 652

Bona tẽporalia cito deficere, D.2. poſt Epiphan.p.2. pag. 418

Bona cuiuſque opera ſibi, nõ aliena prodeſſe, D. 5. poſt Epiph. c.1.p.2.pag.470.& 471

Bonos ex malis multas vtilitates capere, ib. p.3. pa.465

Bonorum multiplex fructus, D. in Sexag. c.4.p. 4. pag. 666

C.

Chriſtus verè fideliũ mater nuncupatur, D. 2. Adu c.2.p.4.pag 93. & 94

De Chriſto plus ab ipſo quã ab alijs cognoſci magiſtris, Dom.2.Adu.c.3.p 1. pag.96

Quantæ nobis opes in Chriſto ſint, ib. p.2.pag.98

Verbum Dei carnẽ factum, id eſt, Chriſtum omnibus ſe præbere, D 4.Adu.c.3. p.6. pag.158

Chriſtus amore eximio nobis ſi-

bis ſimilis factus, in Nat. c.1. p.3.pag. 166
Verbum incarnatum lucem eſſe incorporatam, vt poſſit videri ab hominibus, in Natiuit.c. 2. p.3.pag.178
Lucernæ in omnibus aptiſſimè comparatur. in Natiu. c.2.p.3.pag.179
Verbum quod nouimus fide incarnatum, ſpe, & charitate nobis amplectēdum, in Natiu. c.2.p.4. pag 180
Chriſti regnũ imperio Romanorum præcellere. in Nat.c.3.p.1.pag.182
Chriſtus ideò natus, vt homines à Dæmonis tyrannide liberaret.in Nat. c.3. p.3.pag.187
Chriſti diuinus amor in nos gallinæ in pullos amori comparatur, in feſt. S.Stephani.p 5.pag.217
Chriſtus petra ſalutaris pijs, impijs offenſionis petra, D. infra oct. Nat. c.1. p.3. pag.263
in Chriſto maxime apparere Dei benignitatem, in Circunciſ.c. 4.p.3. pag. 175.& 176
Chriſtum in ſacra ſcriptura ſtellam appellari. in Epiphan.c.3 p.4.pag.339
Chriſtus puerilem ætatē cur ſuſceperit. D.inf.oct.Epiphan. c.1.p.1.pag.367
Chriſtus adhuc puer ſignum dedit ſapientiæ. ibid. p. 2. pag. 369
Chriſti facta perpetuæ virtutis exempla. D.inf.oct Epiph.c.2 p.1.pag.278
Chriſt' quare agnus Dei appelletur in oct. Epiph.p.2. pag.394
per Chriſtum Dei agnũ quid conſequuti ſimus. ib.p.3. pag. 396
Chriſtum quærentes in triplici genere ſunt. in Epiph. c.5. p.1 2. &3. à pag. 355.356.357.&3.8
Chriſtus aſperiori vultu benignitatē ſolet celare.D.2. poſt Epiph.c.2. p.4.pa.421
Chriſtus noſtras in ſe maculas pro nobis ſuſcepit . D. 3.poſt Epiph. c.2.p.6 pag. 442. & 443
Circunciſioni & ſanguini Chriſti initiũ anni dicatur, in Circũciſ.c.1.p.3.pag.174
ob Circunciſionem Chriſti kalendas Ianuariás nobis eſſe in honore, gentilibus vero ob alias cauſas. ib.p. 2. pag 172
Circũciſionis tempus quodnam fuerit. ib.pag.170.& 171

Chriſti ſanguis primo anni menſe, ſicut & agni Paſchalis olim, effunditur. ib.p.3.pag.272.& 275

in Circunciſione Chriſti, quantus amor in nos elu-ceat. ib.p.4.pag.276

Chriſt⁹ Deo Patri octauo die offertur, vt antiqua lege cauebatur.ib.p.5.pag.278

Circunciſus Chriſtus à matre doloris, à Patre dexteræ filius, vt Beniamin appellatur. ib. c.2.p.1.pag.280

Circunciſio præcipuum legis veteris ſacramentum. ib. c.2. p.2. pag.282

Circunciſionis cauſæ. ib.p.3. pag.283

Circuncidi quare Chriſtus voluerit. ib p.4.pag.286

Circunciſio ſpiritualis. ib. p. 4. pag.288. & p.6.pag.290. & c.4.p.4 pag 309

Circunciſionem octauo die fieri, quid ſignificet. ib. c. 2.p.5. pag.288

Circũciſione opus eſt ad nomen ſalutis comparandum. ib.c.2.p.6 pag.290

Cæleſtes orbes maximè Dei maieſtatem declarant in Epiph. c.3.p.1.pag.334

Cæli aſtrorum abuſus. ib.

Cælibatus matrimonij ſtatui præſtat. D. 2. poſt Epiph. c. 1. p. 3. pag. 405. & 406

Cælibatus fœlicitas.ib.

Concionantes vera malè accipi. D. 2. Aduent.c.1.p.3. pag 82

Concionatores fidelium nutrices merito appellantur, mater autem Chriſtus. D. 2 Adu.c.2.p.4. pag.93

Concionator pauperibus æquè ac diuitibus operam nauare debet. D.2.Adu.c. 3.p.4.pag 100

Concionatores diuini verbi præcones ſunt. D. 3.Adu. c.3. p.2. pag.128.

Concionator diſcat in ſolitudine quid in publico doceat D.4.Adu.c.1.p.4. pag. 141

Concionator pœnitentiam prædicare debet. D.4.Aduent c.2.p.2 pag.145

Concionatores, quales hodie placeant. Dom. 6 poſt Epiph.c.1.p.4.pag.496

Concionator quomodo verbo Dei ſit vſurus. D in Septuageſ.c.2.p.3 pag.523.& 524

Concionator renunciare debet omnibus cupiditatibus, vt Dei verbum rectè diſſeminet. D. in Sexageſ. c.1.p.4. pag.562

in Concionatores qui eloquen-

quentes tantum videri volunt. ib.c.2.p.1.pag.565
In eos qui audiendi, nō proficiendi ſtudio, conciones frequentant, ibid. c.3.p.2. pag.580
In eos qui concione audita conceptum virtutis amorem cito deponunt. ib.c.3. p.5. pag.586
in Concionatore magna debet eſſe cupiditas conuerſionis animorum. in Sexageſ. c. 1. p. 3 pag. 558. & 559
Cognitio Dei magna fœlicitas, in Quinquag. c.2.p.4. pag.692. & c.3.p.5. pa. 627
Cognitio noſtræ miſeriæ prodeſt ad Dei miſericordiam conſequendam. ib. c.3. p.5. pag.627.& 628
Confeſſio integra, & perfecta peccatorum oritur ex iudicij extremi memoria. D.1.Adu.c.1.p.5.pag.49.& ſeq.
Confeſſione ſanari lepram peccatorum. D.3.poſt Epiphan. c.2.p.6.pag.446
Confidentia in Deum nullis tribulationibus amittenda. D.4.poſt Epiphan.c.2. p.5.pag.467
Coniuges quales inter ſe eſſe debeant. Dom. poſt Epiphan. p.5.pag.410. Quales item in educandis liberis, ib p.6. pag.412
Conſtantia Dei miniſtros maximè decet. D. 2. Adu. c.3.p.5.pag.103. & 104
Conuiuium quale, vt Chriſtus aſſiſtat. D. 2. poſt Epiphan.c.2.p.1. pag.415
Crux Chriſti multis ſcandalum, Dom.2.Adu.c.3.p.2. pag. 98.& 99
Crux Chriſti lapis eſt Lidius, quo verum aurum agnoſcitur.ib.
Crux Chriſti naui comparatur. D.4.poſt Epiphan.c.1. p.3.pag.465
Crucis myſterium quare Dominus aliquando celauerit. D. in Quinq. c.1. p. 2. pag.601.& 602. & c.3.p.2. pag.622
Crucis verbum quia diſplicebat Apoſtolis, illis non innotuit. ib. c. 1. p.6.pag. 607
Curioſitas vana vitanda, in feſt. S. Ioan. Euangel. c.2. p.4. pag.229

D.

Deus vbique præſens.D.3. Adu. c.3. p.4.pag.129
in Dei cognitione fœlicitatem conſiſtere. Circunciſ.c.4. p.1. pag.305

Dei notitiam natura difficicilem effectam. ibid.p.2. pag. 307
Deus ſe cuiuſque creaturæ captui accommodat. in Epiph.c.3.p.3.pag.338
Deus quomodo quærendus, D. inf. oct. Epiph.c.1.p.5. pag.265
Dei aduentus in animam. in oct.Epiph.p.1. pag. 391. & 392
Deus vel minima quæque prouidet, D.in Septuageſ. c.1.p.1. pag.530
Deus homines ſua amicitia dignatur. D.in Quinq.c.3. p.1. pag.620
Dæmones cur volucres appellantur, D.in Sexag. c.3. p.3 pag.583
Dæmō mali auctor. D.5.poſt Epiph c.2.p.1.pag.479
Diuitię ſpinæ cruentę.in Sexageſ.c.4.p.2.pag 592

E.

Eccleſiæ miniſtri animarum Saluatores, in Circunciſ. c.3.p.6.pag.301
Eccleſia Chriſti ex Iudæis & gentibus copulata.in Epiphan.c.2.p.1.pag.323
Eccleſia Chriſti vineæ comparatur, in Septuageſ.c.2. p.1. pag. 518
Educatio puerorum, quibus virtutibus excolenda, D. infr. octau. Epiphan. c. 2. pag. 380
Educari rectè pueros, quantopere referat.ib.p.3.pag. 382
Educari debent pueri ita vt à voracitate auertantur, ib. p.4. pag. 384. & ab impuris ac mendacibus ſermonibus coerceantur. ib.p.5. pag.386
Educandi pueri in parentum & maiorum obſeruantia. ib.p.6. pag.388
Educandi item religiosè & Chriſtianè. ib.p.7.pag.389
Eleemoſina pauperum gratiſſimum Deo munus eſt. D.1. Adu c.4.p.4. pag.78
Eleemoſina gratiſſima Chriſto.D.4.Adu.c.3.p.4.pag. 136
Elias & Enoch tempore Antichriſti Chriſtum prædicabunt. D. 24. poſt Pent. c.3 p 4.pag 30
Eliam Iudæis, Enoch gentibus prædicaturos. ib.
Elias & Enoch occidētur ab Antichriſto.ib.pag 31
Elias & Enoch tertio die poſtquam occidantur ſuſcitabuntur, & cælos aſcēdent.ib.
Enoch, vide verbo Elias.

Eloquen-

Eloquentiam paleas, verbũ autem Dei granum eſſe. in Sexageſ. c.2. p 1. pag. 565
Euangelij regnum ex paruis initijs incrementa maxima cæpiſſe. D.6. poſt Epiphan. c.1. p.1. pag. 448
in Euchariſtia Chriſtus abſconditur ſicut in præſepi pannis inuoluebatur. in Natiu. c.5 p.5. pag. 208
Euchariſtiæ vſum interdicet Antichriſtus. D. 24. poſt Pent. c.3 p.1 pag. 25

F.

Fides operibus vacua. D. in Septuageſ. c. 1. p 4 pag. 517
Felicitas magna Deum apertis oculis cognoſcere. in Quinq. c. 2. p. 4. pag. 618

G.

Gratię diuerſę diuerſis datæ, in feſt. S. Stephani. p.2. pag. 212
Gratiæ vocatio ſequenda, in Epiph. c.3 p.4 pag. 339. & D. inf. oct. Epiph. c 1 p. 4. pag. 373
Gratiæ diuinæ non meritis noſtris nitendum. D. in Septuageſ. con. 1. p 3. pag. 515
Gratiam & iuſtitiam Dei cõiungi. in Septuageſ. c.4 p. 1. pag. 542

H.

Herodes diaboli typus, in feſt Innocent. c 2. p. 2. pag. 225
Herodis ambitio in Epiph. c. 4. part. 1. pag. 346. & 347
Herodis crudelitas. ib.
Herodis in quærendo Chriſto aſtutia deluſa, in Epiphan. c.5. p.1. pag. 355
Hæretici Antichriſti merito nuncupantur. D. 24. poſt Pent. c. 1. p 4. pag 10
Hæretici zizania diuini agri. D.5 poſt Epiphan. c.1. p. 4. pag. 476
Hæretici exterminandi & acriter puniendi ſunt. ibid. c. 2. p. 3 pag. 483
Hypocritæ zizania dominici agri. D. 5. poſt Epiphan. c.1 p. 4. pag. 476
Humilitatis tres ſunt gradus, & qui. D. 3. Adu. c. 2. p. 1. 2. & 3. pag. 114. & 116
Humilitas non eſt ſine veritate. ibid. part. 3. pag 118. & 119
Humilitas falſa quæ tantum eſt in vocibus, ib. p. 3. pag. 121
Humilis extollitur à Deo. D. 3. Adu. c. 2 p 4 pag. 122
Humilibus ſe Deus communicat, fugit ſuperbos. D. 4. Ad-

4. Aduent. c.3. p.2. pag.154
Humilitate cœlanda egregia opera. D.3. poſt Epiph. c.2. p.5 pag. 441
Humilitas non otioſa Chriſto amabilis, in Septuageſ. c.1. p. 4. pag. 517

I.

IEſu nomen, id eſt, Saluatoris eſſe præclariſſimum. in Circunciſ. c.3. p.2. pag. 294
Ieruſalem cæleſtem aſcendere quid ſit. D. in Quinq. c. 1. p.4. pag 604
Incarnatio diuini verbi inter omnia Dei opera fuit magnificentiſſimum. in Natiu. Dom. c.1. p.2. pag. 163. & 164
Innocentes cur biennes iuſſi ſint occidi. in feſt. Innoc. c.2. p.2. pag. 252
Innocentium cædes quam fuerit Chriſto glorioſa. ibid. part.3. pag. 253. quam ipſis vtilis. p. 4. pag. 256. quam ignominioſa Herodi. ib. p.5. pag. 258
Infantibus debere nos eſſe ſimiles. ib.
Inſpirationem diuinam Eccleſiæ doctrina iuuari. D. in Epiph. c.3. p.5. pag. 341
Inſpirationem diuinam eſſe ſequendam. ibid p.4. pag. 339. & infr. octa. Epiphan. c.1. p 4. pag. 373
Inuidiam peſſima ſuaderi conſil. D. 3. Adu. c. 1. p.3. pag. 108
Ioannis Baptiſtæ fides & amor in Chriſtum. Dom. 2. Adu. c.1. p. 1. pag. 80
Ioannes Baptiſta propter iuſtitiam patiebatur. ib. p. 2. pag. 81
Ioannes cur ad Chriſtum diſcipulos miſſerit. Dom. 2. Adu. c. 2. p. 1. pag. 87
Ioannes à Chriſto laudatus. ib. c.3. p.5. pag. 102
Ioannes lucerna ardens. D.3. Adu. c.1. p.4. pag. 110
Ioannem falſæ de ſe opinioni obſtitiſſe. ib.
Ioannis, & Chriſti vitam differre. ib. p. 5. pag. 112
Ioannis humilitas maxima. ib. c.2. p.1. pag. 114
Ioannes præco diuini verbi. ib. c.3. p.3. pag. 128
Ioannis amor & reuerentia erga Chriſtum. ib. p.5. pag. 131. & 132
Ioannes vtriuſque teſtamenti limes interiectus. D. 4. Adu. c.1. p.1. pag. 135
Ioannes Propheta. ibid. p. 2. pag. 139
Ioannis officium ſæpe à Deo prędictū. ib. c.2. p.1. pag. 143

Ioannes Euangeliſta corpore & animo beatitudine potitur iam excitatus à mortuis in feſt. ipſius.c.2.par. 6.pag. 237
Ioannes Euangeliſta à Chriſto præ cæteris amatus, in eius feſto. con.1. p.1.pag. 205.& part 4. pag.219
Ioannes Euang. excellentiſſimus diuinæ ſapientiæ prædicator. ibid. p. 9.pag. 221
Ioanni Chriſti matrem commendatā eſſe illuſtre teſtimonium amoris.ibid.p.2. pag.220
Ioannes aureola virginitatis ornatus ibid.pag.222
Ioannes ſecretorum Ieſu maximè conſcius. ibid p. 3. pag.223
Ioſeph Chriſti pater non ſolum opinione, ſed quodammodo verè appellatus. D. infra octa.Natiuit. c.1. p 1.pag.260
Iracundæ aliorum cedendū in feſt. ſanctorum. Innoc. c.1.p. 4.pag.246
Iracundiam parit ſuperbia ibid.c.2.p.1.pag.250
Iudicij extremi memoria initium, & finis Eccleſiaſtici temporis D. 24.poſt Pentec.c.1.p.1.pag.1
Iudicij memoria arcet homines à peccatis.ibid.p.2. & pag.4.D. 1.Aduent. c.3. p.1.pag 61.
Iudicij extremi ſignum potiſſimum prædicatio Euāgelij in toto orbe, D.24. poſt pentec.c.2.p.2.pag.15
Iudicij extremi diem ſigna præcedent poſt interitum Antichriſti.ibid.c. 4.part. 4.pag.36
de Iudicij die multa & antiquiſſima exterorum teſtimonia fuere.D.1.Aduent. C.1.p.2.pag 44.& ſeq.
Iudicium varijs parabolis & ſimilitudinibus in ſcriptura declarari.ib.c.2. p.1.pa. 52.53
Iudicium acerrimo bello rectè comparatur.ib.p.1.2.3. & 4.à pag.56. & 57. & ſeq.
Iudicium vltimum qua ratione timuerint viri ſanctiſſimi.ib.c 4.p. 2.pag.72
in Iudicio Chriſtum, qui nūc benignus & miſericors eſt, ingrati ſeueriſſimum ſentient.ibid p. 4.pag. 76 & ſeq.
à Iudicij meditatione pænitentia incipienda D.4 Ad uēt.c 2.p 3.pag. 147.& 148
Iudicium particulare vnicuique inſtare D. 1. Aduent.

uent.c.3.p.3.pag.66
Iudicium tunc alicui aduenit, mundusque finietur quando ipſe finitur mūdo ibid.pag.68
Iudicium extremum quare moretur.ib.pag.67
Iudicare non debemus ex apparentia D.3.Aduen.c.1.p.5.pag.113
Iudicare non debemus ante interrogationem. ib. c.3.p.1.pag.124.& 125
Iuſtitiam, & gratiam Dei cōiungi.D.in Septuā.c.4.p.1.pag.542

L.

LAboris laus.D.in Septuageſ.c.3.p.4.pag.538 & 539
Laborum oblectamenta vana nō quærenda.D.2.Aduent.c.1.p.6.pag.85
Laudandi abſentes, animaduertendi præſentes.ib.c.3.p.5.pag.102.& 103

M.

MAria virgo quam fortiter iuxta crucem perſeuerauerit. D. infra oct. Nat.c.1.p.6.pag.268.& 269
Maria quantum dolorem ex Chriſti paſſione conceperit.ibid p.5.pag.265.
Maria raro ſe dabat in publicum. D.infr.oct. Epiph.c.1.p.3.pag.370
Mariæ dolor de amiſſo filio ib.p.5.pag.374.& 375
Mariæ benignitas in egenos. D.2.poſt Epiph. c.2.p.3.pag.420
Mariam eſſe illam quæ abſcondit fermentum in farinæ ſatis tribus. D.6.poſt Epiphan.c.2.p.4.pag.503
Magorum adoratione ſignificari gentilitatem Chriſto copulandam. in Epip.c.1 p.1.pag.313
Magi quinam fuerint. ib. p.2.pag.317 & 318
Magia duplex.ibid.
Magos in magno honore habitos apud Perſas & alios. ibid.
Magos diuino dono ſapientes fuiſſe.ib.p 3.pag.320
Magi vnde venerint. ibid.c.2 p.2.pag.324
Magi quo pacto ſtella viſa regem in Iudæa natū cognouerint.ibid.p.3.pag.327
Magos non fuiſſe ductos vſq; ad Hieruſalem, & ibi deſertos à ſtella. ibid.p.4.pag.331
Magi cur Ieroſolymam adierint.ibid.
Magorum ſtella cuius conditionis fuerit.ibid.

Mago-

Magorū munera à nobis Deo offerenda. ibid. & 362
Magorum in Chriſto quærēdo ſimplicitas& felicitas. ib. c. 5. p. 3. pag. 3 59.
Magorū fides in Chriſto Deo adorando, ibid. p. 5. pa. 362
Malos ſpecie bonorum maximè pernitioſos. d. 5. poſt Epipha. c. 1. p. 4. pag. 479
Mali author Dæmon. ib. c. 2. p. 1. pag. 479
Mali interdum diſſimulandi ibid. p. 2. pag. 480
Mali non ſunt puniendi cum detrimento bonorum. ib. p. 3. pag. 483
Mali acriter puniendi in die iudicij. ibid. p. 4. pag. 486
Maritus qualis eſſe debeat in vxorem. D. 2. poſt Epiphā. c. 1. p. 5. pag. 410
Maritus qualis eſſe debeat erga familiam. ibid. p. 6. pa. 413
Matrimonium à Deo conſtitutum, à Chriſto honoratum. ib. p. 1. pag. 400
Matrimonij onera, ibid. p. 12. pag. 403. & p. 4. pa. 409
Matrimoniū Chriſti munere ſanctum. ibid. p. 4, pa. 407
In matrimonio debet eſſe cōcordia, ibid. p. 5. pag. 410
Matrimonij finis procreatio liberorum. ib. p. 6. pa. 412
Mendacium deteſtabile vitiū D. 3. Aduen c. 3. p. 2. pa. 126
Miracula cur plurima in Eccleſia primitiua fierent, in noſtra tempeſtate nōn item. D. 24. poſt Pentecoſt. c. 1. p. 3. pag. 6. & 7
Miſericordia Chriſti in bene faciendo. D. 3. poſt Epiph. c. 2. p. 4. pàg. 439
Mundus procelloſo muri cōparatur. D. 4. poſt Epiph. c. 1. p. 1. pag. 451. & ſeq.
Mundus foro cōparatur. D. in Septua. c. 3. p. 4. pag. 538

N.

Natiuitas Chriſti quæ nos doceat. in Natiu. c. 1. p. 4. pag. 169. & 170
Natus Chriſtus aquis Bethlemiticis, quas Dauid expetebat, comparatur. ibid. c. 2. p. 1. pag. 171
Naſcitur Chriſtus vt nos à Dæmone liberaret. ib. c. 3. p. 3. pag. 187
in Natiuitate Chriſti obedientia nimis eluxit. ib. 189
Natiuitas Chriſti adeò humilis Angelis, Prophetis, & hominibus admirāda. ibi. c. 4. p. 1. & 2. pag. 191. & ſe.
Natiuitas Chriſti ideo humilis, vt ſuum amorem erga nos oſtenderet. ibid, p. 7. pag 194. & 195

in Natiuitate Chriſti quæ fuerint gaudia virginis matris. ibid p. 3. pag. 196
Natiuitas Chriſti an in diuerſorio, in ſpecu, vel tugurio contigerit. ib. p. 4. pag. 198
Natus Chriſtus in loco humili præſentium rerũ contemptum docet. ib. pa. 198
Natiuitas Chriſti cur paſtoribus prius annuntietur. ib. c. 5 p. 3 pag. 204
Natus Chriſtus Deus eſt æternis, & infans vnius diei ib. p. 4. pag. 206. & 207
Natus Chriſtus & pannis inuolutus in præſepio ſibi ipſi in Euchariſtia abſcondito comparandus eſt. ib. p. 5. pag. 208

O.

Obedientiam docet nos Chriſtus in Natiu. Cõ. 3. part. 4. pag. 189
Obedientiam diuina munera ſequuntur. Do. 2. Adu. c. 3. p. 3. pag. 100.
Opera cuiuſque quis ille ſit oſtendunt. D. 2. Aduent. c. 3 p. 3. pag. 100
Operarius vineæ Euangelicæ qualis eſſe debeat. D. in Septuageſ. c. 2. p. 2. pag. 521 & p. 3. pag. 523. & p. 5. pag. 520. & c. 4. p. 2. pag. 544
in Operarios Euangelicos qui Chriſti vineam ſuperbè ambiunt. D. in Septuageſ. c. 3. p. 3. pag. 521
Operarios ſubdolos quos vocauerit Paulus. ibid. p. 4. pag. 576
Oratio perfecta ex cognitione diuinæ potentiæ, propriæ miſeriæ oritur. D. 3. poſt Epiphan. con. 2. part. 3. pag. 437. & 438
Orandus Deus, & prius adorandus. ib. pag. 436
Orationis optimæ conditiones quæ D. in Quinquag. c. 2. p. 2. pag. 613 & ſeq.
Otium nihil boni, mali multum parit. D. in Septuag. c. 3. p. 4. p. 538
Otioſos eſſe qui ſeculi negotijs implicantur. ib. p. 5 pa. 540

P.

Paſtores Eccleſiæ vigilare debent. in Natiui. c. 5. p. 3. pag. 209
Paſtores Eccleſiæ præ cæteris Chriſtũ ſequi tenentur. in feſto S. Ioã c. 2. p. 1. pa. 228
Paſtores Eccleſiæ quales eſſe debeant in gregem: ibid.
Paſtorib. Eccleſiæ & Prælatis carni & ſanguini renuntiandum. ibid. p. 2. pag. 231.
Paſtores Eccleſiæ nulla cauſa ceſſare debent ab officio

cio. ibidem. p. 5. pag. 236
Paſtoribus Eccleſiæ, & Prælatis obediendum, & ab illis reſponſa petenda. in feſt. Innocent. c. 1. p 3. pag. 244
ad Paſtores Eccleſiæ diuina dona, vt probētur ferri debent. D. 2. poſt Epiphan. C. 2. p. 5. pag. 424
Parentes honorandi. D. infra octa. Epiph. C. 2. p 6. pag. 388
Parentes quomodo liberos educare debeant. vide educatio.
Parabolas Euāgelicas & paucis multa, & multis pauca complecti. D. in Septuag. c. 1. p. 1. pag 506
Parabolis quare Chriſt⁹ vſus ib. pag. 508
Parabolarum mirabilis vſus in Euangelio. D. in Sexageſ. c. 2 p. 4. pag. 576
Parabolarum vſus beneficētia Chriſti fuit. ibid. fuit & Sapientiæ. ibid. pag. 575. & ſeq. fuit & ſeueritatis. ib.
Patientiæ fructus. D. in Sexageſ. c. 4 p. 5. pag. 597
Pauperibus æquè, ac diuitibus opera nauare debet concionator. D. 2. Aduen. c. 3. p. 4. pag. 100. & 101
Pauperibus æquè, ac diuitibus verbum Dei communicandum. ibid.
Pacem Octauiani ſignū fuiſſe pacis Euangelicę. in Nati. c. 1. p 3. pag. 185
Peccati ideo remedium non quærimus, quia eius damna non ſentimus. in Circunc. c. 3. p. 4. pag. 296. & 297
Peccatum animi lepra. D. 3. poſt Epiphan. c. 1. p. 1. pag. 426
in Peccato mortali opera facta non eſſe meritoria. ib. p. 2. pag. 427
Peccato mortali ſpem debilitari, fidem effici mortuam. ib p. 3. pag. 430
Peccatum contagione ſerpit. ib. p. 4. pag. 432
Peccati cōtagionem fugiendam. ib. pag. 431
Peccator ſeparatus à conſortio ſanctorum. ib. pag. 432
Peccati lepram confeſſione ſanari. D. 3. poſt Epiph. c. 2. p. 6 pag. 442
Pati pro Chriſto quam ſit glorioſum. D. 2. Aduen. c. 1. p 2. pag. 81. & ſeq.
Perſecutiones non à quibus, ſed propter quem patimur inſpiciendum eſt ib.
Perſecutione iuſtorū cauſam proficere. ib. p. 4. pag. 83

Perſequuto pro Chriſto confidentius agendum, ib. p. 5. pag. 66

Perſeuerantia malũ non modo ſuperatur, ſed plerumque in auxilium vertitur. D. in Quinq. c. 2. p. 3. pag. 617

Pœnitentia prædicanda. D. 4. Aduen. c. 2. p. 2. pag. 145

Principũ moribus mores popularium aſſimilari in Epiphan. c. 4. p. 2. pag. 349

Princeps quibus bonus contigit, felices, quibus malus, infeliciſſimi. ib. pag. 350. & ſeq.

Principes pro meritis populi bonos, aut malos contingere. ib. pag. 351

Prouidentiam Dei vel ad minima ſe extendere. D. in Septuag. c. 3. p. 1. pag. 350

Prophetæ quo pacto diuinitus doceantur. D. 4. Adu. c. 1. p. 3. pag. 139

Prophetas Dei eſſe amicos. D. in Quinquag. c. 3. p. 1. pag. 621

R.

Religioſi ita Chriſtum ſequi debẽt, vt nunquam oculos in carnem & ſanguinem deflectant. in feſt. S. Ioan. c. 2. p. 2. pag. 231

Repudij abuſus in multis nationibus. D. 2. poſt Epiph. c. 1. p. 2. pag. 403. & ſeq.

Repudium à Chriſto prohibitum. ib.

S.

Sacerdotibus quanta reuerentia exhibenda, D. infr. oct. Nat. c. 1 p. 2. pag. 261

Sacerdotes de diuinis rebus conſulendi. in Epiph. c. 4. p 3. pag. 352

ad Salutem animæ Dei gratia præuenimur, D. in Septuag. c. 3. p. 2. pag. 532

Saluatoris nomen ſanguine partum. in Circunc. c. 3. p. 6. pag. 301. & 302

Saluatoris, id eſt, Ieſu nomen inuocandum, ib. p. 7. pag. 303

Saluare homines maius & præſtantius fuiſſe quam creare, ib. p. 3. pag. 295

in Scriptura ſacra diuerſa, imò contraria eadem re ſignificari. D. 6. poſt Epiphan. c. 2. p. 1. pag. 498. & D. in Sexageſ. c. 3. p. 3 pag. 583. & ſeq. Vide verbum Dei.

in Solitudine diſcat concionator quod in publico doceat, D. 4. Aduent. c. 1. p. 4. pag. 141

in Solitudine communicatur Deus. ib.

in So-

in Solitudine auditur Deus. D. in Quinquageſ. c. 1. p. 3. pag. 603
Somniorum multiplex genus, & quibus ſit fidendum. in feſt. Innoc. c. 1. p. 3. pag. 241
Secretum qui alteri credit claues ſuæ exiſtimationis ac vitæ credidit. Dom. in Quinquageſ. c. 3. p. 1. pag. 601
Secreta paucis credenda. ib.
Secreta amicorū fide incorrupta ſeruanda. ibid. p. 3. pag. 603
Seculi amatores cęci, & mendici. D. in Quinq. c. 2. p. 1. pag. 611
Simplicitatem, & veritatem placere Chriſto. D. 4. Adu. c. 3. p. 3. pag. 155
Stephani Prothomart. prærogatiua, in eius feſto. p 1. pag. 210
Stephanus virginitate decoratus. ib.
Superbia parit iracūdiam. in feſt. Innoc. c. 2. p. 1. pag. 250

T.

TEmplum vnicum in veteri lege quid ſignificet. D. infr. octa. Epiphan. c. 1. p. 3. pag. 370. & ſeq.
Temperātiam animo & corpori prodeſſe. D. infra oct. Epiph. c. 2. p. 4. pag. 384
Tentatio ſolis ardori comparatur. D. in Sexageſ. c. 3. p. 5. pag. 587
Tentatione quare multi non proficiant. ib. pag. 588. & 589
Teſtamenti vtriuſque mira conſonantia. D. in Quinquageſ. c. 1. p 5. pag. 606
Timor Dei à peccatis auellit. D. 24. poſt Pentecoſt. p. 4. pag. 6. & D. 1. Adu. c. 3. p. 1. pag. 61. & ſeq.
Tribulatio nulli deeſſe poteſt. D. 4. poſt Epiph. c. 2. p. 3. pag. 465
in Tribulationibus Dei opportunum auxilium adeſſe. ib. p. 5. pag. 568

V.

VErbi diuini vis miracula ſuperat. Dom. 24. poſt Pentec c. 1. p. 3. pag. 5. & 6
Verbum Dei pulchrè ſinapis grano comparatur. D. 6. poſt Epiphan. c. 1. p 3. pag. 491
Verbi diuini magna vis. ib. p. 4. pag. 496. & c. 2. p. 3. pag. 501
Verbum Dei fermento comparatur. ib. c. 2. p 3 pag. 500
Verbum Dei cautè cuſtodiendum. ib. p. 5. pag. 504

Ver-

Verbum Dei eſſe granũ frumenti, humanam eloquẽtiam paleas. in Sexageſ. c. 2. p 1. pag 565
Verbum Dei à quo, & in quo loco ferendum. ibid. p. 2. pag. 567
Verbũ Dei in paucis ad fructum vſque peruenit. ib. p. 3 pag. 570
Verbũ Dei audientium quadruplex conditio. ibid. c. 3. p. 1. pag 578
Ex operibus magis quàm ex verbis quiſque cognoſcitur. D. 2. Adu. c. 3. p. 3. pag. 100
Veritas male accipitur. ibid. c. 1. p. 3. pag. 82
Veritatis ſtudium & laus. D. 3. Aduent. c. 3 p. 2. pag. 126
Viduę honeſtæ mores. D. infra oct. Natiu. p 7. pag. 268
Vigiliarum laus. D. in Septuageſ. c. 3. p. 2. pag. 534. & 535
Vindicta Dei quo tardior, eò grauior. in feſto S. Stephani. p. 4. pag. 215
Virgines in publicum prodire recuſare debent. D. infra octa. Epiphan. c. 1. p. 3. pag. 383
Vita æterna & gratia, & iuſtitia eſt. D. in Septuageſ. c. 4. p. 1. pag. 542
Vita æterna præmiũ & merces bonorum operum. ib. c. 4. p. 3. pag. 547
Vitia ſpinis comparantur. D. in Sexageſ. c. 4. p. 1. pag. 680. & 681
Vocationi diuinæ qua celeritate reſpondendum. D. in Quinquageſ. c. 2. p. 3. pag. 617
Voluptates corporis eſſe ſpinas cruentas. D. in Sexageſ. c. 4. p. 2. pag. 592. & 593
Vxor qualis eſſe debeat in virum. D. 2. poſt Epiph. p. 5. pag. 410
Vxor qualis eſſe debeat erga familiam. ibid. p. 7. pag. 413. qualis erga liberos. ibid. p. 6. pag. 412. vide educatio.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google